VALERIO MÁXIMO, Publio

[Valerii Maximii factorum dictorumque memorabilium libri novem]. -- [S.l.] : [S.n.], [s.a.]

[16], 455, [17] p., []8, A-Z8, 2A-2F8, 2G4 ; 8º

1. Virtudes 2. Bertuteak I. Título

R-4996 Ejemp. falto de port. y de 10 p. del cuaderno de [16] p. -- Enc. piel con hierros dorados en el lomo

VALERII MAXIMI LIBRORUM novem capita.

CAPITA PRIMI LIBRI.

I. De cultu deorum. pag. 2
II. De neglecta religione. p. 9
III. De simulata religione. 1
IV. De auspiciis. 3
V. De omnibus.
VI. De prodigiis.
VII. De somniis.
VIII. De miraculis. 8.

SECUNDI LIBRI.

I. De institutis antiquis. 50.
II. De disciplina militari. 73.
III. De jure triumphandi. 83.
IV. De censoria nota. 87.
V. De majestate. 93.

TERTII LIBRI.

I. De indole. 97.
II. De fortitudine. 100.
III. De patientia. 116.
IV. De iis, qui humili loco nati, clari evaserunt. 121.
V. De iis, qui à parentibus claris degenerave-unt. 124.
VI. De iis, qui ex illustribus, in veste, aut alio cultu licentius quàm mos patrius permittebat, indulserunt. 126.
VII. De fiducia sui. 128.
VIII. De constantia.

QUAE-

QUARTI LIBRI.

I. De animi moderatione. 146.
II. De iis, qui ex inimicis juncti sunt amicitia, & necessitudine. 158.
III. De abstinentia, & continentia. 160.
IV. De paupertate. 170.
V. De verecundia. 176.
VI. De amore conjugali. 179.
VII. De amicitia. 184.
VIII. De liberalitate. 192.

QUINTI LIBRI.

De humanitate. 197.
II. De gratis. 208.
III. De ingratis. 215.
IV. De pietate Coriolani. 224.
V. De pietate erga fratres. 232.
VI. De pietate erga patriam. 234.
VII. De parentum amore, & indulgentia in liberos. 240.
VIII. De parentum severitate adversus liberos. 243.
IX. De parentum moderatione adversus susceptos liberos. 246.
X. De parentibus qui obitum filiorum forti animo tulerunt. 248.

SEXTI LIBRI.

I. De pudicitia. 251.
II. Quæ iberè dicta, aut facta. 257.
III. De severitate. 265.
IV. Graviter dicta, aut facta. 272.
V. De justitia. 277.
VI. De fide publica. 283.
VII. De fide uxorum erga viros. 286.
VIII. De fide servorum erga dominos. 287.

IX.

IX. De mutatione morum & fortunæ. 291.
X. De iis, qui à ſtatu humili ad altiora aſcenderunt. 294.
XI. De varietate caſuum. 295.

SEPTIMI LIBRI.

I. De felicitate. 301.
II. Sapienter dicta, aut facta. 303.
III. Vafrè dicta, aut facta. 313.
IV. De ſtratagematis. 323.
V. De repulſis. 328.
VI. De neceſsitate. 331.
VII. De teſtamentis, quæ reſciſſa ſunt. 336.
VIII. De teſtamentis, quæ rata manſerunt. 340.
IX Qui adverſus opiniones hominum heredes habuerunt. 342.

OCTAVI LIBRI.

I. Infames rei, quibus ex cauſis abſoluti, aut damnati ſunt. 344.
II. De privatis judiciis. 353.
III. Quæ mulieres apud magiſtratus pro ſe, aut aliis cauſas egerunt. 355.
IV. De quęſtionibus. 357.
V. De teſtibus. 358.
VI. Qui quæ in aliis vindicarunt, ipſi commiſerunt. 360.
VII. De ſtudio, & induſtria. 361.
VIII. De otio. 371.
IX. Quanta vis eloquentię. 372.
X. Quantum momentum ſit in pronuntiatione, & opto motu corporis. 375.
XI. Quam magni effectus artium ſint. 377.
XII. Quædam nulla arte effici poſſe. 379.

. Suę quenque artis & autorem, & disputatorem optimum esse. 381.
V. De senectute memorabili. 382.
XV. De cupiditate gloriæ. 386.
XVI. Quę cuique magnifica contigerunt. 392.

NONI LIBRI.

I. De luxuria. 397.
II. De crudelitate. 404.
III. De ira, & odio. 411.
IV. De avaritia. 416.
V. De superbia, & impotentia. 418.
VI. De perfidia. 421.
VII. De vi & seditionibus. 423.
VIII. De temeritate. 425.
IX. Quantum valet error. 427.
X. De ultione. 429.
XI. Dicta improba, aut facta scelerata. 431.
XII. De moribus non vulgaribus. 436.
XIII. De cupiditate vitę. 442.
XIV. Quàm exquisita custodia usi sunt, quibus suspecti domestici fuerunt. 443.
XV. De similitudine formę. 445.
XVI. De iis, qui infimo loco nati mendacio se clarissimis familiis inserere conati sunt. 448.

VAL. MAXIMI FACTORUM,

AC DICTORUM MEMORABILIUM Liber primus, ad Tiberium Cæsarem.

PROLOGUS.

URBIS ROMÆ, EXTERARUMque gentium facta simul ac dicta memoratu digna, quę apud alios latius diffusa sunt, quàm ut breviter cognosci possint, ab illustribus electa autoribus deligere constitui: ut documenta sumere volentibus longę inquisitionis labor absit. Nec mihi cuncta complectendi cupido incessit. Quis enim omnis ęvi gesta, modico voluminum numero comprehenderit? Aut quis compos mentis, domesticæ, peregrinæque historiæ seriem, felici superiorum stylo conditam, vel attentiore cura, vel præstantiore facundia, traditurum se speraverit? Te igitur huic cœpto, penes quem hominum, Deorumque consensus, maris, ac terræ regimen esse voluit, certissima salus patrię Cæsar, invoco: cujus cœlesti providentia virtutes, de quibus

dicturus sum, benignissimè foventur: vitia severissime vindicantur. Nam si prisci Oratores ab Jove Opt. Max. bene orsi sunt, si excellentissimi vates a numine aliquo principia traxerunt, mea parvitas eò justius ad favorem tuum decurrerit, quòd cetera divinitas opinione colligitur, tua præsenti fide, paterno avitoque sideri par videtur: quorum eximio fulgore multum cæremoniis nostris inclytæ claritatis accessit. Reliquos enim deos accepimus, Cæsares dedimus. Et quoniam initium à cultu deorum petere in animo est, de conditione ejus summatim disseram.

DE CULTU DEORUM.

CAP. I.

MAjores, statuas, solemnesque cæremonias, Pontificum scientia, bene gerendarum rerum auctoritate, Augurum observatione, Apollinis prædictione, vatum libris, portentorum depulsis, Hetrusca disciplina explicari voluerunt. Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur: cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, votis: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum, vel extis, vel sortibus, impertito: cum solemnitas peragendum, sacrificio: quo etiam ostentorum, & fulgurum denuntiationes procurantur.

DE CEREMONIIS PLACANDA.

Tantum autem studium antiquis non solum observandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, florentissimæ tum, & opulentissimæ civitate, decem principum filii S. C. singulis Hetruriæ populis, disciplinam sacrorum disciplinæ gratia traderentur.

ferique, quam more Græco venerari instituerant, Sacerdotem à Velia, cum id oppidum nondum civitatis nomen accepisset, Calçitanam peterent: vel ut alii dicunt: Caliphenam: ne deæ vetustis ritibus perita deesset Antistes. Cujus cum in Urbe pulcherrimum Templum haberent, Gracchano interitu pollutum, moniti Sibyllinis libris, ut vetustissimam Cererem placarent, Ætnam (quoniam sacra ejus inde orta credebant) quindecim viros ad eam propitiandam miserunt. Item matri Deûm sæpenumero Imperatores nostri, compotes victoriarum, suscepta vota Pessinuntem profecti, solverunt.

DE METELLO PONTIFICE.

Metellus vero Pont. Max. Posthumium consulem, eundemque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à sacris discederet, mulcta indicta, Urbem egredi passus non est: religioniquę summum imperium cessit: quòd tutò se Postumius Martio certamini commissurus non videbatur, cæremoniis Martis desertis.

DE TIBERIO GRACCHO.

Laudabile xii. fascium religiosum obsequium: laudabilior quatuor & viginti in consimili re obedientia: à Tiberio enim Graccho ad Collegium augurum litteris ex provincia missis: Quibus significabat se, cum libros ad sacra populi pertinentes legeret, animadvertisse vitio tabernaculum captum, comitiis consularibus, quę ipse fecisset, eaque re ab auguribus ad senatum relata, jussu ejus C. Figulus è Gallia, Scipio Nasicca è Corsica Romam redierunt, & se consulatu abdicaverunt.

DE P. CÆLIO, M. CORNELIO.

Consimili ratione pòst P. Cælius, Marcus Cornelius,

lius, M. Cethegus, & C. Claudius propter extra pa-tum curioſe admota aris deorum immortalium, variis temporibus, belliſque diverſis, Flaminio abire juſſi ſunt, coactique etiam.

DE SULPITIO.

At Sulpitio inter ſacrificandum è capite apex prolapſus, eidem ſacerdotium abſtulit.

DE FABIO MAX.

Occentuſque ſoricis auditus, Fabio Max. dictaturam, C. Flaminio magiſterium equitum deponendi cauſam præbuit.

DE PUBLIO LICINIO.

Adjiciendum his, quòd P. Licinio Pontifici Maximo virgo Veſtalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis cuſtos fuiſſet, digna viſa eſt, quæ flagro admoveretur.

DE VIRGINE ÆMILIA.

Maxime verò virginis Æmiliæ diſciplinam, extincto igne, tutam ab omni reprehenſione Veſtæ numen præſtitit: quæ adorante, cùm carbaſum, quam optimam habebat, foculo impoſuiſſet, ſubito ignis eruicuit.

DE MARCELLO ET TEMPLO honoris.

Non mirum igitur ſi pro eo imperio augendo cuſtodiendoque pertinax eorum indulgentia Deorum ſemper excubuit, quòd tam ſcrupuloſa cura, parvaque momenta religionis examinari videntur: quæ nunquam remotos ab exactiſsimo cultu ceremoniarum oculos habuiſſe noſtra civitas exiſtimanda eſt.

qua cum Marcellus quintum consulatum gerens, templum Honori, & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus nuncupatis debitum votis consecrare vellet: à Collegio pontificum impeditus est: negante unam cellam duobus Diis recte dicari: futurum enim, si quid prodigii accidisset in ea, ne dignosceretur, utri rem divinam fieri oporteret: nec duobus nisi certis Diis unà sacrificari solere: ea pontificum admonitione effectum est, ut Marcellus, separatis ædibus, Honoris, ac Virtutis simulachra statueret: neque aut Collegio pontificum autoritas amplissimi viri, aut Marcello adjectio impensæ impedimento fuit, quo minus religionibus suus tenor suaque observatio redderetur.

DE LUCIO FURIO BIBACULO.

Obrnitur etiam tot illustribus consularibus L. Furius Bibaculus, exemplique locum vix post Marcellum invenit. Sed pii simul, ac religiosi animi laude fraudandus non est: qui prætor à patre suo Collegii Saliorum magistro justus sex lictoribus præcedentibus arma ancylia tulit: quamvis vacationem hujus officii, honoris beneficio haberet. Omnia namque post religionem ponenda semper nostra civitas duxit: etiam in quibus summę majestatis conspici decus voluit. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinę potentię bene, atque constanter fuissent famulata. Quod animi judicium in privatorum quoque pectoribus versatum est. Urbe enim à Gallis capta, cum Flamen Quirinalis virgineſque vestales sacra onere partito ferrent, easque Pontem Sublicium transgressas, & clivum, qui ducit ad Janiculum, descendere incipientes, L. Alvanius plaustro conjugem,

& liberos vehens aſpexiſſet, propior publicæ religioni, quàm privatæ charitati, ſuis ut plauſtro deſcenderent, imperavit: atque in id Virgines & ſacra impoſita omiſſo cœpto itinere, Cerete oppidum provexit: ubi cum ſumma veneratione recepta, grata memoria, ad hoc uſque tempus hoſpitalem humanitatem teſtantur. Inde enim inſtitutum eſt ſacra, Ceremonias vocari: (1) quia Ceretani ea infracto Reip. ſtatu, perinde ac florente, coluerunt. Quare agreſte illud & ſordidum plauſtrum, tempeſtive capax cujuslibet fulgentiſſimi triumphalis currus, vel æquaverit gloriam, vel anteceſſerit.

DE CAIO FABIO.

Eadem Reipublicæ tempeſtate C. Fabius Dorſo memorabile exemplum ſervatę religionis dedit. Namque Gallis Capitolium obſidentibus: ne ſtatutum Fabiæ gentis ſacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humeriſque ſacra gerens, per medias hoſtium ſtationes, in Quirinalem collem pervenit: ubi omnibus ſolemni more peractis, in Capitolium poſt divinam venerationem, victricium armorum perinde ac victor, rediit.

DE P. CORNELIO ET BEBIO Pamphilo Coſſ.

Magna conſervandę religionis etiam Pub. Cornelio, & Bebio Pamphilo Coſſ. apud majores noſtros acta cura eſt. Siquidem agro Lucii Petilii ſcribę ſub Janiculo cultoribus terram altius verſantibus: duabus arcis lapideis repertis: quarum in altera ſcriptura indicabat corpus Numæ, Pomponii filii fuiſſe: (2) in altera libri reconditi erant, Latini ſeptem de jure p[illegible]

(1) *Ceremoniæ.* (2) *Numæ corpus & xiiii. libri legati*

tificum, totidemque Græci de disciplina sapientiæ: Latinos magna diligentia asservandos curaverunt: Græcos, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, Petilius prætor Urbanus ex autoritate senatus per Victimarios facto igne, in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quicquam in hac civitate asservari, quo animi hominum à Deorum cultu avocarentur.

DE TARQUINIO REGE.

Tarquinius autem Rex M. Tullium Duumvirum, quòd librum secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptum Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit: idque suplicii genus non multo pòst parricidis lege irrogatum est. Justissimè quidem: quia pari vindicta parentum, ac deorum violatio expianda est.

DE MARCO REGULO ATTILIO.

Sed quæ ad custodiam religionis attinent, nescio an omnes M. Attilius Regulus præcesserit, qui ex victore speciosissimo insidiis Hasdruali, & Xantippi Lacedonii ducis, ad miserabilem captivi fortunam deductus, ac missus ad S. P. Q. R. legatus, ut ex se & uno, & sene complures Pœnorum juvenes pensarentur: in contrarium dato consilio, Carthaginem petiit: non ignarus ad quàm crudelem, quamque etiam merito sibi infestos eos reverteretur, verum quia his juraverat, si captivi eorum redditi non forent, ad eos se rediturum. Potuerunt profecto Dii immortales efferatam mitigare sævitiam: cetesum quo clarior esset Attilii gloria, Carthaginienses moribus suis usi passi sunt: tertio Punico bello religiosissimi spiritus tam crudeliter vexati, Urbis eorum interitu, justa exacturi pia-

Quanto noſtræ civitatis Senatus venerabilior in Deos? qui poſt Cannenſem cladem decrevit, ne matronæ ultra trigeſimum diem luctus ſuos extenderent, uti ab his ſacra Cereris peragi poſſent: quia majore penè Romanorum virium parte in execrabili, ac diro ſolo jacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque matres, ac filiæ, conjugeſque, & ſorores nuper interfectorum abſterſis lachrymis, depoſitiſque doloris inſignibus, candidam induere veſtem, & aris thura dare coactæ ſunt: qua quidem coſtantia obtinendæ religionis, magnus cœleſtibus injectus eſt rubor ulterius adverſus eam ſæviendi gentem, quæ ne injuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu abſterreri potuerit.

DE PERSARUM IN APOLLINEM Religione.

Perſæ mille navium numero Delum compulſi, Templo Apollinis religioſas potius manus, quàm rapaces adhibuerunt.

DE RELIGIONE ATHENIENSIUM, qui philoſophos etiam irreligioſe diſputantes non tulerunt.

Athenienſes Diagoram philoſophum pepulerunt, quia ſcribere auſus fuerat, primum ignoraſſe an Dii eſſent: deinde ſi ſunt, quales ſint. Iidem Socratem damnaverunt, quòd novam religionem introducere videbatur. Iidem Phidiam tulerunt, quandiu is marmore potius, quàm ebore Minervam fieri debere dicebat, quòd diutius nitor effet manſurus; ſed ut adiecit, & vilius, tacere juſſerunt.

DE NEGLECTA RELIGIONE.

CAP. II.

DE VARRONE CONSULE DIMICANTE CUM *Carthaginiensibus.*

CReditum est Varronem Consulem apud Cannas cum Carthaginiensibus tàm infeliciter dimicasse ob iram Junonis, quod cum ludos Circenses Ædilis faceret in Jovis Optimi Maximi Templo, eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuisset: Quòd factum post aliquot annos memoria repetitum, sacrificiis expiatum est.

DE POTITIO NON OBSERVANTE *Sacra.*

Hercules quoque detractæ religionis suæ & gravem, & manifestam pœnam exegisse traditur. Nam cum Potitii sacrorum ejus ritum, quem pro dono genti eorum ab ipso assignatum, velut hæreditarium obtinuerant, autore Appio Censore, ad humile servorum ministerium transtulissent: omnes qui erant numero super xxx. puberes, intra annum extincti sunt. Nomenque Potitium in duodecim familias divisum propè interiit. Appius verò luminibus captus est.

DE APOLLINE VINDICANTE SE DE *Sacrilegio.*

Acer etiam sui numinis vindex Apollo, qui Carthagine à Romanis oppressa, veste aurea nudatus, id egit, ut sacrilegæ manus inter fragmenta ejus abscissæ invenirentur. Brennus Gallorum dux Delphis Apolli-

linis Templum ingreſſus, Dei voluntate in ſe manus vertit.

DE TURULIO.

Nec minus efficax ultor contemptę religionis filius quoque ejus Æſculapius: Qui conſecratum Templo ſuo lucum à Turulio prętecto Antonii, ad naves ei faciendas, magna ex parte ſucciſum dolens, inter ipſum nefarium miniſterium, devictis partibus Antonii, Imperio Cæſaris morti deſtinatum Turulium, manifeſtis numinis ſui viribus, in eum locum, quem violaverat, traxit: effecitque, ut ibi potiſſimum à militibus Cæſarianis occiſus, eodem exitio, & everſis jam arboribus pœnas lueret, & adhuc ſuperantibus, impunitatem conſimilis injurię pareret: ſuamque venerationem, quam apud colentes maximam ſemper habuerat, Deus multiplicavit.

DE QUINTO FULVIO.

Quintus autem Fulvius Flaccus impune non tulit, quòd in cenſura tegulas marmoreas ex Junonis Laciniæ Templo in ædem Fortunę Equeſtris, quàm Romæ faciebat, tranſtulit. Negatur enim poſt hoc factum mente conſtitiſſe: quin etiam per ſummam ægritudinem animi expiravit, cum ex duobus filiis in Illyrico militantibus, alterum deceſsiſſe, alterum graviter audiſſet affectum: cujus caſu motus Senatus, tegulas Locros reportandas curavit: decretique circunſpectiſsima ſanctitate impium opus Cenſoris retexuit.

DE PLEMINIO LEGATO SCIPIONIS.

Tàm meherele, quàm Pleminii legati Scipionis in theſauro Proſerpinæ ſpoliando ſceleratam avaritiam juſta animadverſione vindicavit. Cum enim

vinctum Romam protrahi jussisset, ante causæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi consumptus est: pecuniam Dea ejusdem Senatus imperio, & quidem summam duplicando, recuperavit. Quæ quòd ad Pleminii facinus pertinuit, bene à patribus C. judicata. (1) Quòd ad violentas regis Pyrrhi sordeis attinuerat, seipsam potenter atque efficaciter defendit: coactis enim Locrensibus ex thesauro ejus, magnam illi pecuniam dare: cum onustus nefaria præda navigaret, vi subitę tempestatis tota cum classe, vicinis Deę littoribus illisus est: in quibus pecunia incolumis reperta, sanctissimi thesauri custodię restituta est.

EXTERNA.

DE MASINISSA REGE.

At non similiter Masinissa Rex Numidarum: cujus cum præfectus classis Melitam appulisset, eque fano Junonis denteis eburneos eximię magnitudinis sublatos, ad eum pro dono attulisset: ut comperit unde advecti essent, quinqueremi reportandos Melitam, inque Templo Junonis collocandos curavit, insculptos gentis suæ litteris, significantibus regem ignorantem eos accepisse, libenter Deę reddidisse. Factum Masinissæ animo, quàm Puniço sanguini conveniens: quamquam qui attinet mores natione pendi? in media barbaria ortus, sacrilegium rescidit alienum.

DE DIONYSIO SYRACUSANO.

Syracusis genitus Dionysius, tot sacrilegia sua, quot jam recognoscimus, jocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit: (2) fano enim Proserpinæ spoliato Locris, cum per altum, secundo vento classe ve-

(1) *Pyrrhi sordes.* (2) *Proserpinæ fanum.*

veheretur: ridens amicis, Videtis ne, ait, quàm bona navigatio ab ipsis Diis immortalibus sacrilegis tribuatur? (1) Detracto etiam Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum Tyrannus Hiero è manubiis Carthaginiensium ornaverat: Injectoque ei laneo pallio: dixit, Æstate te gravem esse aureum amiculum, hyeme frigidum: laneum autem ad utrumque tempus anni aptius. Idem Epidauri Æsculapio barbam auream demi jussit: Quòd affirmaret, non convenire patrem Apollinem imberbem: ipsum vero barbatum conspici. Idem mensas argenteas, atque aureas è fanis sustulit. Quodque in his more Græciæ scriptum erat, bonorum deorum eas esse: Uti se bonitate eorum prædicavit. Idem victorias aureas, & pateras, & coronas, quę simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat: & eas se accipere, non auferre, dicebat: perquàm stultum esse argumentando, à quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere. Qui tametsi debita supplicia non exolvit: dedecore tamen filii, mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira: tarditatemque suplicii, gravitate compensat.

DE THYMASITHEO PRINCIPE Liparitanorum.

In quam ne incideret Thymasitheus Liparitanorum princeps, consilio sibi aliter, atque universæ patriæ, utili providit exemplo. Excepta nanque in freto à civibus suis piraticam exercentibus magni ponderis aurea cratera, incitatoque ad eam partiendam populo: ut comperit à Romanis Pythio Apollini decimarum nomine dicatam, eam Delphos perferendam curavit.

(1) *Jovis Pallium.*

DE VINDICTA CERERIS IN Alexandri milites exercita.

Milesia Ceres Mileto ab Alexandro capta, milites, qui Templum spoliaturi irruperant, flamma objecta privavit oculis.

DE DIOMEDONTE.

Diomedon unus ex decem ducibus, qui eadem pugna Athenienſibus victoriam, ſibi verò damnationem pepererunt: cum jam ad meritum ſupplicium duceretur: nihil aliud locutus eſt quàm ut vota pro incolumitate exercitus ab ipſo nuncupata ſolverentur.

DE SIMULATA RELIGIONE.

CAP. III.

NUma Pompilius, ut Populum Romanum ſacris obligaret: volebat videri ſibi cum dea Ægeria congreſſus eſſe nocturnos: ejuſque monitu, ſe, quæ accepta Diis immortalibus ſacra forent, inſtituere.

DE SCIPIONE AFRICANO.

Scipio Africanus non antè ad negotia publica, vel privata ibat, quàm in cella Jovis Capitolini moratus fuiſſet: & ideo Jove genitus credebatur.

DE L. SYLLA.

L. Sylla quoties prælium committere deſtinabat, parvum Apollinis ſignum Delphis ſublatum, in conſpectu militum complexus, orabat uti promiſſa maturaret.

DE Q. SERTORIO.

Q. Sertorius per aſperos Luſitaniæ colles Cervam al-

albam trahebat : ab ea se, quænam aut agenda, aut vitanda essent, prædicans admoneri.

EXTERNA.

DE MINOE CRETÆ INSULÆ REGE.

Minos Cretensium Rex nono quoque anno quoddam præaltum, & vetusta religione consecratum specus secedere solebat : & in eo moratus, tanquam à Jove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat.

DE PISISTRATO ATHENIENSIUM Tyranno.

Pisistratus in recuperandam tyrannidem, quam amiserat, simulatione reducentis se in arcem Minervæ est usus : cum per ostentationem ignotæ mulieris, quæ Phia vocabatur, formatæ ad habitum Deæ, Atheniensis deciperet.

DE LYCURGO LACEDEMONIORUM Legislatore.

Lycurgus consilio Apollinis gravissimè Lacedæmoniorum civitati leges compositas ferre se persuasit.

DE SELEUCHO.

Seleuchus sub nomine Minervæ apud Locrenses prudentissimus habitus est. Bacchanalium sacrorum mos novus instituturus, cum ad pernicioſam vesaniam iretur, sublatus est.

LIBER I.

DE AUSPICIIS.

CAP. IV.

DE LUCTATIO.

LUctatius, qui primum Punicum bellum confecit, à senatu prohibitus est sortes Fortunæ Prænestinæ audire. Auspiciis enim patris, non alienigenis Rempub. administrare oportere judicabant.

DE C. CORNELIO HISPALO.

Cajus Cornelius Hispalus prætor peregrinus M. Pompilio Lenate, L. Calp. consulib. edicto Chaldæos circa decimum diem abire ex Urbe, atque Italia jussit: levibus, & ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes.

Idem, qui Sabazii Jovis cultu sublato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.

DE L. ÆMILIO PAULO.

Lucius Æmilius Paulus consul, cum Senatus Isidis & Seraphicis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet: posita prætexta securim arripuit, templique ejus foribus infixit.

DE L. TARQUINIO.

Lucius Tarquinius Rex centuriis equitum, quas Romulus auspicatò conscripserat, alias adjicere cupiens: cum ab Decio Accio Navio augure prohiberetur: offensus interrogavit, Posset ne fieri, quòd ipse mente conceperat? posse fieri dicente: jussit novacula cotem discindi: qua Decius allata, administrato in-

cre-

credibili facto, effectum suæ perfectionis oculis regi subjecit.

DE TIBERIO GRACCHO.

Tiberius Gracchus, cum ad res novas pararetur, auspicia domi prima luce petiit: quę illi perquam tristia responderunt: & janua egressus ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur: tres deinde corui in eum adversum occinentes, partem tegulę decussam ante ipsum protulerunt: quibus omnibus contemptis, à Scipione Nasica Pontifice maximo decussus Capitolio, fragmento subsellii ictus procubuit.

DE PUBLIO CLAUDIO.

Publius Claudius bello Punico primo, cum prœlium navale committere vellet, auspiciaque more majorum petiisset, & pullarius non exire pullos cavea nuntiasset: abjici eos in mare jussit: dicens, Quia esse nolunt, bibant.

DE L. JUNIO.

Lucius Junius Pu. Cl. collega neglectis auspiciis classem tempestate amisit: damnationisque ignominiam voluntaria morte prævenit.

DE METELLO.

Cum Metellus Pontifex Maximus, Tusculanum peteps iret: corvi duo in os ejus adversum volantes impedientes advolaverunt: vixque extuderunt, ut domum rediret: insequente noctu ędes Vestę arsit; quo incendio, Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume servavit.

DE MARCO TULLIO CIC.

Marco Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est: cum enim in villa Cajetana esset, corvus

conſpectu ejus horologii ferrum loco motum excuſsit, & protinus ad ipſum tetendit, ac laciniam togæ eò uſque morſu tenuit, donec ſervus ad occidendum eum milites veniſſe nuntiaret.

DE MARCO BRUTO.

Marcus Brutus cum reliquias exercitus ſui adverſus Cęſarem & Antonium eduxiſſet, duæ Aquilę ex diverſis caſtris advolaverunt, & edita inter ſe pugna, ea quæ ex parte Bruti fuerat, male mulctata fugit.

EXTERNA.

DE REGE ALEXANDRO:

Cum Rex Alexander Urbem in Ægypto conſtituere vellet: architectus Democrates cum cretam non haberet, polentaque futuræ Urbis lineamenta deduxiſſet: ingens avium multitudo primo lacu emerſa, polentam depaſta eſt: quod ſacerdotes Ægyptiorum interpretati ſunt advenarum frequentię alimentis ſuffecturam Urbem.

DE DEIOTARO REGE.

Dejotaro verò Regi omnia ferè auſpicata gerenti ſalutaris aquilę conſpectus fuit: qua viſa, abſtinuit ſe ab ejus tecti uſu: quod nocte inſequenti, ruina ſolo æquatum eſt.

DE OMINIBUS.

CAP. V.

OMinum etiam obſervatio aliquo contactu religionis innexa eſt: quoniam non fortuito motu, ſed divina providentia conſtare creditur: quę effecit, ut Urbe à Gallis deleta, deliberantibus P. C. utrum Veios migrarent, an ſua mœnia reſtituerent: forte ea tem-

tempore è præsidio cohortibus redeuntibus, centurio in Comitio exclamaret, Signifer, statue signum: hic optime manebimus: ea enim voce audita, Senatus accipere omen se respondit, vestigioque Veios transeundi consilium omisit. Quam paucis verbis de domicilio futuri summi imperii confirmata est conditio. Credo indignum Dus existimantibus, prosperis auspiciis Romanum nomen ortum, Veientanq; Urbis appellatione mutari: inclytæque victoriæ decus modo abiectæ Urbis ruinis infundi. Hujus tam præclari operis autor Camillus, cum esset precatus, ut si cui Deorum nimia felicitas Populi Rom. videretur, ejus invidia, suo aliquo incommodo satiaretur: subito lapsu decidit, quod omen ad damnationem, qua postea oppressus est, pertinuisse visum est: merito autem de laude inter se, victoria, & pia precatio amplissimi viri certaverunt: æque enim virtutis est & bona patriæ auxisse, & mala in se transferre voluisse.

De Lucio Paulo et Filia.

Quid illud, quod L. Paulo consuli evenit, quàm memorabile? cum ei sorte evenisset, ut bellum cum Rege Persa gereret, & domum è curia regressus, filiolam suam nomine Tertiam, quæ tum erat admodum parvula, osculatus: tristem animadverteret: interrogavit, quid ita eo vultu esset? Quę respondit, Persam periisse, decesserat autem catellus, quem puella in deliciis habuerat, nomine Persa: arripuit igitur omen Paulus, eque fortuito dicto, quasi certam spem clarissimi triumphi animo præsumpsit.

De Caecilia Metelli.

At Cęcilia Metelli dum sororis filiæ, adultæ virginis, more prisco, nocte concubia nuptias

petit, omen ipsa fecit: nam cum in sacello quodam ejus rei gratia aliquandiu persedisset, nec aliqua vox proposito congruens esset audita: fessa longa stándi mora puella, rogavit materteram, ut sibi paulisper locum residendi accommodaret: cui illa: Ego verò, inquit, libenter tibi mea sede cedo. Quod dictum ab indulgentia profectum, ad certi ominis processit eventum: quoniam Metellus non multo pòst, mortua Cęcilia, virginem de qua loquor, in matrimonium duxit.

DE CAIO MARIO ET OMINIS OBSERVATIONE.

Caio autem Mario observatio ominis proculdubio saluti fuit, quo tempore hostis à Senatu judicatus, in domum Fanniæ Minturnis custodiæ causa deductus est: animadvertit enim Asellum, cum ei pabulum objiceretur, neglecto eo, ad aquam procurrentem: quo spectaculo, Deorum providentia quod sequeretur, oblatum ratus: alioqui etiam interpretandarum religionum peritissimus: à multitudine, quę ad opem illi ferendam confluxerat, impetravit, ut ad mare perduceretur: ac protinus naviculam conscendit: eaque in Africam provectus, arma Syllæ victricia effugit.

DE POMPEIO MAGNO.

Pompejus verò Magnus in acie Pharsalica victus à Cęsare, fuga quærens salutem, cursu in insulam Cyprum (ut aliquid in ea virium contraheret) classem direxit: appellensque ad oppidum Paphum, conspexit in littore speciosum ædificium: gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset: qui respondit *kakobasileà* vocari: quæ vox spem ejus, quantulacunque restabat, comminuit. Neque id dissimulanter tulit:

avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit.

DE MARCO BRUTO.

Marci etiam Bruti dignus, admisso parricidio, eventus est omine designatus: siquidem post illud nefarium opus, natalem suum celebrans, cum Græcum versum exprimere vellet: ad illud potissimum Homericum referendum animo tetendit:

Me verum perimat Fatum, genitusque Latonâ (1)

qui deus Philippensi acie, à Cæsare & Antonio signo datus, in eum tela convertit.

DE CAIO CASIO.

Consentaneo vocis jactu C. Cassii aurem fortuna pervellit: quæ orantibus Rhodiis, ne ab eo cunctis deorum simulachris spoliarentur, Solem à se relinqui respondere voluit: ut rapacissimi victoris insolentiam dicti tumore protraheret: abjectumque Macedonica pugna, non effigiem Solis, quam tantummodo supplicibus cesserat: sed ipsum Solem revera relinquere coëgit.

DE PETILIO.

Annotatu dignum illud quoque omen, sub quo Petilius consul in Liguria bellum gerens occideret. Nam cum montem, cui Letum cognomen erat, oppugnaret: interque adhortationem militum dixisset: hodie ego Letum utique capiam: inconsideratius præliando, fortuitum jactum vocis leto suo confirmavit.

DE EXTERNIS OMINIBUS.

Adjici nostris duo ejusdem generis alienigenum exempla non absurde possunt. Samii Prienensibus auxilium adversus Carras implorantibus, arrogan-

(1) *Iliad.* 17.

inſtincti, pro claſſe & exercitu, Sibyllam eis deriſus gratia miſerunt, quam illi velut divinitus datum præſidium interpretati, libenter receptam, vera fatorum prædictione, Victoriæ ducem habuerunt.

DE APOLLONIATARUM OMINE.

Ne Apolloniatæ quidem pœnitentiam egerunt, quòd cum bello Illyrico preſsi, Epidamnios, ut ſibi opem ferrent, oraſſent: atque illi flumen vicinum mœnibus ſuis nomine Æantem in adjutorium ſe mittere dixiſſent: Accipimus, quod datur, reſponderunt: eique primum in acie locum, perinde ac duci aſsignaverunt: ex inſperato enim ſuperatis hoſtibus, ſucceſſum ſuum omini acceptum referentes, & tunc Æanti ut deo immolaverunt, & deinceps omnibus prœliis duce uti inſtituerunt.

DE PRODIGIIS.

CAP. VI.

DE SERVIO TULLO.

PRodigiorum quoque, quæ aut adverſa, aut ſecunda acciderunt, debita propoſito noſtro relatio eſt. Servio Tullo etiam tum puerulo dormienti circa caput flammam emicuiſſe domeſtici oculi annotaverunt. Quod prodigium Priſci Tarquinii regis uxor Tanaquil admirata, Servium ſerva natum, in modum filii educavit, & ad regium faſtigium evexit.

DE MARTIO.

Æquè felicis eventus illa flamma: quæ ex L. Martii ducis duorum exercituum, quos interitus Publii, & Cnei Scipionum in Hiſpania debilitaverat, capite con-

cionantis eluxit. Nanque ejus aſpectu pavidi audhuc milites, priſtinam recuperare fortitudinem admoniti: octo & triginta hoſtium millibus cæſis, magnoque numero in poteſtatem redacto, bina caſtra, Punicis opibus referta, ceperunt.

DE LACU ALBANO.

Item cum bello acri, & diutino Veientes à Romanis intra mœnia compulſi, capi non poſſent, eaque mora non minus obſidentibus, quàm obſeſis inſolerabilis videretur, exoptatę victorię iter miro prodigio Dii immortales patefecerunt. Subito enim Albanus lacus, neque cœleſtibus auctus imbribus, neque inundatione ullius amnis adjutus, ſolitum ſtagni modum exceſsit: cujus rei explorandę gratia, legati ad Delphicum oraculum miſsi, retulerunt præcipi ſortibus, ut aquam ejus lacus emiſſam, per agros diffunderent, ſic enim Veios in poteſtatem Populi Romani venturos. Quod prius quàm legati renuntiarent, Aruſpex Veientium à milite noſtro (quia domeſtici interpretes deerant) raptus, & in caſtra perlatus, futurum dixerat. Ergo ſenatus duplici prędictione monitus, eodem penè tempore, & religioni paruit, & hoſtium Urbe potitus eſt. Nec parum proſperi ſucceſſus eſt, quod ſequitur.

DE LUCIO SYLLA CONSULE.

Lucius Sylla Conſul Sociali bello cum in agro Nolano ante prætorium immolaret, ſubitò ab una parte aræ prolapſam anguem proſpexit: qua viſa, Poſthumi aruſpicis hortatu continuo exercitum in expeditionem eduxit, ac fortiſsima Samnitum caſtra cepit: quę victoria futurę ejus ampliſsimæ potentiæ gradus, & fundamentum extitit.

DE CAIO VOLUMNIO ET SERVIO *Sulpitio.*

Præcipuę admirationis etiam illa prodigia, quæ C. Volumnio, & Ser. Sulpitio Conſ. in Urbe noſtra inter initia, motuſque bellorum acciderunt. Bos nanque mugitu ſuo in ſermonem humanum converſo, novitate monſtri, audientium animos exterruit. Carnis quoque in modum nimbi diſsipatę partes ceciderunt: quarum majorem numerum præpetes diripuere aves, reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi aſpectu mutatum, jacuit. Ejuſdem generis monſtra alio tumultu credita ſunt, puerum infantem ſemeſtrem in foro Boario triumphum proclamaſſe. Alium cum elephantino capite natum. In Piceno lapides pluiſſe. In Gallia lupum vigili è vagina gladium abſtuliſſe. In Sicilia ſcuta duo ſanguinem ſudaſſe. Etiam metentibus cruentas ſpicas in corbem decidiſſe. Cerites aquas ſanguine miſtas fluxiſſe. Bello etiam Punico ſecundo conſtitit Cn. Domitio bovem dixiſſe: Cave tibi Roma.

DE CAIO FLAMINIO.

Cajus autem Flaminius inauſpicatò conſul creatus, cum apud lacum Traſimenum, cum Annibale conflicturus, convelli ſigna juſiſſet, lapſo equo, ſuper caput ejus humi proſtratus eſt: nihilque eo prodigio inhibitus, ſigniferis ſigna moveri ſua ſede poſſe negantibus, malum, ni continuò ea effodiſſent, minatus eſt. Verum hujus temeritatis utinam ſua tantum, non etiam Pop. Rom. maxima clade pœnas pependiſſet: in ea nanque acie xv. millia Romanorum cęſa, vi. millia capta, xx. millia fugata ſunt. Conſulis obtruncati corpus ad funerandum ab Annibale quęſitum eſt: qui quantum

in ipso fuerat, Romanum sepelierat imperium.

DE C. HOSTILIO.

Flaminii autem præcipitem audaciam C. Hostilius Mancinus væsana perseverantia subsequitur: cui consuli in Hispaniam ituro hæc prodigia acciderunt: cum Lanuvii sacrificium facere vellet, pulli cavea emissi in proximam silvam fugerunt, summaque diligentia quæsiti reperiri nequiverunt: cumque ab herculis portu, quò pedibus pervenerat, navem conscenderet, talis vox sine ullo autore ad aures ejus pervenit: Mancine mane, qua territus, cum itinere converso Genuam petisset, & ibi scapham esset ingressus: anguis eximiæ magnitudinis visus è conspectu abiit: ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquavit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funesta.

ALIUD DE TITO GRACCHO.

Minus miram in homine parum considerato temeritatem Titi Gracchi gravissimi civis exitus tristis, & prodigio denunciatus, nec evitatus consilio, facit. Consul enim cum in Lucanis sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi, repente hostiæ, quam immolaverat, adeso jecinore, in easdem latebras se retulerunt. ob id deinde factum, instaurato sacrificio idem prodigii evenit. Tertia quoque cæsa victima, diligentiusque asservatis extis, neque allapsus serpentum arceri, neque fuga impediri potuit: quod quamvis Aruspices ad salutem imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen non cavit, ne perfidi hospitis sui Flavii insidiis, in eum locum deductus, in quo Pœnorum Dux Mago cum armata manu delituerat, inermis occideretur.

DE

DE MARCELLO.

Et consulatus collegium, & erroris societas, & par genus mortis à Tito Graccho, ad Marcelli memoriam me trahit. Is enim captarum Syracularum, & Annibalis ante Nolana mœnia à se primum fugere coacti, gloria inflammatus, cum summo studio niteretur, ut Pœnorum exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, solemnique sacrificio voluntates Deorum exploraret: quæ prima hostia ante foculum decidit, ejus jecur sine capite inventum est: proxima jecinoris duplex caput habuit: quibus inspectis Aruspex tristi vultu, non placere sibi exta, quia prima trunca, secunda nimis læta apparuissent, respondit. Ita monitus M. Marcellus ne quid temere conaretur: insequenti nocte speculandi gratia cum paucis egredi ausus, à multitudine hostium in Brutiis circunventus, eque magnum dolorem, ac detrimentum patriæ, interitu suo attulit.

DE OCTAVIO CONSULE.

Jam Octavius Consul dirum omen quemadmodum timuit, ita vitare non potuit: è simulachro enim Apollinis per se abrupto capite, & ita infixo humi, ut avelli nequiret, armis à collega suo Cinna dissidens, præsumpsit animo ea re significari exitum suum: in quem metus augurii tristi fine vitæ incidit, ac tum demum immobile Dei caput terra refigi potuit.

DE M. CRASSO.

Non finit nos M. Crassus inter gravissimas Rom. Imperii jacturas numerandus, hoc loco de se silentium agere; plurimis, & evidentissimis, ante tantam ruinam monstrorum pulsatus ictibus (ducturus enim erat à Carris adversus Parthos exercitum) pullum ei

tra-

traditum eſt paludamentum, cum in prælium exeuntibus album, aut purpureum dari ſoleret: mœſti, & taciti milites ad principia convenerunt, qui vetere inſtituto cum clamore alacri accurrere debebant: aquilarum altera vix convelli à primipilo potuit: altera ægerrime extracta in contrariam, ac ferebatur, partem ſeipſam convertit.

Magna hæc prodigia: ſed & illę clades aliquanto majores: tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa ſigna hoſtilibus intercepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus Barbarorum obtritum equitatu, optimę indolis filii cruore paterni reſperſi oculi, corpus Imperatoris inter promiſcuas cadaverum ſtrues, avium, ferarumque laniatibus objectum: vellem quidem placidius, ſed relatu verum eſt. Sic Deorum ſpreti præmonitus excandeſcunt. Sic humana conſilia caſtigantur, ubi ſe cœleſtibus præferunt.

DE CN. POMPEIO.

Cneum etiam Pompejum Jupiter omnipotens abunde monuerat, ne cum C. Cęſare ultimam belli fortunam experiri contenderet: egreſſo à Dyrrachio adverſa agmini ejus fulmina jaciens, examinibus apum ſigna obſcurando, ſubita triſtitia implicatis militum animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipſis altaribus hoſtiarum fuga, ſed invictæ leges neceſſitudinis, pectus alioqui procul ab amentia remotum, prodigia iſta juſta æſtimatione perpendere paſſę non ſunt. Itaque dum ille elevat autoritatem ampliſſimam, & opes privato faſtigio excelſiores, omnia ornamenta, quæ ab ineunte adoleſcentia ad invidiam uſque contraxerat, ſpatio unius diei confregit. Qui conſtat in delubris Deûm, ſua ſponte ſigna conver-

tui-

militarem clamorem, ſtrepitumque armorum, adeo magnum Antiochię, & Ptolemaide auditum, ut in muros concurreretur: ſonum tympanorum Pergami abditis delubris editum: palmam viridem Trallibus in ęde Victorię, ſub Cæſaris ſtatua inter coagmenta lapidum juſtę magnitudinis enatam: quibus appareret cœleſtium numen, & Cæſaris glorię faviſſe, & Pompeji errorem inhibere voluiſſe. Tuas aras, tuaque ſanctiſsima templa, Dive Juli veneratus oro, ut propitio, ac faventi numine tantorum caſus virorum ſub tui exempli præſidio, ac tutela deliteſcere patiaris. Te enim accepimus, eo die, quo purpurea veſte velatus aurea in ſella conſediſti, ne maximo ſtudio Senatus exquiſitum, & delatum honorem ſpreviſſe videreris: prius quàm exoptatum civium oculis conſpectum tui offerres, cultui religionis, in quam mox eras tranſiturus, vacaſſe: mactatoque optimo bove cor in extis non reperiſſe: ac reſponſum tibi à Spurina Aruſpice, pertinere id ſignum ad vitam, & conſilium tuum, quod utraque hęc corde continerentur: erui deinde eorum parricidium, qui dum te hominum numero ſubtrahere volunt, Deorum conſilio adjecerunt. Claudatur hoc exemplo talium oſtentorum domeſtica relatio, ne ſi ulterius Romana apprehendero, è cœleſti templo ad privatas domos, non conſentaneos uſus tranſtuliſſe videar. Attingam igitur externa: quæ latinis inſerta litteris, ut autoritatis minus habent, ita aliquid gratæ varietatis afferre poſſunt.

EXTERNA.

DE EQUA PARIENTE LEPOREM.

In exercitu Xerxis, quem adverſus provinciam Græciam contraxerat, equę partu leporem editum con-

constat : quo genere monstri tanti apparatus significatus est eventus. Nam qui Mare classibus, Terram pedestri operuit exercitu, ut fugax animal, pavido regressu regnum suum repetere est coactus. Eidem montem Athon juxta Idam transgresso, prius quàm Athenas deleret, Lacedæmonis invadendæ consilium agitanti, admirabile inter cœnam prodigium incidit : infusum nanque pateræ ejus vinum, in sanguinem nec semel, sed iterum, & tertio conversum est. Qua de re consulti magi monuerunt, ut se ab incepto proposito abstineret : & si quod vestigium in vecordi pectore sensus fuisset, cavere potuisset, antè à Leonida, & Spartanis abunde monitus.

DE MIDA.

Midę vero, cujus Imperio Phrygia fuit subjecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde ejus, quorsum prodigium tenderet explorantibus, Augures responderunt, omnium illum mortalium futurum ditissimum : nec vana prędictio extitit : Nam Midas cunctorum penè regum opes, abundantia pecunię anteceſsit : infantiæque incunabula utili Deorum munere donata, onustus auro, atque argento gazis pensavit.

DE PLATONE ALIUD MIRUM.

Formicis Midæ, jure meritoque apes Platonis prætulerim : illę enim caducæ, ac fragilis, hæ solidę, & ęternę felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis parvuli labellis mel inserendo. Qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam dixerunt. At mihi quidem illæ apes non montem Hymettum thymi flore redolentem, sed Musarum Helicona colles omni ge[illegible]

doctrinę virentes, Dearum instinctu depastę, maximo ingenio dulcissima alimenta summę eloquentiæ instillasse videntur.

DE SOMNIIS.

CAP. VII.

SEd quoniam divitias Midæ, disertumque Platonis somnum attigi: referam, quàm certis imaginibus, multorum quies adumbrata sit: quem locum unde potius ordiar, quàm à Divi Augusti sacratissima memoria? Ejus medico Artorio somnum capienti nocte, quam dies insecutus est, quo in campis Philippicis Romani inter se exercitus concurrêre, Minervę species oborta præcepit, ut illum gravi morbo implicitum moneret, ne propter adversam valetudinem proximo prelio non interesset. Quod cum Cęsar audisset, lectica se deferri in aciem jussit: ubi dum supra vires corporis pro adipiscenda victoria excubat, castra ejus à Bruto capta sunt. Quid ergo aliud putamus, quàm divino munere effectum, ne destinatum jam immortalitati caput, indignam cœlesti spiritu Fortunę violentiam sentiret? Augustum vero pręter naturalem animi in omnibus rebus subtiliter prospiciendis vigorem, etiam recens, & domesticum exemplum, ut Artorii somnio obtemperaret, admonuit. Audiverat enim Divi Julii patris sui uxorem Calphurniam nocte, quam is ultimam in terris egit, in quiete vidisse, multis eum confectum vulneribus in suo sinu jacentem: somniique atrocitate vehementer exterritam, rogare non destitisse, ut proxima die à curia se abstineret. At illum, ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, senatum, in quo ei parricida-

rum

rum manus allatæ ſunt, adire contendiſſe. Non eſt inter patrem, & filium ullius rei comparationem fieri: præſertim divinitatis faſtigio junctos: ſed jam alter operibus ſuis aditum ſibi ad cœlum inſtruxerat, alteri longus adhuc terreſtrium virtutum orbis reſtabat. Quapropter ab hoc tantummodo pendentem mutationem ſtatus cognoſci, ab illo etiam differri Dii immortales voluerunt, ut aliud cœlo decus daretur, aliud promitteretur.

DE P. DECIO, ET T. MANLIO Torquato.

Illud etiam ſomnium magnæ admirationis, & clari exitus, quod eadem nocte duo Coſſ. P. Decius & T. Manlius Torquatus, Latino bello, & gravi, & periculoſo; non procul à Veſuvii montis radicibus poſitis caſtris viderunt. Utrique enim quidam per quietis ſpeciem prædixit, ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum, diis Manibus, Matrique Terræ deberi. Utrius autem dux copias hoſtium aggrederetur, ſuperque eas ſeſe ipſum devoviſſet, victoriam habiturum: id luce proxima Coſſ. ſacrificio, vel expiaturis, ſi poſſet averti, vel ſi certum Deorum etiam monitu viſum foret, executuris: hoſtiarum exta ſomnio congruerunt. Convenitque inter eos, cujus cornu prius laborare cœpiſſet, ut is capite ſuo fata patriæ haberet, quæ neutro formidante, Decium depoposcerunt.

Sequitur æquè ad publicam religionem pertinens ſomnium. Cum plebeis ludis quidam pater familiæ per circum Flaminium, prius quàm pompa induceretur, ſervum ſuum verberibus multatum, ſub furca ſupplicium egiſſet, Latino homini ex plebe Jupiter quiete præcipit, ut Coſſ. diceret, ſibi præſultum

ludis Circenſibus proximis non placuiſſe: Quæ res, niſi attenta ludorum inſtauratione expiata eſſet, ſecuturum non mediocre Urbis periculum. Ille veritus ne cum aliquo incommodo ſuo religione ſummum implicaret imperium, ſilentium egit. Eveſtigioque filius ejus ſubita vi morbi correptus, interiit. Ipſe etiam per quietem ab eodem Deo interrogatus, an ſatis magnam pœnam neglecti imperii ſui pependiſſet, in propoſito perſeverans, debilitate corporis ſolutus eſt: ac tum demum ex conſilio amicorum, lectica ad tribunal Coſſ. & inde ad ſenatum perlatus, ordine totius caſus ſui expoſito, magna cum omnium admiratione, recuperata membrorum firmitate, pedibus domum rediit.

DE M. CICERONE.

Ac ne illud quidem involuendum ſilentio: Inimicorum conſpiratione Urbe pulſus M. Cicero; cum in villa quadam campi Atinatis diverſaretur, is animo in ſomnum profuſo, per loca deſerta, & invias regiones vaganti ſibi C. Marium conſulatus ornatum inſignibus, putavit obvium factum, interrogantem eum, quid ita tam triſti vultu, incerto itinere ferretur: audito deinde caſu, quo conflictabatur, comprehendiſſe dexteram ſuam, ac ſe proximo lictori in monimentum ipſius deducendum tradidiſſe, quod diceret ibi eſſe ei lętiorem ſtatus ſpem repoſitam: nec aliter evenit. Nam in æde Jovis Mariana Senatuſcon. de reditu ejus eſt factum.

DE C. GRACCHO.

Cajo autem Graccho imminentis caſus atrocitas palam, atque aperte per quietem denuntiata eſt: ſomno enim preſſus, Tiberii Gracchi fratris effigiem vidit, dicentis ſibi, nulla ratione eum vitare poſſe, ut

eo

eo fato non periret, quo ipse occidisset. Id ex Gracho prius, quam tribunatum, in quo fraternum exitum habuit, iniret, multi audiverunt. Cœlius etiam certus Romanæ historiæ autor, sermonem de ea re ad suas aures, illo adhuc vivo, pervenisse scribit.

DE CASSIO PARMENSI.

Vincit hujuscemodi somnii dirum aspectum, quod sequitur. Apud Accium M. Antonii fractis opibus, Cassius Parmensis, qui partes ejus secutus fuerat, Athenas confugit: ubi concubia nocte, cum solicitudinibus, & curis, mente sopita, in lectulo jaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba, & capillo demisso. Interrogatumque quisnam esset, respondisse *kakodaimona*. Perterritus deinde tam tetro visu, & nomine horrendo, servos inclamavit. Scisciatusque ab si quem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent: quibus affirmantibus neminem illuc accessisse, iterum quieti & somno se dedit: atque eadem animo ejus obversata est species. Itaque fugato somno, lumen introferri jussit, pueroque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem, & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, parvulum admodum tempus accessit.

DE ATTERIO RUFO.

Propioribus tamen (ut ita dicam) lineis Atterii Rufi equitis Romani somnium certo eventu admonitum est: qui cum gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem Retiarii se manu confodi vidit, idque postero die in spectaculo confessoribus narravit. Incidit deinde, ut proximo ab equite loco, Retiarius cum Mirmillone introduceretur: cujus quem

faciem vidisset, idem dixit ab illo se Retiario trucidari putasse, protinusque inde discedere voluit. Illi sermone suo metu ejus discusso, causam exitii misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso Mirmillone, & abjecto, dum jacentem ferire conatur, transjectum gladio Atterium interemit.

EXTERNA.

DE ANNIBALE.

Annibalis quoque ut detestandum Romano sanguini, ita certæ prædictionis somnium: cujus non vigiliæ tantum, sed etiam ipsa quies, hostilis Imperio nostro fuit: hausit enim proposito & votis suis convenientem imaginem, existimavitque missum sibi à Jove mortali specie excelsiorem juvenem, invadendæ Italiæ ducem: cujus monitu, primo, vestigia nullam in partem secutis oculis, moxque humani ingenii prona voluntate vetita scrutandi pone respiciens, animadvertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu, omne, quidquid obvium fuerat, proterentem: postque eam magno cum cœli fragore erumpentes nimbos, lucemque caliginosis involutam tenebris. Attonitus deinde quidnam esset monstri, ecquid portenderet, interrogavit. Hic Dux: Italiæ vides, inquit, vastitatem: proinde sile, & cætera tacitis permitte fatis.

DE ALEXANDRO.

Quàm bene Macedoniæ Rex Alexander per quietem visa imagine prænonitus erat, ut vitæ suæ custos esset diligentior; si eum etiam cavendi periculi consilio fortuna instruere voluisset. Nanque Cassandri pestiferam sibi dexteram somnio prius cognovit, quàm exitu sensit: existimavit enim se ab illo interfici, cum

eum nunquam vidiſſet. Interpoſito deinde tempore, poſtquam in conſpectum veniſſet, nocturni metus patefacta imagine, ut Antipatri filium eſſe cognovit, adjecto verſu Græco, qui fidem ſomniorum elevat, præparati jam adverſus caput ſuum veneficii, quo occidiſſe Caſſandri manu creditur, ſuſpicionem animo repulit.

DE SIMONIDE POETA.

Longe indulgentius Dii in Poëta Simonide, cujus ſalutarem inter quietem admonitionem conſilii firmitate roboraverunt. Is enim, cum ad littus navem appuliſſet, inhumatumque corpus jacens, ſepulturæ mandaſſet, admonitus ab eo, ne proximo die navigaret: in terra remanſit: qui inde ſolverant, fluctibus, & procellis, in conſpectu ejus obruti ſunt. Ipſe lætatus eſt, quòd vitam ſuam ſomnio quàm navi credere maluiſſet. Memor autem beneficii elegantiſſimo carmine æternitati conſecravit. Melius illi, & diuturnius, in animis hominum ſepulchrum conſtituens, quàm in deſertis, & ignotis arenis ſtruxerat.

DE CROESO.

Efficax & illa quietis imago, quæ Crœſi regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam è duobus filiis, & ingenti agilitate, & corporis dotibus præſtantiorem, imperiique ſucceſſioni deſtinatum Atym exiſtimavit ferro ſibi ereptum. Itaque quicquid ad evitandam denuntiatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura ceſſavit avertere. Solitus erat juvenis ad bella gerenda mitti: domi detentus eſt. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum: id quoque amoveri juſſit. Gladio cinctis comitibus utebatur: vetiti ſunt propius accedere: neceſſitas tamen adiſum luctui dedit.

Cum

Cum enim ingentis magnitudinis aper, Olympi montis culta crebra cum agreſtium ſtrage vaſtaret, inuſitatoque malo regium imploratum eſſet auxilium: filius à patre extorſit, ut ad eum opprimendum mitteretur: eò quidem facilius, quòd non dentis, ſed ferri ſævitia in metu reponebatur. Verum dum acri ſtudio interficiendi ſuem omnes ſunt intenti, pertinax caſus imminentis violentiæ lanceam, petendæ feræ gratia miſſam, in eum detorſit: & quidem eam potiſsimum dexteram nefariæ cædis crimine voluit aſpergi, cui tutela filii à patre mandata erat: quamque Crœſus imprudentis homicidii ſanguine violatam, hoſpitales veritus Deos, ſupplicem ſacrificio expiaverat.

DE CYRO.

Nec Cyrus quidem ſuperior invictæ fatorum neceſsitatis parvulum argumentum eſt: cujus ortus ad imperium totius Aſiæ ſpectantis, maternus avus Aſtyages, duos prænuncios ſomnii fruſtra diſcutere tentavit: Mandanen filiam ſuam, quòd in quiete viderat urina ejus omnes Aſiaticas gentes inundaſſe, non Medorum excellentiſsimo, ne in ejus familiam regni decus transferretur; ſed Perſarum modicæ fortunæ viro collocando, natumque Cyrum exponi jubendo. Quia ſimiliter quietis temporibus exiſtimaverat genitali parte Mandanes enatam vitem eouſque creviſſe, donec cunctas dominationis ſuæ partes inumbraret: fruſtratus eſt enim ſe ipſe, Nepotis felicitatem, cœleſtium judicio deſtinatam, humanis conſiliis impedire conando.

DE DIONYSIO.

Intra privatum autem habitum Dionyſio Syracuſano adhuc ſe continente, Himera quædam, non

obſcuri generis fœmina, inter quietem opinione ſua cœlum conſcendit, atque ibidem Deorum omnium luſtratis ſedibus, animadvertit prævalentem virum flavi coloris, lentiginoſi oris, ferreis catenis vinctum, Jovis ſolio, pedibuſque ſubjectum: interrogatoque juvene, quo gratia conſiderandi cœli duce fuerat uſa, quiſnam eſſet: audivit illum Siciliæ atque Italiæ dirum eſſe fatum, ſolutumque vinculis multis urbibus exitio futurum: quod ſomnium poſtero die ſermone vulgavit. Poſtquam deinde Dionyſium inimica Syracuſarum libertati, capitibuſque inſontium infeſta fortuna cœleſti cuſtodia liberatum, velut fulmen aliquod otio ac tranquilitati injecit. Himera eum, mœnia inter effuſam ad officium & ad ſpectaculum ejus turbam intrantem, ut aſpexit: hunc eſſe, quem in quiete viderat, vociferata eſt. Id cognitum tyranno, curam tollendæ mulieris dedit. Tutioris ſomnii mater ejuſdem Dionyſii: quæ cum eum conceptum utero haberet, parere viſa eſt Satyriſcum: conſultoque prodigiorum interprete, clariſſimum, ac potentiſſimum Graji ſanguinis futurum, certo cum eventu cognovit.

DE AMILCARE.

At Cartaginienſium dux Amilcar, cum obſideret Syracuſas inter ſomnium vocem exaudiſſe credidit nuntiantem, futurum, ut proximo die in ea Urbe cœnaret. Lætus igitur perinde, ac divinitus promiſſa victoria, exercitum pugnæ comparabat: in quo inter Siculos, & Pœnos orta diſſenſione, caſtris ejus Syracuſani ſubita irruptione oppreſsis, ipſum intra mœnia ſua vinctum pertraxerunt. Itaque magis ſpe, quàm ſomnio deceptus, cœnavit Syracuſis captivus: non ut animo præſumpſerat, victor.

DE

DE ALCIBIADE.

Alcibiades quoque miſerabilem exitum ſuum haud fallaci nocturna imagine ſpeculatus eſt, quo enim pallio amicę ſuæ dormiens opertum ſe viderat, eo interfectus, & inſepultus jacens, contectus eſt.

DE DUOBUS ARCADIBUS.

Proximum ſomnium, & ſi paulo eſt longius, propter nimiam tamen evidentiam ne omittatur, impetrat. Duo familiares Arcades iter unà facientes, Megaram venerunt: quorum alter ad hoſpitem ſe contulit, alter in tabernam meritoriam divertit. Is, qui in hoſpitio erat, vidit in ſomniis comitem ſuum orantem, ut ſibi Cauponis inſidiis circunvento ſubveniret, poſſe enim celeri ejus accurſu ſe imminenti periculo ſubtrahi: quo viſo excitatus, proſiluit, tabernamque, in qua is diverſabatur, petere conatus eſt. Peſtifero deinde fato ejus humaniſsimum propoſitum tanquam ſupervacuum damnavit, & lectum, ac ſomnum repetiit. Tunc idem ei ſaucius oblatus obſecravit, ut qui vitę ſuę auxilium ferre neglexiſſet, neci ſaltem ultionem non negaret. Corpus enim ſuum à Caupone trucidatum, tum maxime plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertum: tam conſtantibus familiaris precibus compulſus, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat, comprehendit, Cauponemque ad capitale ſuplicium perduxit.

DE MIRACULIS,

CAP. VIII.

MUlta etiam interdiu, & vigilantibus acciderunt, perinde ac tenebrarum, somniique nube involuta: quę, quia unde manaverint, aut qua ratione constiterint, dignoscere arduum est, merito miracula vocentur. Quorum è magno acervo in primis illud occurrit. Cum apud lacum Regillum Aulus Posthumius dictator, & Tusculanorum dux Manilius Octavius magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquandiu pedem referret, Castor, ac Pollux Romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt.

DE P. VATINIO.

Item bello Macedonico Publius Vatinius, Reatinæ præfecturæ vir, noctu Urbem petens, existimavit duos juvenes excellentis formæ, albis equis residentes, obvios sibi factos nuntiare, die qui præterierat, Persen regem à Paulo captum. Quod cum senatui indicasset, tanquam majestatis ejus, & amplitudinis, vano sermone contemptor, in carcerem conjectus postquam Pauli litteris illo die Persen captum apparuit, & custodia liberatus, & insuper agro, ac vacatione donatus est. Castorem vero, & Pollucem, etiam illo tempore pro imperio P. R. excubuisse cognitum est, quo apud lacum Juturnę suum, equorumque sudorem abluisse visi sunt. Junctaque fonti ędes eorum, nullius hominum manu reserata patuit.

DE PESTILENTIA.

Sed ut ceterorum quoque deorum propensum huic Ur-

Urbi numen exequamur : triennio continuo vexata peſtilentia civitas noſtra , cum finem tanti , & tam diuturni mali , neque divina miſericordia , neque humano auxilio imponi videret : cura ſacerdotum , inſpectis Sibyllinis libris , animadvertit , non aliter priſtinam recuperari ſalubritatem poſſe, quam ſi ab Epidauro Æſculapius eſſet accerſitus. Itaque eò legatis miſsis , unicam fatalis remedii opem autoritate ſua, quæ jam in terris erat ampliſsima , impetraturam ſe credidit : neque eam opinio decepit, pari nanque ſtudio petitum ac promiſſum eſt præſidium: eveſtigioque Epidaurii, Romanorum legatos in Templum Æſculapii , quod ab eorum Urbe quinque millibus paſſuum diſtat , perductos , ut quicquid inde ſalubre patriæ laturus ſe exiſtimaſſent , pro ſuo jure ſumerent , benigniſsime invitaverunt : quorum tam promptam indulgentiam , numen ipſius Dei ſubſecutum verba mortalium , cœleſti obſequio comprobavit. Siquidem is anguis , quem Epidaurii raro , ſed nunquam ſine magno ipſorum bono viſum , in modum Æſculapii venerati fuerunt , per Urbis celeberrimas partes , mitibus oculis , & leni tractu labi cœpit , triduoque inter religioſam omnium admirationem conſpectus, haud dubiam præ ſe appetitæ clarioris ſedis alacritatem ferens , ad triremem Romanam perrexit : paventibuſque inuſitato ſpectaculo nautis , eò conſcendit, ubi Quinti Ogulini legati tabernaculum erat , inque multiplicem orbem , per ſummam quietem eſt convolutus. Tum legati perinde atque exoptatæ rei compotes , expleta gratiarum actione , cultuque anguis à peritis excepto , læti inde ſolverunt : ac proſperam emenſi navigationem , poſtquam Antium appulerunt: Anguis , qui ubique in navigio remanſerat , prolapſus

in vestibulo ędis Æsculapii, Myrto frequentibus ramis diffusæ, supereminentem excelsæ altitudinis palmam circundedit: perque tres dies positis, quibus vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne in triremem reverti nollet, Antiensis templi hospitio usus, Urbi se nostrę ad vehendum restituit, atque in ripam Tyberis egressis legatis, in insulam, ubi Templum dicatum est, transnavit: adventuque suo tempestatem, cui remedio quæsitus erat, dispulit.

DE FURIO CAMILLO.

Nec minus voluntarius in Urbem nostram Junonis transitus. Captis à Furio Camillo Veiis, milites jussu Imperatoris simulachrum Junonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in Urbem tralaturi, sede sua movere conabantur: quorum ab uno per jocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet: velle se respondit. Hac voce audita, lusus in admirationem versus est. Jamque non simulachrum, sed ipsam cœlo Junonem petitam, portare se credentes, læti in ea parte Aventini montis, in qua nunc Templum ejus cernimus, collocaverunt.

DE SIMULACRO FORTUNÆ.

Fortunæ etiam muliebris simulacrum, quod est in Latina via ad quartum milliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio Urbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis locutum constitit, prius his verbis: Rite me matronę vidistis, riteque dedicastis.

DE VALERIO PUBLICOLA.

Valerio autem Publicola Coss. qui post exactos reges bellum cum Vejentibus, & Hetruscis gessit: alia

Tar-

Tarquinio priſtinum Imperium reſtituere, Romanis nuper partam libertatem retinere cupientibus: Hetruſcis, & Tarquinio in cornu dextro prælio ſuperioribus tantus terror ſubito inceſsit, ut non ſolum victores ipſi profugerent, ſed etiam pavoris ſui conſortes ſecum Vejentes traherent: cui rei pro argumento miraculum adjicitur ingens: repente vox è proxima ſilva Arſiæ, quæ ore Sylvani in hunc penè modum miſſa traditur: Uno plus Hetruſci cadent: Romanus exercitus victor abibit. Miram dicti fidem digeſta numero cadavera exhibuere.

DE C. FABRITIO.

Quid Martis auxilium, quo victoriam Romanorum adjuvit: non ne memoria celebrandum eſt? cum Brutii, atque Lucani, odio incitatiſsimo, maximiſque viribus Turinæ Urbis petêrent exitum, ac præcipuo ſtudio ejus incolumitatem C. Fabricius Lucinus Coſſ. protegeret, reſque, ancipiti eventu collatis unum in locum utriuſque partis copiis, gereretur. Non audentibus Romanis prælium ingredi, eximiæ magnitudinis juvenis, primum eos hortari ad capeſſendam fortitudinem cœpit: deinde, ubi tardiores animadvertit, arreptis ſcalis per mediam hoſtium aciem ad contraria caſtra evaſit: & admotis, vallum conſcendit. Inde voce ingenti clamitans, factum victoriæ gradum, & noſtros ad aliena caſtra capienda, & Lucanos, Brutioſque ad ſua defendenda, illuc traxit, ubi conſerti dubio certamine tenebantur. Sed idem impulſu armorum ſuorum proſtratos hoſtes jugulandos, capiendoſque Romanis tradidit. xx. enim millia cæſa, quinque millia cum Statio Statilio duce utriuſque gentis, & tribus atque xx. militaribus ſignis capta ſunt. Poſtero die cum Coſſ. inter honorandos,

dos, quorum ſtrenua opera fuerat uſus, vallarem coronam ei ſe ſervare dixiſſet, à quo caſtra erant oppreſſa, nec inveniretur qui id præmium peteret, cognitum pariter, atque creditum eſt, Martem patrem tunc populo ſuo affuiſſe. Inter cætera hujuſce rei manifeſta indicia, galea quoque duabus diſtincta pinnis, qua cœleſte caput tectum fuerat, argumentum præbuit. Itaque Fabricii edicto, ſupplicatio Marti eſt habita: & à laureatis militibus, magna cum animorum lætitia oblati auxilii teſtimonium ei eſt redditum.

DE DIIS TROIANIS MIRUM.

Referam nunc quod ſuo ſæculo cognitum manavit ad poſteros, Penates deos Æneam Troja advectos Lavinii collocaſſe. Inde ab Aſcanio filio ejus Albam, quam ipſe condiderat, tralatos, priſtinum ſacrarium repetiſſe: & quia id humana manu factum exiſtimari poterat, relatos Albam, voluntatem ſuam altero tranſitu ſignificaſſe. Nec me præterit de motu, & voce Deorum immortalium, humanis oculis, auribuſque percepto, quàm ancipiti opinione æſtimatio verſetur. Sed quia non nova dicuntur, ſed tradita repetuntur, fidem autores vendicent: & noſtrum ſit: inclytis litterarum monimentis conſecrata, perinde ac vana non refugiſſe.

DE DIVO JULIO.

Facta mentione Urbis, è qua primordia civitas noſtra traxit, Divus Julius fauſta proles ejus, ſe nobis offert: quem C. Caſsius (nunquam ſine præfatione publici parricidii nominandus) cum acie Philippenſi ardentiſsimo animo perſtaret, vidit humano habitu auguſtiorem, purpureo paludamento amictum, minaci vultu, & concitato equo, in ſe impetum fa-

cie-

cientem : quo aſpectu perterritus, tergum hoſti dedit, voce illa prius emiſſa: Quid enim amplius agas, ſi occidiſſe parum eſt? Non occideras tu quidem Caſsi Cęſarem. Neque enim extingui ulla divinitas poteſt : ſed mortali adhuc corpore utentem violando, meruiſti ut tam infeſtum haberes Deum.

DE LUCIO LENTULO.

Jam quidem L. Lentulus littus prænavigans, in quo Cnei Pompei Magni, perfidia Ptolomęi regis interempti, corpus conſciſſę ſcaphæ lignis comburebatur : ignarus caſus ejus, cum ipſi Fortunæ erubeſcendum rogum vidiſſet, commilitonibus dixit: Quid ſcimus an in hac flamma Cneius Pompejus cremetur? divinitus miſſæ vocis miraculum eſt. Atque hoc quidem hominis. Illud tamen ore ipſius Apollinis editum, quo Appii interitum veridica Pythicę vaticinationis fides præcurrit. Is bello civili, quo ſe Cneus Pompejus à Cæſaris concordia peſtifero ſibi, nec Reipub. utili conſilio abruperat, eventum graviſsimi motus explorare cupiens (viribus nanque imperii Achaię prędrat) Antiſtitem Delphicę Cortinę, in intimam ſacri ſpecus partem coëgit deſcendere : unde ut certę conſulentibus ſortes petuntur, ita nimius divini ſpiritus hauſtus reddentibus peſtifer exiſtit. Igitur impulſu capti numinis inſtincta virgo horrendo ſono vocis, Appio inter obſcuras verborum ambages fata cecinit. Nihil enim, inquit, ad te hoc Romanę bellum, Euboeæ cellam obtinebis. At is ratus conſiliis ſe Apollinis moneri, ne illi diſcrimini intereſſet : in eam regionem ſeceſsit, quæ inter Rhamnunta nobilem Attici ſoli partem, Cariſtumque Chalcidico freto vicinam interjacens, cellæ Euboeæ nomen obtinet, ubi

ubi ante Pharſalicum certamen morbo conſumptus, prædictum à Deo locum pro ſepultura poſſedit. Poſſunt & illa miraculorum loco referri, quòd deuſto ſacrario Saliorum, nihil in eo, prꝫter lituum Romuli integrum repertum eſt. Quòd Servii Tullii ſtatua, cum ædes Fortunæ conflagraſſet, inviolata permanſit. Quòd Qu. Claud. ſtatua in veſtibulo Templi matris deûm poſita, bis ea æde incendio conſumpta, prius P. Naſica Scipione, & L. Beſtia: item M. Servilio, & L. Lamia Coſſ. in ſua baſi flammis intacta ſtetit.

DE ATTILIO.

Aliquid admirationis civitati noſtrꝫ Attilii etiam Aviolæ rogus attulit, qui & à medicis, & à domeſticis mortuus creditus, cum aliquandiu humi jacuiſſet: elatus, poſtquam corpus ejus ignis corripuit, vivere ſe proclamavit, auxiliumque pœdagogi ſui (nam is ſolus ibi remanſerat) invocavit. Sed jam flammis circundatus fato ſubtrahi non potuit. Lucio quoque Lamiꝫ prꝫtorio viro ꝫque vocem fuiſſe ſuper rogum conſtitit.

EXTERNA.

Quæ minus admirabilia Eri Pamphilii caſus facit: quem Plato ſcribit inter eos, qui in acie ecciderant, x. diebus jacuiſſe, biduoque poſtquam inde ſublatus eſſet, impoſitum rogo revixiſſe, ac mira quædam tempore mortis viſa narraſſe. Et quoniam ad externa tranſgreſſi ſumus, quidam Athenis vir eruditiſsimus, cum ictum lapidis capite excepiſſet, cꝫtera omnia tenaciſsima memoria retinens, litterarum tantummodo, quibus præcipue inſervierat, oblitus eſt. Dirum, malignumque vulnus in animo percuſſi, quaſi de induſtria ſcrutatis ſenſibus in eum potiſsimum locum,

cum, quo maxime lęsabatur, acerbitate nocendi erupit, singularem doctrinam hominis pleno invidię funere efferendo, cui si talibus studiis perfrui fas non erat, utilius aliquanto fuit ad illa aditum non impetrasse, quàm jam percepta eorum dulcedine caruisse.

DE NAUSIMENIS UXORE.

Mirabilior tamen sequentis casus narratio. Nausimenis enim Athenicusis uxor, cum filii, ac filiæ suæ stupro interveniisset, inopinati monstri perculsa conspetu, & in præsens tempus ad indignandum, & in posterum ad loquendum obmutuit. Illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt. Hoc modo fortuna sæviens huic vocem, iis vitam ademit: illi propitia donat.

DE ÆGLE SAMIO.

Ægles Samius Athleta mutus, cum ei victorię, quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accensus, vocalis evasit.

DE GORGIA EPIROTA.

Gorgię quoque Epirotæ fortis, & clari viri origo, qui in funere matris suę utero elapsus, inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coëgit, novumque spectaculum patrię præbuit: non tantum ex ipso genitricis rogo lucem, sed etiam cunas assecutus: eodem enim momento temporis, altera jam fato functa parit, alter ante elatus quàm natus est.

DE QUODAM JASONE.

Divinę fortunę vulnus Phereo Jasoni quidam exitii ejus cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam, quę à nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret.

DE

DE SIMONIDE.

Æque Diis immortalibus acceptus Simonides, cujus ſalus ab imminenti exitio defenſa, ruinę quoque ſubtracta eſt. Cœnanti enim apud Scopam in Cranone (quod eſt in Theſſalia oppidum) nuntiatum eſt duos juvenes ad januam veniſſe, magnopere rogantes, ut ad eos continuò prodiret: ad quos egreſſus, neminem reperit ibi. Ceterum eo momento temporis triclinium in quo Scopas epulabatur, collapſum, & ipſum, & omnes convivas oppreſſit. Quid hac felicitate locupletius, quàm nec mare, nec terra ſæviens extinguere valuit?

DE DAPHIDA.

Non invitus huic ſubnecto Daphidam, nequis ignoret quantum interfuerit ceciniſſe Deorum laudes, & numen obtrectaſſe. Hic cum ejus ſtudii eſſet, cujus profeſſores Sophiſtæ vocantur: ineptę, & mordacis opinationis Apollinem Delphis irridendi cauſa conſuluit, An equum invenire poſſet, cum omnino nullum habuiſſet. Cujus ex oraculo reddita vox eſt, inventurum equum, ſed ut eo perturbatus, periret. Inde cum jocabundus, quaſi deluſa ſacrarum ſortium fide reverteretur, incidit in Regem Attalum, ſępenumero à ſe contumelioſis dictis abſentem laceſſitum, ejuſque juſſu, ſaxo cui nomen erat Equi præcipitatus, ad deos uſque cavillandos, dementis animi juſtą ſupplicia pependit.

DE REGE PHILIPPO.

Eodem oraculo Macedonum Rex Philippus admonitus, ut à quadrigę violentia ſalutem ſuam cuſtodiret, toto regno disjungi currus juſſit, eumque locum, qui in Bœotia quadriga vocatur, ſemper vitavit: nec tamen denuntiatum periculi genus effugit: nam

Pau-

quotidie recreentur, in ea pecudes majore ex parte anni ore aperto ex alto ventos recipientes, sitim suam sedare instituerit. Aut quapropter Crotonę in Templo Junonis Lacinię aram ad omnes ventos immobili cinere donaverit potissimum. Vel quare alteram in Macedonia, alteram in Caleno agro aquam proprietatem vini, qua homines inebrientur, possidere voluerit. Non admiratione ista, sed memoria prosequi debemus: cum sciamus recte ab ea plurimum licentię vendicari, penes quam infinitus cuncta gignendi labor consistit.

DE MIRABILI MAGNITUDINE, ET longitudine serpentis.

Quę quia supra usitatam rationem excedentia attigimus, serpentis quoque à Tito Livio curiose pariter, ac facunde relatæ fiat mentio. Is enim ait in Africa apud Bagradam flumen tantę magnitudinis anguem fuisse, ut Attilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet: multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus voluminibus caudę elisis, cum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balistarum tormentis undique petitam, silicum crebris, & ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque & cohortibus, & legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem: atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu, vicina regionę pollųta Romana inde summovisse castra: dicit beluę corium CXX. pedum longum, in Urbem missum.

VAL. MAXIMI

LIBER SECUNDUS.

DE INSTITUTIS ANTIQUIS.

CAP. I.

DIves & præpopotens naturæ regnum ſcrutatus, injiciam ſtylum tàm noſtræ Urbis, quàm ceterarum gentium priſcis, ac memorabilibus inſtitutis. Opus eſt enim cognoſci hujuſce vitæ, qua ſub optimo principe felicem agimus, quænam fuerint elementa, ut eorum quoque reſpectus aliquid præſentibus moribus proſit.

DE NUPTIIS.

Apud antiquos non ſolum publice, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto: quo ex more nuptiis etiam num Auſpices interponuntur: qui quamvis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia uſurpantur. Fœminæ cum viris cubantibus ſedentes cœnitabant: quæ conſuetudo ex hominum convictu ad divinà penetravit: nam Jovis epulo ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellas ad cœnam invitabantur. Quod genus ſeveritatis ætas noſtra diligentius in Capitolio, quàm in ſuis domibus ſervat: videlicet quia magis ad rem pertinet Dearum, quàm mulierum diſciplina conti-

neri. Quæ uno contentę matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipuè matronæ syncera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile, in publicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimę cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.

DE PRIMO REPUDIO.

Repudium inter uxorem & virum, à condita Urbe usque ad vicesimum & quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem Spurius Carbilius uxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur. Sed quo matronale decus verecundię munimento tutius esset, in jus vocanti matronam corpus ejus attingere non permiserunt, ut inviolata manus alienę tactu stolæ relinqueretur.

DE USU VINI MULIERIBUS interdicto.

Vini usus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantię gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. Ceterum ut non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt: & quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. Nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter & videre sancte, & aspici muno pudore custodiebantur.

DE SACELLO DEÆ VIRIPLACÆ.

Quoties verò inter virum & uxorem aliquid jurgii interceſſerat, in ſacellum deę Viriplacæ, quod eſt in Palatio, veniebant: & ibi invicem locuti quę voluerant, contentione animorum depoſita concordes revertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris aſſecuta fertur: veneranda quidem, & neſcio an pręcipuis, & exquiſitis ſacrificiis colenda: utpote quotidianę ac domeſticæ pacis cuſtos, in pari jugo charitatis ipſa ſui appellatione virorum majeſtati debitum ac fœminis reddens honorem. Hujuſmodi inter conjuges verecundia, quid inter cęteras neceſsitudines, nonne apparet conſentanea? nam ut minimo indicio maximam vim ejus ſignificem, aliquandiu, nec pater cum filio pubere, nec ſocer cum genero laudabatur. Manifeſtum igitur eſt tantum religionis ſanguini & affinitati, quantum ipſis Diis immortalibus tributum: quia inter iſta tam ſancta vincula, non magis, quàm in aliquo ſacrato loco nudare ſe nefas eſſe credebatur. Convivium etiam ſolemne majores inſtituerunt, idque Chariſtia appellaverunt, cui pręter cognatos, & affines nemo interponebatur: ut ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus Concordiæ adhibitis, tolleretur.

DE HONORE IMPENSO SENIBUS A JUVENIBUS.

Senectuti juventus ita cumulatum, & circunſpectum honorem reddebat, tanquam majores natu adoleſcentium communes patres eſſent. Quocirca juvenes, Senatus die, utique aliquem ex patribus C. aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam ded-

ce-

cebant, affixique valuis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur : qua quidem voluntaria ſtatione, & corpora, & animos, ad publica officia ſuſtinenda impigre roborabant, brevique proceſſu morarum, claram in lucem virtutum ſuarum verecunda laboris meditatione, ipſi doctores erant. Invitati ad cœnam diligenter quærebant quinam ei convivio eſſent interfuturi : ne ſenioris adventum diſcubitu præcurrerent : ſublataque menſa priores conſurgere & abire patiebantur : è quibus apparet cœnæ quoque tempore quàm parco, & quàm modeſto ſermone his præſentibus ſoliti ſint uti.

DE MAJORIBUS DANTIBUS EXEMPLUM virtutis juvenibus.

Majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc ſplendidus ? quid etiam utilius certamine ? pubertas canis ſuum honorem reddebat, defuncta virium curſu ætas, ingredientes actuoſam vitam favoris nutrimentis proſequebatur. Quas Athenas ? quam ſcholam ? quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim ? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii, ac ne ſingula imperii noſtri lumina ſimul percurrendo ſim longior, inde inquam cœli clariſsima pars divi fulſerunt Cæſares. Adeo autem magna charitate patriæ tenebantur, ut arcana conſilia patrum C. multis ſæculis nemo Senator enuntiaverit. Quintus Fabius Maximus tantummodo, & is ipſe per imprudentiam de tertio Punico bello indicendo, quod ſecretò in curia erat actum, Publio Craſſo cus petens, domum revertenti in itinere narravit,

memor eum triennio antè Quęſtorem factum, ignaruſque nondum à Cenſoribus in ordinem ſenatorum electum, quo uno modo etiam iis, qui jam honores geſſerant, aditus in curiam dabatur. Sed quamvis honeſtus error Fabii eſſet, vehementer tamen à Coſſ. objurgatus eſt Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutiſsimum adminiſtrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.

DE EUMENE REGE ASIÆ.

Ergo cum Aſiæ Rex Eumenes, amantiſsimus noſtrę Urbis, bellum à Perſe adverſus P. R. comparari ſenatui nuntiaſſet, non antè ſciri potuit, quid aut ille locutus eſſet, aut patres reſpondiſſent, quàm captum Perſen cognitum eſt. Fidum erat, & altum R.pu. pectus cura, ſilentiique ſalubritate munitum, & vallatum undique: cujus limen intrantes abjecta privata charitate publicam induebant. Itaque non dicam unum, ſed neminem audiſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat commiſſum. Magiſtratus verò priſci quantopere ſuam, Populique Rom. majeſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quòd inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, ne Græcis unquam, niſi latinè reſponſa darent: quin etiam ipſa linguę volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant, non in Urbe tantum noſtra, ſed etiam in Græcia, & Aſia: quo ſcilicet Latinæ vocis honos, per omnes gentes venerabilior diffunderetur: nec illis deerant ſtudia doctrinę, ſed nulla non in re pallium togę ſubjici debere arbitrabantur: indignum eſſe exiſtimantes illecebris, & ſuavitati litterarum imperii pondus & autoritatem deminari.

DE

DE C. MARIO.

Quapropter non es damnandus rigoris ruſtici crimine C. Mari, quia gemina lauro coronatam ſenectutem tuam Numidicis, & Germanicis illuſtrem trophęis, victor devictæ gentis facundia politiorem fieri voluiſti: credo ne alienigena ingenii exercitatione, patrii ritus ſervus transfuga exiſteres.

Quis ergo huic conſuetudini, qua nunc Grȩcis actionibus aures curiæ exurdantur, januam patefecit? ut opinor, Molo Rhetor, qui ſtudia M. Ciceronis, cum nanque ante omnes exterarum gentium in ſenatu ſine interprete auditum conſtat, quem honorem non immerito cœpit, quoniam ſummam vim Romanę eloquentię adjuverat. Conſpicuę fælicitatis Arpinas, unicum ſive litterarum glorioſiſsimum contemptorem ſive abundantiſsimum fontem intueri velis.

DE MORE, QUEM MAJORES obſervabant in Urbe.

Maxima autem diligentia majores hunc morem retinuerunt, ne quis ſe inter Coſſ. & proximum lictorem, quamvis officii cauſa unà progrederetur, interponere: filio duntaxat, & ei puero ante patrem Coſſ. ambulandi jus erat. Qui mos adeò pertinaciter retentus eſt, ut Qu. Fabius Maximus quinquies Coſſ. vir etiam pridem ſummæ autoritatis, & tunc ultimæ ſenectutis à filio Coſſ. invitatus, ut inter ſe, & lictorem procederet, ne hoſtium Samnitum turba (ad quorum colloquium deſcendebant) elideretur, id facere noluerit. Idem à Senatu legatus miſſus ad filium Coſſ. [illegible]am, poſtquam animadvertit eum ad officium [illegible] extra mœnia oppidi proceſsiſſe, indignatus quod quòd ex lictoribus nemo ſe equo deſcendere juſ-

fiſſet, plenus iræ ſedere perſeveraverit: Quod cum filius ſenſiſſet, proximo lictori, ut ſibi appareret, imperavit: cujus Fabius continuò obſecutus, Non ego, inquit, fili ſummum imperium tuum contempſi, ſed experiri volui, an ſcires Coſſ. agere: nec ignoro quid patriæ veneratione debeatur: verum publica inſtituta privata pietate potiora judico.

DE MIRA CONSTANTIA LEGATORUM Romanorum.

Relatis Qu. Fabii laudibus, offerunt ſe mirificæ conſtantiæ viri: qui legati à ſenatu Tarentum ad res petendas miſsi, cum graviſsimas ibi injurias accepiſſent, unus etiam urina reſperſus eſſet, in theatrum (ut eſt conſuetudo Græcię) introducti, legationem quibus acceperant verbis, peregerunt: de his, quæ paſsi erant, quæſti non ſunt: ne quid ultrà, ac mandatum eſſet, loquerentur: intimiſque pectoribus eorum antiqui moris reſpectus, dolore qui ex contumelia graviſsimus ſentitur, convelli non potuit. Finem profecto fruendarum opum, quibus ad invidiam diu abundaveras Tarentina civitas, quæſiſti. Nam dum horridæ virtutis in ſeipſum connexum ſtabilimentum, nitore Fortunæ præſentis inflata, faſtidioſe æſtimas, in prævalidum imperii noſtri mucronem cæca & amens irruiſti. Sed ut à luxu perditis moribus, ad ſeveriſsima majorum inſtituta tranſgrediar, antea ſenatus aſsiduam ſtationem eo loci peragebat, qui hodie quoque Senaculum appellatur: nec expectabat ut edicto contraheretur, ſed inde citatus protinus in curiam veniebat: ambiguę laudis civem exiſtimans, qui debitis R. P. officiis non ſua ſponte, ſed juſſus fungeretur: qui

quic-

quicquid imperio cogitur, exigenti magis, quàm præstanti acceptum refertur.

ALIUD INSTITUTUM CONTRA Trib. pl.

Illud quoque memoria repetendum est, quòd Trib. pleb. intrare curiam non licebat: ante valuas autem positis subselliis, decreta patrum attentissima cura examinabant: ut si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus Senatusconsultis T. littera subscribi solebat: eaque nota significabatur, illa Trib. quoque censuisse: qui quamvis pro commodis plebis excubabant, inque imperiis compescendis occupati erant, instrui tamen ea argenteis vasis, & annulis aureis publice præbitis, patiebantur; quò talium rerum usu autoritas magistratuum esset ornatior. Quorum quemadmodum majestas amplificabatur, ita abstinentia arctissime constringebatur. Immolatarum enim ab his hostiarum exta, ad Quæstores ærarii delata veniebant. Sacrificiisque P. R. tum deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat. Imperatoribus nostris quàm sacras manus habere deberent, apud ista altaria discentibus: continentiæque tantum tribuebatur, ut multorum æs alienum, quia provincias sincere administraverant, à senatu persolutum sit. Nam quorum opera, publicam autoritatem, splendorem suum procul obtinuisse viderant: eorum dignitati domi collabi indignum, sibique deforme esse arbitrabantur.

DE ORDINE EQUESTRI.

Equestris verò ordinis juventus omnibus annis Urbem spectaculo suo, sub magnis authoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione.

Lu-

Lupercalium enim mos à Romulo, & Remo inchoatus eſt, tunc cum lętitia exultantes, quòd his avus Numitor, Rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, Urbem condere permiſerat ſub monte Palatino (hortatu Fauſtuli educatoris ſui) quem Evander Argivus conſecraverat: facto ſacrificio, cæſiſque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, diviſa paſtorali turba, cincti omnes pellibus immolatarum hoſtiarum, jocantes, obvios petiverunt: cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur. Trabeatos verò equites idibus Julii Qu. Fabius tranſuehi inſtituit. Idem cenſor cum P. Decio ſeditionis finiendæ gratia, quia comitia in humillimi cujuſque poteſtatem redacta acceſſerant, omnem forenſem turbam, in quatuor tantummodo Tribus deſcripſit, eaſque Urbanas appellavit: quo tam ſalubri R. P. facto, vir alioqui bellicis operibus excellens, Maximus cognominatus eſt.

DE C. MARIO.

Laudanda etiam populi verecundia eſt, qui impigre ſe laboribus & periculis militię offerendo, dabat operam ne imperatoribus, Capitecenſos ſacramento rogare eſſet neceſſe: quorum nimia inopia ſuſpecta erat, ideoque his publica arma non committebantur. Sed hanc diutina uſurpatione firmatam conſuetudinem C. Marius Capitecenſum legendo militem, abrupit. Civis alioqui magnificus, ſed novitatis ſuæ conſcientia, vetuſtati non ſanè propitius, memorque, ſi militaris ignavia humilitatem ſpernere perſeveraret, ſe à maligno virtutum interprete velut Capitecenſum imperatorem compellari poſſe. Itaque faſtidioſum delectus genus in exercitibus Romanis obli-

literandum duxit, ne talis notæ contagio ad ipsius quoque gloriæ fugillationem penetraret.

DE P. RUTILIO, ET CAJO MALLIO Consule.

Armorum tractandorum meditatio à P. Rutilio Coss. C. Mallii collega militibus est tradita. Is enim nullius ante se imperatoris exemplum secutus, ex ludo C. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, vitandi, atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingeneravit. Virtutemque arti, & artem rursus virtuti miscuit, ut illa impetu hujus fortior, hæc illius scientia cautior fieret.

DE USU VELITUM PRIMO reperto.

Velitum usus eo bello primum repertus est, quo Capuam Fulvius Flaccus imperator obsedit. Nam cum equitatui Campanorum crebris excursationibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Qu. Nævius Centurio è peditibus lectos expediti corporis brevibus & incurvis septenis armatos hastis, parvo tegmine munitos, veloci saltu jungere se equitantibus, & rursus celeri motu dilabi instituit, quo facilius equestri prælio subjecti pedites, viros pariter atque equos hostium telis incesserent. Eaque novitas pugnæ unicum Campanæ perfidiæ debilitavit auxilium. Ideoque autori ejus Nævio adhuc honos est habitus. (1) Proximus militaribus institutis ad urbana castra, id est, theatra gradus faciendus est, quoniam hæc quoque sæpenumero animosas acies instruxerunt. Excogitata nanque cultus deo-

(1) *Theatra.*

deorum, & hominum delectationis causa, non sine aliquo pacis rubore voluptatem & religionem civili sanguine, scenicorum portentorum gratia, maculaverunt: quæ inchoata quidem sunt à Messala, & Cassio Cen. Ceterum autore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subjectum hastæ venire placuit. Atque etiam S.C. cautum est, ne quis in Urbe propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum injuncta standi virilitas, propria Romanæ gentis nota esset.

Mos ludorum.

Per quingentos autem & quinquaginta octo annos, Senatus Populo mistus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Attilius Serranus, & L. Scribonius Ædiles, ludos Matri deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, solverunt: eamque res avertit vulgi animum, & favorem Scipionis magnopere quassavit. (1) Nunc causam instituendorum ludorum ab origine sua repetam. C. Sulpitio Bœtico, C. Licinio Stolone Coss. intoleranda vis ortæ pestilentiæ, civitatem nostram à bellicosis operibus revocatam, domestici atque intestini mali cura afflixerat: jámque plus in exquisito & novo cultu religionis, quàm in ullo humano consilio positum opis videbatur. Itaque placandi cœlestis numinis gratia, compositis carminibus vacuas aures præbuit, ad id tempus Circensi spectaculo contenta, quod primus Romulus, raptis virginibus Sabinis, Consualium nomine celebravit. Verum, ut est mos hominum, parvula initia pertinaci studio prosequendi veherabilibus erga deos obsequiis juventus, rudi atque in-

(1) *Ludorum origo.*

incomposito motu corporum jocabunda, gestus dedit: (1) eamque res Ludium ex Hetruria accersendi causam præbuit: cujus decora pernicitas vetusto ex more Curetum, Lydorumque (à quibus Hetrusci originem traxerunt) novitate grata Romanorum oculos permulsit. (2) Et quia Ludius apud eos Histrio appellabatur, scenico nomen histrionis inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ad Satyrarum modos perrexit: à quibus primus omnium poëta Livius, ad fabularum argumenta spectantium oculos & animos transtulit. Isque sui operis actor, cum sæpius à populo revocatus, vocem obtudisset, adhibito pueri & tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit. Attellani autem ab Oscis acciti sunt: (3) quod genus delectationis Italica severitate temperatum; ideoque vacuum nota est: nam neque tribu movetur, neque à militaribus stipendiis repellitur. Et quia ceteri ludi ipsis appellationibus unde trahantur, apparet, non absurdum videtur Secularibus initium suum, cujus generis minus trita notitia est, reddere.

DE QUODAM VALESIO.

Cum ingenti pestilentia Urbs antiqua, agrique vastarentur: Valesius vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis & filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens, genibus innixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit: orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuo flumine Tyberis devectos Tarentum portasset, ibique ex Ditis patris, & Proserpinæ ara petita aqua calida, quam illi

(1) *Ludii.* (2) *Histrio.* (3) *Attellani.*

illi desiderarent, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quòd & longa & periculosa navigatio imperabatur: spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tyberis protinus detulit: habitabat enim in villa sua prope vicum Sabinæ regionis Heretum, ac lintre Hostiam petens, nocte concubia ad Martium campum appulit, sitientibusque ægris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum, (1) & ab eo jussus egredi Tarentum (id nomen ei loco est) cupide arrepto calice, aquam flumine hauftam, eò unde fumus erat obortus, jam lętior pertulit, divinitus dari remedii quasi vestigia quędam in propinquo se existimans nactum: inque solo magis fumante, quam ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis levibus, & quæ sors obtulerat nutrimentis, Pertinaci spiritu, flammam evomuit, calefactamque aquam pueris bibendam dedit: qua potata, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati, patrique indicaverunt vidisse se in somniis nescio à quo deorum, spongia corpora sua pertergi, & præcipi, ut ad Ditis patris, & Proserpinæ aram, à quo potio ipsis fuerat allata, furvæ hostię immolarentur, Lectisterniaque, & ludi nocturni fierent. Is qui eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut à se construeretur, aram empturus in Urbem perrexit; relictis qui fundamentorum constituendorum gratia, terram ad solidum foderent: ii domini imperium exequentes, cum ad xx. pedum altitudinem immo egesta perveniissent, animadverterunt aram Ditis patri, Proserpinæque inscriptam. (2) Hoc postquam

(1) *Tarentum.* (2) *Ludi seculares.*

Valesius nuntiante servo accepit, omisso emendę proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furvæ dicebantur, Tarenti immolavit, ludosque & Lectisternia, continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit.

DE P. VALERIO PUBLICOLA.

Cujus exemplum Valerius Publicola, qui primus Coss. fuit, studio succurrendi civibus, secutus, apud eandem aram publice nuncupatis votis, cæsisque atris bobus, diti maribus, fœminis Proserpinæ, Lectisternioque, ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut antè fuerat, obruit.

DE Q. CATULO.

Religionem ludorum crescentibus opibus, secuta lætitia est. Ejus instinctu Qu. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit.

DE CN. POMPEIO.

Cneus Pompejus ante omnes, aquę per semitas decursu æstivum minuit fervorem.

DE CLAUDIO PULCHRO.

Claudius Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis antè pictura tabulis extentam: quam toram argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Qu. Catulus prętexuit. Versatilem fecerunt Lucius & Cinna locum, quem argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit. Translatum antea Phœniceis intextum tunicis M. Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit. (1) Nam gladiatorum munus primum foluę datum est in foro Boario, Appio Claudio, Qu. Ful-

(1) *Gladiatore munus.*

Fulvio Coss. dederunt M. & Decius filii Bruti funebri memoria, patris cineres honorando.

DE ATHLETIS.

Athletarum certamen à M. Scauri tractum est munificentia.

DE PRIMA STATUA AURATA IN Italia.

Statuam auratam nec in Urbe, nec in ulla parte Italiæ quisquam prius aspexit, quàm à M. Attilio Glabrione equestris, patri poneretur in æde Pietatis: eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bebio Pamphilo Coss. ipse dedicaverat, compos voti factus, Rege Antiocho apud Thermopylas superato.

DE CN. FLAVIO VULGANTE Jus civile.

Jus civile per multa sæcula inter sacra ceremoniasque deorum immortalium abditum, solisque Pontificibus notum, Cn. Flavius libertino patre genitus & scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Ædilis Curulis, vulgavit, ac fastos penè toto foro exposuit: qui cum ad visendum ægrum collegam suum veniret, neque à nobilibus, quorum frequentia cubiculum erat completum, sedendi loco reciperetur: sellam curulem afferri jussit, & in ea honoris pariter atque contemptus sui vindex, consedit.

DE VENEFICIIS IN URBE.

Veneficii quæstio & moribus, & legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta est: quæ cum viros suos clandestinis insidiis venenо perimerent, unius ancillæ indicio protra-

pars capitali judicio damnatę, centum ſeptuaginta numerum compleverunt. Tibicinum quoque collegium ſolet in foro vulgi oculos in ſe convertere, cum inter publicas, privitaſque ferias, actiones perſonis tecto capite, variàque veſte velatis concentus edit. Inde tracta licentia quondam vetiti in ęde Jovis quod priſco more factitaverant, veſci: Tibur irati ſe contulerunt, quorum miniſterio ſenatus deſerta ſacra non æquo animo ferens, per legatos à Tiburtibus petiit, ut eos gratia ſua Romanis templis reſtituerent, quos illi in propoſito perſeverantes, interpoſita feſtæ epulationis ſimulatione, mero, ſomnoque ſopitos, plauſtris in urbem devehendos curaverunt: quibus & honos priſtinus reſtitutus, & hujuſce luſus jus eſt datum, perſonarum uſus pudorem circunventæ temulentię cauſam habet.

DE MODO COMEDENDI antiquorum.

Fuit etiam illa ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis ſimul, & continentiæ certiſſima index. Nam maximis viris prandere & cœnare in propatulo verecundiæ non erat: nec ſanè ullas epulas habebant, quas populi oculis ſubjicere erubeſcerent: erant autem adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quàm panis eſſet. Ideoque in ſacrificiis mola, quę vocabatur, ex farre & ſale conſtat, exta farre ſpargunntur: & pullis, quibus auſpicia petuntur puls objicitur: primitus enim ex libamentis victus ſui, deos eo efficacius, quo ſimplicius placabant. Et cæteros quidem ad benefaciendum venerabantur: (1) Febri autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum

(1) *Febris.*

in area Marianorum monimentorum, tertium in ſuma ma parte Vici longi extat. In eaque remedia, quæ corporibus ęgrorum adnexa fuerant, deferebantur. Hęc ad humanæ mentis ęſtus leniendos cum aliqua uſus ratione excogitata, cæterum ſalubritatem ſuam induſtrię certiſsimo ac fideliſsimo monimento tuebantur: bonæque valetudinis eorum quaſi quędam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis, (1) & alienæ nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immoderato Veneris uſu averſa.

EXTERNA.

DE CIVITATE SPARTANA.

Idem ſenſit proxima majorum noſtrorum gravitati Spartana civitas: quæ ſeveriſsimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu civium ſuorum oculos à contemplanda Aſia retraxit, ne illecebris ejus capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Audierant enim lautitiam inde, & immodicos ſumptus, & omnia non neceſſaria voluptatis genera fluxiſſe: primoſque (2) Jonas unguenti, coronarumque in convivio dandarum, & ſecundę menſę ponendæ conſuetudinem, haud parva luxurię irritamenta reperiſſe: ac minime mirum eſt, quòd homines labore ac patientia gaudentes, tenaciſsimos patrię nervos, externarum delitiarum contagione ſolvi, & hebetari noluerunt: cum aliquanto faciliorem virtutis ad luxuriam quàm luxurię ad virtutem tranſitum viderent.

DE PAUSANIA.

Quod eos non fruſtra timuiſſe dux ipſorum Pauſanias patefecit; Qui maximis operibus editis, ut primum ſe Aſię moribus permiſit, fortitudinem ſuam

(1) *Frugalitas.* (2) *Jones.*

effœminato ejus cultu, mollire non erubuit.

DE CIVITATE IPSA.

Ejusdem civitatis exercitus non ante ad dimicandum descendere solebant, quam tibiæ concentu, & Anapesti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent, vegeto, & crebro ictus sono strenue hostem invadere admoniti. Iidem ad dissimulandum, & occultandum vulnerum suorum cruorem, Puniceis tunicis in prælio utebantur, non ut ipsis aspectus earum terrorem, sed ne hostibus fiduciæ aliquid afferret.

DE ATHENIENSIBUS.

Egregios virtutis bellicæ spiritus Lacedæmoniorum, prudentissimi pacis moribus Athenienses subsequuntur: apud quos inertia è latebris suis, languore marcens, in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur, fitque ut facinorosæ, ita erubescendæ reæ culpæ.

DE AREOPAGO.

Ejusdem Urbis & sanctissimum consilium Areopagus, quid quisque Athenienſium ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissime inquirere solebat, ut homines honestatem, vitæ rationem memores reddendam, esse sequerentur.

DE EODEM.

Eadem bonos cives corona decorandi primo consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. Probabile institutum, sive rem, sive personam intueri velis. Nam & virtutis uberrimum alimentum est Honos, & Pericles dignus à quo talis muneris dandi posteritas potissimum initium caperet.

Age quid illud inſtitutum Athenarum, quàm memorabile? quod convictus à patrono libertus ingratus, jure libertatis exuitur. Superſedeo te, inquit, habere civem tanti muneris impium æſtimatorem. Nec adduci poſſum, ut credam Urbi utilem, quem domi ſceleſtum cerno: abi igitur & eſto ſervus, quoniam liber eſſe neſciſti.

DE MASSILIENSIBUS.

Inde Maſſilienſes quoque ad hoc tempus uſurpant diſciplinę gravitatem, priſci moris obſervantia, charitate Pop. Rom. præcipuè conſpicui, qui tres in eodem manumiſſiones reſcindi permittunt, ſi ter ab eodem deceptum dominum cognoverunt: quarto errori ſubveniendum non putant: quia ſua jam culpa injuriam accepit, qui ei ſe toties objecit.

Eadem civitas ſeveritatis cuſtos acerrima eſt. Nullum aditum in ſcenam Mimis dando, quorum argumenta majore ex parte ſuprorum continent actus, ne talia ſpectandi conſuetudo, etiam imitandi licentiam ſumat. Omnibus autem, qui per aliquam religionis ſimulationem alimenta inertiæ quærunt, clauſas portas habet, & mendacem, & fucoſam ſuperſtitionem, ſubmovendam eſſe exiſtimans.

Cęterum à condita Urbe gladius eſt ibi, quo noxii jugulantur: rubigine quidem exeſus, & vix ſufficiens miniſterio, ſed index in minimis quoque rebus omnia antiquæ conſuetúdinis momenta ſervanda.

DE DUABUS ARCIS.

Duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent: altera qua liberorum, altera, qua ſervorum corpora ad ſepulturæ locum plauſtro devehuntur, ſine lamentatione, ſine planctu, ſine luctu: funeris dies, domeſtico ſacrificio, adjectoque neceſſariorum convivio, ſu-

tur. Etenim quid attinet humano dolori indulgere? aut divino numini invidiam fieri, quòd immortalitatem ſuam nobiſcum partiri noluerit?

Venenum cicuta temperatum in ea civitate publicè cuſtoditur, (1) quod datur ei, qui cauſas ſexcentis (id enim Senatus ejus nomen eſt) exhibuit, propter quas mors ſit illi expetenda, cognitione virili, benevolentia temperata: quę neque egredi vita temere patitur, & ſapienter excedere cupienti celerem fati viam prębet, ut vel adverſa, vel proſpera nimis uſi Fortuna (utraque enim finiendi ſpiritus, illa ne perſeveret, hæc ne deſtituat, rationem prębuerit) comprobato exitu terminetur. Quam conſuetudinem Maſſilienſium non in Gallia ortam, ſed è Græcia tralatam inde exiſtimo, quòd illam etiam in inſula Cęa ſervari animadverti, quo tempore Aſiam cum Sex. Pomp. petens, Julide oppidum intravit. Fortè enim tunc evenit, ut ſummę dignitatis ibi fœmina, ſed ultimæ jam ſenectutis, reddita ratione civibus, cur excedere vita deberet, venęno conſumere ſe deſtinarit, mortemque ſuam Pomp. præſentia clariorem fieri magni æſtimarit. Nec preces ejus vir ille, ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus inſtructiſsimus, aſpernari ſuſtinuit. Venit itaque ad eam, facundiſsimoque ſermone, qui ore ejus quaſi è beato quodam elocutięnte fonte manabat, ab incepto conſilio diu nequicquam revocare conatus, ad ultimum propoſitum exequi paſſus eſt: quæ nonageſimum annum tranſgreſſa cum ſumma & animi & corporis ſinceritate, lectulo quantum dignoſcere erat, quotidiana conſuetudine cultius ſtructo recubans, & innixa cubito, Tibi, inquit, Sex. Pom. Dii magis, quos relinquo, quam

(1) *Sexcenti.*

quos peto, gratias referant: quia nec hortator vitæ meæ, nec mortis ſpectator eſſe faſtidiſti. Ceterum ipſa hilarem Fortunæ vultum ſemper experta, ne aviditate lucis triſtem intueri cogar, reliquias ſpiritus mei proſpero fine, duas filias, & unum nepotum gregem relictura ſuperſtitem, permitto. Cohortata deinde ad concordiam ſuos, diſtributo eis patrimonio, & cultu ſuo, ſacriſque domeſticis majori filię traditis, poculum in quo venenum temperatum erat, conſtanti dextra arripuit. Tunc defuſis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut ſe placido itinere in meliorem ſedis infernę deduceret partem, cupido hauſtu mortiferam traxit potionem, ac ſermone ſignificans qualnam ſubinde partes corporis ſui rigor occuparet: cum jam viſceribus eum, & cordi imminere eſſet locuta, filiarum manus ad ſupremum opprimendorum oculorum officium advocavit: noſtros autem, tametſi novo ſpectaculo obſtupefacti erant, ſuffuſos tamen lachrymis dimiſit.

DE RITU MASSILIENSIUM.

Sed ut Maſsilienſium civitatem, unde in hoc diverticulum exceſsi, revertar: intrare oppidum eorum nulli cum telo licet, præſtoque eſt, qui id cuſtodiæ gratia acceptum, exituro reddat, ut hoſpitia ſua, quemadmodum advenientibus humana ſunt, ita ipſis quoque tuta ſint.

DE MORE QUEM OBSERVABANT Galli.

Horum mœnia egreſſo vetus ille mos Gallorum occurrit, quos memoria proditum eſt, pecunias mu-

tuas quæ his apud inferos redderentur, dare: (1) quia persuasum habuerint, animas hominum immortales esse: dicerem stultos, nisi idem Brachati sensissent, quod Palliatos Pythagoras credidit.

DE GALLIS.

Avara & fœneratoria Gallorum philosophia. Alacris & fortis Cimbrorum, & Celtiberorum, qui in acie gaudio exultabant, tanquam glorioſe, & feliciter vita exceſſuri: lamentabantur in morbo quasi turpiter, & miserabiliter perituri.

DE CELTIBERIS.

Celtiberi etiam nefas esse ducebant prælio superesse: cum is occidisset, pro cujus salute spiritum devoverant. Laudanda utrorumque populorum animi præstantia, quòd & patriæ incolumitatem fortiter tueri, & fidem amicitiæ constanter præstandam arbitrabantur.

DE THRACIA.

Thraciæ verò illa natio meritò sibi sapientiæ laudem vendicaverit: quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrat, sine ullis doctorum præceptis: verum conditionis nostræ habitum prævidit. Removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere, & pati turpiter cogit, si ea mortua, aliquanto ejus felicior, ac beatior reperietur finis.

DE MORIBUS ET RITU LYCIORUM.

Quocirca recte Lycii, cum iis luctus incidit, mu-

(1) *Animam esse immortalem.*

lebrem veſtem induunt : ut deformitate cultus commoniti, maturius ſtultum projicere mœrorem velint.

DE FOEMINIS INDICIS.

Verum quid ego fortiſsimos in hoc genere prudentiæ viros laudem ? Reſpiciantur Indorum fœminę, quæ cum more patrio complures eidem nuptæ eſſe ſoleant, mortuo marito, in certamen, judiciumque veniunt, quam ex iis maxime dilexerit : victrix gaudio exultans, deductaque à neceſſariis lætum præferens vultum, conjugis ſe flammis ſuperjacit, & cum eo tanquam feliciſsima erematur : ſuperatę cum triſtitia, & mœrore in vita remanent. Protrahe in medium Cimbricam audaciam. Adjice Celtibericam fidem. Junge animoſam Thraciæ ſapientiam. Annecte Lyciorum in luctibus abjiciendis callide quęſitam rationem. Indico tamen rogo nil eorum præferes, quem uxoris pietas, in modum genialis tori propinquę mortis ſecura conſcendit.

DE PUNICIS FOEMINIS, & fano Veneris.

Cui glorię, Punicarum fœminarum, ut ex comparatione turpius appareat dedecus, ſubnectam. Sicut enim fanum Veneris eſt, in quod ſe matronæ conferebant, atque inde procedentes, quæſtum dotis, corporis injuria contrahebant, honeſta nimirum tam inhoneſto vinculo conjugia juncturæ.

DE INSTITUTO PROBABILI Perſarum.

Nam Perſarum admodum probabile inſtitutum fuit, quòd liberos ſuos non prius aſpiciebant, quàm

ſep-

ſeptimum impleſſent annum, quo parvulorum amiſſionem æquiore animo ſuſtinerent.

DE NUMIDIS.

Ne Numidæ quidem reges vituperandi, qui more gentis ſuæ nulli mortalium oſculum ferebant.

Quidquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili, & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit.

DE DISCIPLINA MILITARI.

CAP. II.

VEnio nunc ad præcipuum decus, & ad [illegible]abilimentum Rom. Imperii, ſalutari perſeverantia ad hoc tempus ſincerum, & incolume ſervatum, militaris diſciplinæ tenaciſsimum vinculum, in cujus ſinu, ac tutela ſerenus, tranquilluſque beatæ pacis ſtatus acquieſcit.

DE SCIPIONE.

Publius Cor. Scipio, cui deleta Carthago avitum cognomen dedit, Coſ. in Hiſpaniam miſſus, ut inſolentiſsimos Numantinæ Urbis ſpiritus, ſuperiorum ducum culpa nutritos, contunderet, eodem temporis momento, quo caſtra intravit, edixit, ut omnia ex iis, quæ voluptatis cauſa comparata erant, auferrentur, ac ſummoverentur. Nam conſtat tum maximum inde inſtitorum, & lixarum numerum, cum duobus millibus ſcortorum abjiſſe. Hac turpi, atque erubeſcenda ſentina vacuefactus exercitus noſter, qui paulo antè, metu mortis, deformi ſe fœderis ictu maculaverat, erecta virtute, recreataque, acrem illam,

& animosam Numantiam incendiis exustam, ruinisque prostratam, solo æquavit. Itaque neglectæ disciplinę militaris indicium, Mancini miserabilis deditio, servatæ merces, speciosissimus Scipionis triumphus extitit.

DE METELLO.

Ejus sectam Metellus secutus, cum exercitum in Africa, Jugurthino bello nimia Spu. Albini indulgentia corruptum Coss. accepisset: omnibus imperii nervis ad revocandam pristinæ disciplinam militię connixus est, nec singulas partes apprehendit, sed totam continuò in statum suum redegit. Protinus uanque lixas è castris summovit, cibumque coctum venalem proponi vetuit: in agmine neminem militum ministerio servorum, jumentorumque, ut arma sua, & alimenta ipse ferrent, uti passus est. Castrorum subinde locum mutavit, eadem tanquam Jugurtha semper adesset, fossaque aptissime cinxit. Quid ergo restituta continentia? quid repetita industria profecit? Crebras scilicet victorias, & multa trophęa peperit ex eo hoste, cujus tergum, sub ambitioso Imperatore, Rom. militi videre non contigerat. Bene etiam illi disciplinę militari affuerunt, qui necessitudinem prępruptis vinculis, ultionem, vindictamque læsæ cum ignominia domuum suarum exigere non dubitaverunt. Nam P. Rutilius Coss. eo bello, quod in Sicilia cum fugitivis gessit, Qu. Fabius generum suum, quia negligentia Taurominitanam arcem amiserat, provincia jussit decedere.

DE COTTA.

Nam C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam, sanguine sibi junctum, quem obsidioni Liparitanę ad auspicia repetenda Messanam transiturus præfecerat, ei-

gis

gis cęsum, militię munere inter pedites fungi coëgit: quod ejus culpa ager incensus, & penè castra erant capta.

DE QUINTO FULVIO.

Quintus etiam Fulvius Flaccus Censor, Fulvium fratrem cohortem legionis, in qua Tri. militum erat, injussu consulis domum dimittere ausum, senatu amovit. Tam digna exempla, tam breviter, nisi majoribus urgerer, non referrentur. Quid enim tam difficile factu, quàm copulatæ societati generis, & imaginum, deformem in patriam reditum, indicere? aut communioni nominis, ac familiæ veteris propinquitatis serie cohęrenti, virgarum contumelioſa verbera abhibere? aut Censorium supercilium adversus fraternam charitatem distringere? Dentur hęc singula quamvis claris civitatibus, abunde tamen gloria disciplinę militaris instructæ videbuntur.

DE POSTHUMIO TIBURTO, ET T. MANLIO Torquato.

At nostra urbs, quę omni genere mirificorum exemplorum totum orbem terrarum replevit: Imperatorum proprio sanguine manantes secures, ne turbato militię ordine vindicta deesset, è castris publicè speciosas privatim lugubres duplici vultu recepit: incerta gratulandi prius, an lugendi officio fungeretur. Igitur ego quoque hæsitante animo vos bellicarum rerum severissimi custodes, Posthumi Tiburte, & Manli Torquate memoria ac relatione complector, quia animadverto fore, ut pondere laudis, quam meruistis, obrutus, magis imbecillitatem ingenii mei detegam, quàm vestram virtutem, sicut par est, repręsen-

ſentem. Tu nanque Poſthumi Dictator, Aulum Poſthumium, quem ad generis, penetraliumque ſacrorum ſucceſsionem propagandam genueras, cujus infantiæ blandimenta ſinu atque oſculis foveras, quem puerum litteris, quem juvenem armis inſtruxeras, ſanctum, fortem, amantem tui pariter ac patriæ, quia non tuo juſſu, ſed ſua ſponte præſidio progreſſus hoſtes fuderat, victorem ſecuri feriri juſsiſti, & ad hoc imperium peragendum, paternæ vocis miniſterio ſufficere valuiſti: nam oculos tuos, certum ſcio, clariſsima in luce tenebris offuſos, ingens opus animi intueri nequiviſſe. Tu item Manli Torquate Latino bello Coſſi filium, quod provocatus à Geminio Metio Duce Tuſculanorum ad dimicandum te ignaro deſcenderat, gloriosam victoriam, & ſpecioſa ſpolia referentem, abripi à lictore, & in modum hoſtiæ mactari juſsiſti; fatius eſſe judicans, patrem forti filio, quàm patriam militari diſciplina carere.

DE LUCIO QUINTIO Cincinnato.

Age quanto ſpiritu putamus uſum L. Quintium Cincinnatum Dictatorem eo tempore, quo devictis Equiculis, & ſub jugum miſsis L. Minutium conſulatum deponere coëgit, quòd caſtra ejus hoſtes, iidem obſederant? Indignum enim maximo imperio credidit, quem non ſua virtus, ſed foſſa, vallumque tutum præſtiterat: cuique verecundiæ non fuerat, arma Romana metu trepida, clauſis portis contineri. Ergo imperioſiſsimi xii. faſces, penes quos ſenatus, & equeſtris ordinis, & univerſæ plebis ſummum decus erat, quorumque nutu Latium, ac totius Italiæ vires regebantur, contuſi atque fracti dictatoriæ ſe animadverſio-

foni ſubſtraverunt. Ac ne inulta foret gloria militaris: Coſ. delicti omnis vindex punitus eſt. His (ut ita dicam) piaculis, Mars imperii noſtri pater, ubi aliqua ex parte à tuis auſpiciis degeneratum erat, numen tuum propitiabatur: nota affinium & cognatorum, & fratrum, filiorumque ſtrage ignominioſa conſulum ejuratione.

DE PAPIRIO.

Ejuſdem ordinis quod ſequitur. Papirius Dictator, cum adverſus imperium ejus Qu. Fabius Rutilianus magiſter equitum exercitum in aciem eduxiſſet, quanquam fuſis Samnitibus in caſtra redierat, tamen neque virtute ejus, neque ſucceſſu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eumque nudari juſsit. O ſpectaculum admirabile, & Rutilianus, & magiſter equitum, & victor, ſciſſa veſte, ſpoliatoque corpore, lictorum ſe verberibus lacerandum prębuit, ut in acie exceptorum vulnerum nodoſis ictibus cruore renovato, victoriarum, quas modo ſpecioſiſsimas adeptus erat, titulos reſpergeret: precibus deinde ſui exercitus occaſionem Fabio confugiendi in urbem dedit, ubi fruſtra ſenatus auxilium imploravit. Nihilo minus enim Papirius in exigenda pœna perſeveravit: itaque coactus eſt pater ejus, poſt Dictaturam, tertiumque conſulatum, rem ad populum devocare, auxiliumque Trib. plebis ſupplex pro filio petere: neque hac re ſeveritas Papirii refrenari potuit. Cæterum cum ab univerſis civibus, & Trib. plebis rogaretur, teſtatus eſt, non pœnam illam ſe Fabio, ſed Pop. Rom, & Trib. concedere poteſtati.

DE L. CALPHURNIO.

Lucius quoque Calphurnius Piſo Coſ. cum in Si-

ci-

cilia bellum adverſus fugitivos gereret, & Titius equitum præfectus, fugitivorum multitudine hoſtium circumventus arma his tradidiſſet, his præfectum ignominiæ generibus affici juſsit, eum toga lacinîis abſciſſis amictum, diſcinctaque tunica indutum, nudis pedibus à mane noctem uſque ad principia per omne tempus militiæ adeſſe. Interdixit etiam ei convictum hominum, uſumque balnearum, turmaſque equitum, quibus præfuerat, ademptis equis in funditorum alas tranſcripſit. Magnum profecto dedecus patriæ magno Piſonis decore vindicatum eſt: quoniam quidem id egit Piſo, ut qui cupiditate vitæ adducti, cruce dignisſimis fugitivis trophæa de ſe ſtatuere conceſſerant, libertatique ſuæ ſervili manu flagitioſum imponi jugum non erubuerant, amarum lucis uſum experirentur, mortemque, quam effœminatè timuerant, viriliter optarent.

DE Q. METELLO.

Nec minus Piſone acriter Qu. Metellus: qui, cum apud Trebiam res gereretur, collocatas à ſe in quadam ſtatione quinque cohortes, atque ex ea viribus hoſtium depulſas, repetere eandem ſtationem veſtigio juſsit: non quòd ſperaret ab iis amiſſum locum recuperari poſſe, ſed ut præteritæ culpam pugnæ, inſequentis certaminis manifeſto periculo puniret: edixit etiam, ut ſi quis ex his fugiens caſtra petiiſſet, pro hoſte interficeretur: qua ſeveritate compreſsi milites, corporibus fatigatis, & animis deſperatione vitæ implicatis, loci tamen iniquitatem, multitudinemque hoſtium ſuperarunt. Humanæ igitur imbecillitatis efficaciſsimum duramentum eſt neceſsitas.

DE

DE Q. FABIO.

In eadem provincia Qu. Fabius Max. ferociſsimæ gentis animos contundere, & debilitare cupiens, manſuetiſsimum ingenium ſuum, ad tempus depoſita clementia, ſæviore uti ſeveritate coëgit: omnium enim, qui ex præſidiis Rom. ad hoſtes transfugerent, captique erant, manus abſcidit: ut trunca præ ſe brachia geſtantes, metum defectionis reliquis injicerent: rebelles itaque manus à corporibus ſuis diſtractæ, inque cruentato ſolo ſparſæ, cæteris, ne idem committere auderent, documento fuerunt.

DE AFRICANO SUPERIORE.

Nihil mitius ſuperiore Africano, is tamen ad firmandam diſciplinam militarem, aliquid ab alieniſsima crudelitate ſibi amaritudinis mutuandum exiſtimavit: ſiquidem devicta Carthagine, cum omnes, qui ex noſtris exercitibus ad Pœnos tranſierant, in ſuam poteſtatem redegiſſet, gravius in Romanos, quàm in Latinos transfugas animadvertit. Hos enim tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos ſocios ſecuri percuſsit. Non proſequar hoc factum alterius, & quia Scipionis eſt, & quia Romano ſanguini, quamvis merito perpeſſo, ſervile ſupplicium inſultare non attinet. Cum præſertim tranſire ad alia liceat, quæ ſine domeſtico vulnere geſta narrari poſſunt.

DE AFRICANO POSTERIORE.

Nam poſterior Africanus, everſo Punico imperio, exterarum gentium transfugas, in edendis populo ſpectaculis, feris beſtiis objecit. Et L. Paulus Perſe rege ſuperato, ejuſdem generis & culpæ homines, elephantis proterendos ſubſtravit: utiliſsimo quidem exem-

exemplo, si tamen acta excellentissimorum virorum humiliter æstimare sine insolentiæ reprehensione permittitur. Aspero enim, & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget: quia vires armis constant, quæ ubi à recto itinere defeciverint, oppressura sunt, nisi opprimantur.

DE L. MARTIO TRIBUNO MILITUM.

Sed tempus est eorum quoque mentionem fieri, quæ jam non à singulis, verum ab universo senatu pro militari more obtinendo, defendendoque administrata sunt L. Martius Trib. militum, cum reliquias duorum exercituum Publii & Cnei Scipionum, quos arma Punica in Hispania absumpserant, dispersas mira virtute collegisset, earumque suffragiis dux esset creatus, senatui de rebus actis à se scribens, in hunc modum orsus est: L. M. Prætore: cujus honoris usurpatione uti cum patribus C. non placuit, qui duces à populo, non à militibus solerent creari: quæ tempore tam augusto, tamque gravi, propter immanem Reipub. damnum, etiam Trib. militum adulandum erat, quoniam quidem ad statum totius civitatis corrigendum unus sufficerat: sed nulla clades, nullum meritum valentius militari disciplina fuit. Succurrebat enim illis quàm animosa severitate Tarentino bello majores eorum usi fuissent. In quo quassatis & attritis Reipub. viribus, cum magnum captivorum civium suorum numerum à Pyrrho rege ultro missum recepissent, decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent: Qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur: ne quis eorum intra castra teneret, neve locum

assignatum, vallo, aut fossa cingeret, nevè tentorium ex pellibus haberet: recursum autem iis ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, siquis bina spolia ex hostibus tulisset: quibus suppliciis compressi, ex deformibus Pyrrhi munusculis, acerrimi hostes extiterunt. Parem iram adversus illos Senatus distrinxit, qui apud Cannas Rempub. deseruerunt. Nam cum eos gravitate decreti ultra mortalium conditionem relegasset, acceptis à M. Marcello litteris, ut eorum sibi opera ad expugnationem Syracusanorum uti liceret: rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur. Ceterum se ei permittere, ut faceret quod expedire Reipub. judicasset, dum ne quis ex eis munere vacaret, aut dono militiæ donaretur, aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accederet. Sic enervet animos odisse virtus solet.

Age, quàm graviter senatus tulit, quòd Quintum Petilium Cos. fortissime adversus Ligures pugnantem occidere milites passi essent: legioni neque stipendium anni procedere, neque æra dari voluit, quia pro salute imperatoris, hostium telis se non obtulerant. Idque decretum amplissimi ordinis, speciosum, & æternum Petilii monimentum extitit, sub quo in acie, morte, in Curia ultione clari cineres ejus acquiescunt. Consimili animo, cum ei Annibal sex millium Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, conditionem sprevit, memor tantam multitudinem armatorum juvenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse. Quorum nescio utrum majus dedecus fuerit, quòd patria spei, an quòd hostis metus nihil in his reposuerint: hæc pro se, ille ne adversus se dimicarent, parvi duxerunt.

Sed cum aliquoties ſenatus pro militari diſciplina ſevere excubuerit, neſcio an tunc prȩcipuè, cum milites, qui Rhegyum injuſto bello occupaverant, mortuoque duce Bubelio, M. Ceſium ſcribam ejus ſua ſponte imperatorem delegerant, carcere incluſit, ac M Furio Flacco Trib. Pl. denuntiante, ne in cives Romanos adverſus morem majorum animadverteret, nihilominus propoſitum executus eſt. Ceterum minore cum invidia, ut id perageretur, quinquagenos per ſingulos dies virgis cæſos, ſecuri percuti juſsit, eorumque nullum ſepulturȩ mandari, mortemque lugeri vetuit.

EXTERNA EXEMPLA.

Leniter hoc Patres C.ſi Carthaginienſium ſenatus in militiȩ negotiis procurandis violentiam intueri velimus, à quo duces bella pravo conſilio gerentes, etiam proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci tamen affigebantur: quod bene geſſerant, Deorum immortalium adjutorio: quod male commiſerant, ipſorum culpæ imputantes.

De Clearcho.

Clearchus vero Lacedȩmoniorum dux egregio d... to diſciplinam militiȩ continebat, identidem exercitus ſui auribus inculcando, à militibus imperatores potius, quam hoſtem metui debere. Quo aperte denuntiabat futurum, ut ſpiritum pœnȩ impenderent, quem pugnȩ acceptum ferre dubitaſſent. Idque a ſe prȩcipi non mirabantur, maternarum blanditiarum memores: quæ exituros eos ad prȩliandum monebant, ut aut vivi cum armis in conſpectum earum redirent, aut mortui in armis referrentur. Hoc ... domeſticos parietes accepto ſigno, Spartanę ...

dimicabant. Sed aliena prospexisse tantummodo satis est, cum propriis, multoque uberioribus, & felicioribus exemplis gloriari liceat. Disciplina militaris acriter retenta, principatum Italiæ Romano imperio peperit: & multarum urbium, magnorum Regum, validissimarum gentium regimen largita est: fauces Ponticis finus patefecit: Alpium, Taurique montis convulsa claustra tradidit: ortumque è parvula Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen. Ex cujus sinu quoniam omnes triumphi manarunt, sequitur ut de jure triumphandi dicere incipiam.

DE JURE TRIUMPHANDI.

CAPUT III.

OB levia prælia quidam imperatores triumphos sibi decerni desiderabant: quibus ut occurreretur, lege cautum est, nequis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie cæcidisset. Non enim numero, sed gloria triumphorum excelsius urbis nostræ futurum decus majores existimabant. Ceterum ne tam præclara lex cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quam L. Marius, & M. Cato Trib. Pl. tulerunt: pœnam enim imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum, litteris senatui missis essent referre. Jubetque eos, cum primum urbem intrassent, apud Quæstores Urbanos jurare de utroque numero vere ab his senatui esse scriptum. Post has leges judicii illius tempestiva mentio introducetur, in quo de jure triumphandi inter clarissimas personas est actum, & excussum est. Luctatius cos. & Qu. Va-

lerius PR. circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleverant, quo nomine Luctatio Cos. triumphum Senatus decrevit. Cum autem Valerius sibi eum quoque decerni desideraret, negavit id fieri oportere Luctatius, ne in honore triumphi minor potestas majori æquaretur, pertinaciusque progressa contentione, Valerius sponsione Luctatium provocavit, non se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa nec dubitavit restipulari Luctatius. Itaque judex inter eos convenit Attilius Calatinus, apud quem Valerius in hunc modum egit: Consulem ea pugnare lectica claudum jacuisse, autem omnibus imperatoriis partibus functum. Tunc Calatinus prius, quàm Luctatius causam suam ordiretur: quæro, inquit, Valerie, te, si dimicandum necne esset, contrariis inter vos sententiis dissedissetis, utrum quod Cos. an quod PR. imperasset, majus habiturum fuerit momentum? Respondit Valerius non facere se controversiam, quin priores partes Cos. essent futuræ. Age deinde inquit Calatinus, si diversa auspicia accepissetis, cujus magis auspicio staretur? Item respondit Valerius, Cos. Jam mehercule, inquit, cum de imperio, & auspicio inter vos disceptationem susceperim, & tu ultroque adversarium tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est, quod ulterius dubitem. Itaque Luctati, quamvis adhuc tacueris, secundum te litem do. Mirifice dex, quòd in manifesto negotio tempus teri non est. Probabilius Luctatius, quòd jus amplitudinis honoris constanter defendit. Sed nec Valerius quidem improbe, quia fortis & prosperæ pugnæ ut non tristumma, ita se dignum præmium petiit.

DE CN. FULVIO FLACCO.

Quid facias Cn. Fulvio Flacco, qui tam expetendum aliis honorem triumphi, decretum sibi à senatu ob res bene gestas sprevit, ac repudiavit? Nimirum non plura percerpens, quàm acciderunt. Nam ut Urbem intravit, continuo quęstione publica afflictus, exilio multatus est, ut si quid religionis insolentia commisisset, pœna expiaret.

DE Q. FULVIO.

Sapientiores igitur Quintus Fulvius, qui Capua capta, & L. Opimius, qui Fregellanis ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem à senatu petierunt: Uterque editis operibus magnificus, sed neuter petitæ rei compos. Non quidem invidia Patrum C. cui nunquam aditum in curia esse voluerunt: sed summa diligentia observandi juris, quo cautum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ Pop. Rom. fuissent, triumphus decerneretur. Tantum enim interest adjicias aliquid, an detractum restituas, quantum distat beneficii initium ab injurię fine.

DE P. SCIPIONE, ET MARCO Marcello.

Quin etiam jus de quo loquor, sic custoditum est, ut P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, M. Marcello ob captas Syracusas triumphus non decerneretur, quòd ad eas res gerendas sine ullo missi erant magistratu. Probentur nunc cujuslibet glorię cupidi, qui ex desertis montibus, Myoparonumque piraticis rostris, laudis inopes, laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt. Carthaginis imperio rupta Hispania, & Siciliæ caput abscissum Syracusę, triumphales jungere currus nequiverunt: & quibus viris? Scipio-

ni, & Marcello: quorum ipsa nomina instar sunt æterni triumphi. Sed clarissimos solidæ, verçque virtutis autores, humeris suis salutem patriæ gestantes, etsi coronatos intueri senatus cupiebat, justiori tamen reservandos laureç putavit. His illud subnectam. Moris erat ab imperatore triumphum ducturo, coss. invitari ad cœnam, deinde rogari, ut venire supersedeant, nequis eo die, quo ille triumphaverit, majoris in eodem convivio sit imperii. Verum quamvis quis præclaras res, maximeque utiles Reipub. civili bello gessisset, imperator tamen eo nomine appellatus non est, neque ullç supplicationes decretç sunt, neque aut ovans, aut curru triumphavit, quia ut necessariæ istç, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt: utpote non externo, sed domestico partæ cruore. Itaque & Nasica Tiberium Gracchum, & Opimius C. Gracchi factiones mœsti trucidarunt.

DE QU. CATULO.

Qu. Catulus Marco Lepido collega suo cum omnibus copiis seditiosis extincto, moderatum præ se ferens gaudium, in urbem revertitur. C. etiam Antonius Catilinç victor, absterſos gladios in castra retulit.

DE CINNA.

L. Cinna, & C. Marius hauserant quidem avidi civilem sanguinem: sed non protinus ad templa deorum, & aras tetenderunt. Jam L. Sylla, qui plurima bella civilia confecit, cujus crudelissimi, & insolentissimi successus fuerunt, cum consummata ac cruenta potentia sua triumphum duceret, ut Græciæ & Asiæ multas urbes, ita civium Rom. nullum ornamentum vexit. Piget, tædetque per vulnera Reip.

rius procedere : lauream nec ſenatus cuiquam dedit nec quiſquam ſibi dari deſideravit , civitatis parte lachrymante. Ceterum ad Quercum pronæ manus porriguntur , ubi ob cives ſervatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtę domus ſempiterna gloria triumphant.

DE CENSORIA NOTA.

CAP. IV.

CAſtrenſis diſciplinę tenaciſsimum vinculum , & militaris rationis diligens obſervatio , admonet me , ut ad Cenſuram pacis magiſtram , cuſtodemque tranſgrediar. Nam ut opes Pop. Rom. in tantum amplitudinis imperatorum virtutibus exceſſerunt, ita probitas , & continentia cenſorio ſupercilio examinata eſt. Opus effectu , par bellicis laudibus. Quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur? Expugnentur licet urbes , corripiantur gentes , regnis manus injiciantur , niſi foro , & curię , officium, ac verecundia ſua conſtiterit , partarum rerum cœlo cumulus æquatus , ſedem ſtabilem non habebit. Ad rem igitur pertinet noſſe , atque adeo recordari acta cenſoriæ poteſtatis.

DE CAMILLO ET POSTHUMIO.

Camillus , & Poſthumius cenſores , æra pœnæ nomine eos qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, in ęrarium deferre juſſerunt : iterum puniri dignos , ſi quo modo de tam juſta conſtitutione queri ſunt auſi. Cum in hunc modum increparentur : Natura vobis quemadmodum naſcendi , ita gignendi legem ſcribit, parentesque vos alendo nepotum nutriendorum debi-

to (si quis est pudor) alligaverunt : accedit etiam iis, quòd in Fortuna longam præstandi hujusce muneris vacationem estis assecuti , cum interim consumpti sunt anni vestri, & mariti , & patris nomine vacui. Ite igitur , & nodosam exolvite stipem , utilem posteritati numerosæ.

DE M. VALERIO MAX. ET C. JUNIO.

Horum severitatem M. Valerius Max. & C. Junius Brutus Bubulcus censores in consimili genere animadversionis imitati , L. Antonium senatu moverunt : quòd quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset , nullo amicorum in consilium adhibito. At hoc crimen nescio an superiore majus : illo nanque conjugalia sacra spreta tantum : hoc etiam injuriose tractata sunt. Optimo ergo judicio censores indignum eum aditu curiæ existimaverunt.

DE PORCIO CATONE.

Sicut Porcius Cato L. Flaminium , quem è numero Senatorum sustulit , quia in provincia quendam damnatum securi percusserat : tempore supplicii ad arbitrium , & spectaculum mulierculæ , cujus amore tenebatur , electo. Et poterat inhiberi respectu consulatus , quem is gesserat , atque autoritate fratris ejus Titi Flaminii. Sed & censor, & Cato , duplex severitatis exemplum , eo magis illum notandum statuit, quòd amplissimi honoris majestatem tam tetro facinore inquinaverat : nec indignum pensi duxerat , iisdem imaginibus adscribi , meretricis oculos humano sanguine delectatos , & Regis Philippi supplices manus.

DE

DE FABRICIO LUCINO.

Quid de Fabricii Lucini censura loquar? narrabit enim omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo Cor. Rufinum duobus Consulatibus, & dictatura speciosissime functum, quòd decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, in ordine senatorio retentum non esse. Ipse medius fidius mihi litteræ seculi nostri obstupescere videntur, cum ad tantam severitatem referendam ministerium accommodare coguntur, ac vereri, ne non nostræ Urbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomerium decem pondo argenti, & invidiosum fuisse censum, & inopiam haberi contemptissimam.

DE M. ANTONIO, ET L. FLACCO.

Marcus autem Antonius, & L. Flaccus censores Duronium senatu moverunt, quòd legem de coërcendis conviviorum sumptibus latam Tribunus Pleb. abrogaverat, mirifica notæ causa. Quàm enim impudenter Duronius rostra conscendit, illa dicturus: Freni sunt injecti nobis Quirites nullo modo perpetiendi: alligati & constricti estis amaro vinculo servitutis: lex enim lata est, quæ nos esse frugi jubet: abrogemus igitur istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus est libertate, si volentibus luxu perire, non licet?

DE CL. NERONE ET L. SALINATORE.

Age par proferamus æquali jugo virtutis, honoremque societate junctum, instincta autem æmulationis animo dissidens. Cl. Nero. Liviusque Salinator secundi Punici belli temporibus firmissima Reip. latera,

quam

quam districtam simul egerunt censuram ? Nam cum equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiamnum eorum è numero essent, ut est ad Poliam ventum tribum, præco lecto nomine Salinatoris, citandum necne sibi esset, hęsitavit : quod ut intellexit Nerò, & citari collegam, & arma, & equum vendere jussit, quia populi judicio damnatus esset. Salinator quoque eadem animadversione Neronem persecutus est, adjecta causa, quòd non sincera fide secum in gratiam redijisset. Quibus viris si quis cœlestium significasset futurum, ut eorum sanguis illustrium imaginum serie deductus, in ortum salutaris principis nostri confluereret, depositis inimicitiis, arctissimo se amicitiæ fœdere junxissent, servatam ab ipsis patriam, communi stirpe servandam relicturi. Salinator verò quatuor atque triginta Tribus inter ærarios referre non dubitavit, quòd cum se damnassent, postea eos. & censorem fecissent : prætexuitque causam, quia necesse esset eas alterutro facto, crimine temeritatis, vel periurii teneri. Unam tantummodo tribum Metiam vacuam nota reliquit, quę eum suffragiis suis, ut non damnatione, ita nec honore quidem dignum judicaverat. Quàm putemus constantis & prȩvalidi illum ingenii fuisse, qui neque tristi judiciorum exitu compelli, neque honorum magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem in administratione Reipub. gereret.

De M. Val. et L. Sempronio.

Equestris quoque ordinis bona, magnaque pars quadringenti juvenes, censoriam notam patiente animo sustinuerunt, quos M. Val. & L. Semp. quia Sicilia ad munitionum opus explicandum ire ju-

facere id neglexerant, equis publicis ſpoliatos, in numerum ęrariorum retulerunt.

DE M. ATTILIO REGULO, & L. Furio.

Turpis etiam metus pœnam Cenſores ſumma cum ſeveritate exegerunt. M. enim Attilius Regulus, & L. Furius Philippus M. Metellum Quæſtorem, complureſque equites Romanos, qui poſt infeliciter commiſſam Cannenſem pugnam cum eo abituros ſe Italia juraverant: direptis equis publicis, inter ęrarios referendos curaverunt, eoſque gravi nota affecerunt: qui cum in poteſtatem Hannibalis veniſſent, legati ab eo miſsi ad ſenatum de permutandis captivis, neque impetraſſent, quod petebant, in urbe manſerunt, quia & Romano ſanguini fidem præſtare conveniens erat, & M. Attilius Regulus cenſor perfidiam notabat, cujus pater per ſummos cruciatus expirare, quàm fallere Carthaginienſes ſatius eſſe duxerat. Jam hęc cenſura ex foro in caſtra tranſcendit, quæ neque timeri, neque decipi voluit hoſtem.

Sequuntur duo ejuſdem generis exempla, eaque adjeciſſe ſatis erit. Geta, cum à Lucio Metello, & Cn. Domitio Cenſoribus ſenatu motus eſſet, poſtea cenſor factus eſt.

DE MARCO VALERIO.

Item M. Valerius Meſſala cenſoria nota perſtrictus, cenſoria poſtmodum poteſtate imperavit, quorum ignominia virtutem acuit: rubore enim ejus excita, omnibus viribus incubuerunt, ut digni civibus viderentur, quibus dari potius, quàm abjici cenſura deberet.

DE

DE MAJESTATE.

CAP. V.

EST & illa quasi privata censura majestas clarorum virorum sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio, potens in amplitudine sua obtinenda. Grato enim, & jucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætexta velata: quam recte quis dixerit longum, & beatum honorem esse sine honore. Nam quid plus honoris tribui potuit Cos. quàm est datum reo Metello? qui cum causam repetundarum diceret, tabulæque ejus ab accusatore expostulatę, & ad nomen inspiciendum circa judicium ferrentur, totum consilium ab earum contemplatione oculos avertit, ne de aliqua re, quę in his relata erat, videretur dubitasse. Non in tabulis, sed in vita Qu. Metelli argumenta sincere administratæ provincię legenda sibi judices crediderunt: indignum rati integritatem tanti viri, exigua cera, & paucis literis perpendi.

DE REGE ANTIOCHO, ET SUPERIORE Africano.

Sed quid mirum, si debitus honos à civibus Metello tributus est, quem superiori Africano etiam hostis præstare non dubitavit? Siquidem rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium ejus militibus suis interceptum, honoratissime exercitu regiisque muneribus donatum, ultro, & celeriter ei remisit: quanquam ab eo tum maxime fusus imperii pellebatur. Sed & rex lacessitus, majes-

excellentiſsimi viri venerari, quàm dolorem ſuum ulciſci maluit.

DE AFRICANO SCIPIONE.

Ad Africanum eundem, in Linternina villa ſe continentem, complures prædonum duces videndum eodem tempore forte confluxerunt: quos cum ad vim faciendam venire exiſtimaſſet, præſidium domeſticorum in tecto collocavit, eratque in his repellendis, & animo & apparatu occupatus. Quod ut prædones animadverterunt, dimiſſis militibus, abjectiſque armis, januæ appropinquant, & clara voce mutuam Scipioni, Non vitæ ejus hoſtes, ſed virtutis admiratores venisse: conſpectum, & congreſſum tanti viri, quaſi cœleſte aliquod beneficium expetentes, proinde ſecurum ſe nobis præſtandum præbere ne graveturn. Hæc poſtquam domeſtici Scipioni retulerunt: foris reſerari, eoſque intromitti juſsit: qui poſtes januæ tanquam aliquam religioſiſsimam aram, ſanctiſsimoque templum venerati, cupidè Scipionis dexteram apprehenderunt, ac diu oſculati, poſitis ante veſtibulum donis, quæ deorum immortalium numini conſecrari ſolent, læti quia Scipionem vidiſſe contigiſſet, ad lares proprios reverterunt. Quid hoc fructu majeſtatis excelſius? Quid etiam jucundius? Hoſtis iram admiratione ſui placavit ſpectaculo præſentiæ ſuæ: latronum geſtientes oculos obſtupefecit: delapſa cœlo ſidera hominibus ſi ſe offerant, venerationis amplius non recipient.

DE PAULO ÆMILIO.

Hoc quidem vivo Scipioni: illud autem Æmilio [illegible]lo exanimi contigit. Nam cum exequiæ ejus celebrarentur, ac forte tunc principes Macedoniæ, legationis nomine Romæ morarentur, funebri lecto

ſpon-

ſponte ſua ſeſe ſubjecerunt. Quod aliquanto majus v
debitur, ſi quis cognoſcat lecti illius frontem Mac
donicis triumphis fuiſſe adornatam. Quantum enim
Paulo tribuerunt, propter quem gentis ſuæ cladium in-
dicia, per ora vulgi ferre non exhorruerunt? quod
ſpectaculum, funeri ſpeciem alterius triumphi adje-
cit. Bis enim te Paule Macedonia urbi noſtræ illuſ-
trem oſtendit: incolumem, ſpoliis ſuis: fato functum,
humeris.

DE ÆMILIANO SCIPIONE.

Nec filii quidem tui Scipionis Æmiliani, quem in
adoptionem dando, duarum familiarum ornamentum
eſſe voluiſti majeſtati parum honoris tributum eſt,
cum eum adoleſcentem admodum à Lucullo cos. pe
tendi auxilii gratia ex Hiſpania in Africam miſſum,
Carthaginienſes, & Maſiniſſa Rex de pace diſcepta-
torem, velut cos. & imperatorem habuerunt. Ignari
quidem fatorum ſuorum Carthago. Orientis enim
illud juventæ decus, deorum, atque hominum indul
gentia, ad excidium ejus alebatur: ut ſuperius cog
nomen Africanum capta, poſterius everſa Cornel
genti daret.

DE P. RUTILIO.

Quid damnatione, quid exilio miſerius? Atqu
P. Rutilio conſpiratione publicanorum perculſo, au
toritatem adimere non valuerunt. Cui Aſiam pete
omnes provinciæ illius civitates legatos ejus ſeceſſu
operientes obviam miſerunt. Exulare aliquis hoc lo
co, an triumphare juſtius dixerit.

DE MARIO.

Cajus etiam Marius in profundum ultimarum
ſeriarum abjectus, ex ipſo vitæ diſcrimine, bene
majeſtatis emerſit, miſſus enim ad eum occiden

in privata domo Minturnis clausum servus publicus, natione Cimber, & senem, & inermem, & squalore obsitum, strictum gladium tenens, aggredi non sustinuit: sed claritate viri occęcatus, abjecto ferro attonitus inde, ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, devictæque gentis interitus, animum comminuit: etiam Diis immortalibus indignum ratis, ab uno nationis ejus interfici Marium, quam totam deleverat. Minturnenses autem majestate illius capti, compressum jam, & constrictum dira fati necessitate, incolumem præstiterunt: nec fuit eis timori asperrima Syllæ victoria, cum præsertim ipse Marius eos à conservando Mario abstterrere posset.

DE MARCO PORCIO CATONE.

Marcum quoque Porcium Catonem admiratio fortis, ac sinceræ vitæ, adeo admirabilem Senatui fecit, ut cum invito C. Cæsare Cos. adversus publicanos dicendo in curia diem extraheret, & ob id ejus jussu à lictore in carcerem duceretur, universus Senatus illum sequi non dubitaret, quę res divini animi perseverantiam flexit.

DE EODEM.

Eodem ludos Florales, quos Messius ædilis faciebat, spectante: populus, ut Mimę nudarentur, postulare erubuit: quod cum Favonio amicissimo sibi una sedente cognovisset, discessit è theatro, ne prę-sentia sua spectaculi consuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem jocorum in scenam revocavit, confessus se solus majestatis illi uni tribuere, quàm universo sibi indicare: quibus opibus, quibus imperiis, quibus

triumm-

triumphis hoc datum est? exiguum viri patrimonium, abstricti continentia mores, modicæ clientelę, domus ambitioni clausa, paterni generis una imago, minime blanda frons, sed omnibus numeris perfecta virtus, quæ quidem effecit, ut si quis sanctum & egregium civem significare velit, sub nomine Catonis definiat.

EXTERNA.

DE HARMODIO, ET ARISTOGITONE.

Dandum est aliquid loci etiam alienigenis exemplis, ut domesticis aspersa, varietate ipsa delectent. Harmodii & Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies æneas Xerxes rex ea Urbe devicta in regnum suum transtulit: longo deinde interjecto tempore, Seleucus in pristinam sedem reportandas curavit. Rhodii quoque eas Urbi suę appulsas, cum in hospitium publicè invitassent, sacris etiam pulvinaribus collocaverunt. Nihil hac memoria felicius, quæ tantum venerationis, in tam parvulo ere possedit.

DE XENOCRATE.

Quantum porro honoris Athenis Xenocrati sapientia pariter, ac sanctitate claro, tributum est? cum testimonium dicere coactus ad aram accessisset, ut more ejus civitatis juraret: omnia se vere retulisse: universi judices consurrexerunt, proclamaruntque, non jusjurandum diceret: quodque sibimetipsis postmodum dicendę sententiæ loco remissuri non erant, sinceritati ejus concedendum existimarunt.

VAL. MAXIMI

LIBER TERTIUS.

DE INDOLE.

CAPUT I.

ATTINGAM NUNC QUASI CUNABULA quædam & elementa virtutis, animique præcedente tempore ad ſummum gloriæ cumulum perventuri, certo cum indolis experimento, datos geſtus referam.

DE ÆMILIO LEPIDO.

Æmilius Lepidus puer etiam tum progreſſus in ciem, hoſtem interemit, civem ſervavit: cujus tam nemorabilis operis index eſt in Capitolio ſtatua bulata, & incincta prætexta S. conſulto poſita. Iniquum nim putavit eum honori nondum tempeſtivum vide, qui jam virtuti maturus fuiſſet. Præcurrit igitur æpidus ætatis ſtabilimentum fortiter faciendi celeate: duplicemque laudem è prælio retulit, cujus eum x ſpectatorem anni eſſe patiebantur. Arma enim inſta, & diſtricti gladii, & diſcurſus telorum, & adntantis equitatus fragor, & concurrentium exercium impetus, juvenibus quoque aliquantum terroincutit. Inter quæ Æmiliæ gentis puritia, coronam reri, ſpolia rapere valuit.

De Marco Catone.

Hic ſpiritus ne Marci quidem Catonis pueritiæ defuit. Nam cum in domo M. Druſi avunculi ſui educaretur, & ad eum Tribunum tunc pl. Latini de civitate impetranda conveniſſent, a Quin. Popedio Latinorum principe, Druſi autem hoſpite rogatus, ut ſocios apud Avunculum adjuvaret: conſtanti vultu non facturum ſe reſpondit. Iterum deinde, ac ſæpius interpellatus, in propoſito perſtitit. Tunc Popedius in excelſam ædium partem elevatum, abjecturum ſe eum inde, niſi precibus obtemperaret, minatus eſt: nec hac re ab incepto moveri potuit. Expreſſa eſt itaque illa vox hominum, gratulemur nobis Latini, & Socii, hunc eſſe tam parvum, quo ſenatore ne ſperare quidem nobis civitatem licuiſſet. Tenero ergo animo Cato totius curiæ gravitatem percepit, perſeverantiaque ſua, Latinos jura noſtræ civitatis apprehendere cupientes, repulit.

De Eodem Catone.

Idem cum ſalutandi gratia prętextatus ad Syllam veniſſet, & capita proſcriptorum in atrium allata vidiſſet: atrocitate rei commotus, pædagogum ſuum Sarpedonem nomine interrogavit, quapropter nemo inveniretur, qui tam crudelem Tyrannum occideret? cumque is, non voluntatem hominibus, ſed facultatem deeſſe, quòd ſalus ejus magno militum præſidio cuſtodiretur, reſpondiſſet: ut ferrum ſibi daret, ob[illegible] ſecravit, affirmando perfacile ſe eum interfecturum quòd in lecto illius conſedere ſoleret. Pædagogus [illegible] animum Catonis agnovit, & exhorruit propoſitum eumque poſtea ad Syllam excuſſum ſemper addu[illegible] Nihil hoc admirabilius. Puer in officina crudelita[illegible] de-

deprehensus, victorem non extimuit, tum maxime Cos. Municipia, Legiones, Equestris ordinis majorem partem trucidantem: ipsum Marium, si quis eo loci statuisset, celerius aliquid de fuga sua, quam de Sylle nece cogitasset.

DE CAIO CASSIO.

Cujus filium Faustum C. Cassius condiscipulum suum in schola proscriptionem paternam laudantem, ipsumque cum per ætatem potuisset, idem facturum minitantem, colapho percussit: dignam manum, quæ se publico parricidio non contaminaret.

EXTERNA.

Et ut à Græcis aliquid: Alcibiades ille, cujus nescio utrum bona, an vitia patriæ perniciosiora fuerint: illis enim cives suos decepit, his affixit: cum adhuc puer ad Periclem avunculum suum venisset, eumque secreto tristem sedentem vidisset, interrogavit, quid ita tantam in vultu confusionem gereret: at illo dicente, mandato se civitatis Propylæa Minervæ, quæ sunt januæ arcis, ædificasse, consumptaque in id opus ingenti pecunia, non invenire quo pacto ministerii rationem redderet, atque ideo conflictari. Ergo, inquit, quære potius quemadmodum rationem non reddas: itaque vir amplissimus, & prudentissimus, suo consilio defectus, puerili usus est, atque id egit, ut Athenienses finitimo implicati bello rationibus exigendis non vacarent. Sed viderint Athenæ utrum Alcibiadem lamententur, an glorientur: quoniam adhuc inter execrationem hominis, & admirationem, dubio mentis judicio fluctuatur. Nos quia jam initia, prorsusque virtutis patefecimus, actum ipsum prosequemur,

mur, cujus ponderosissima vis, & efficacissimi lacerti in fortitudine consistunt.

DE FORTITUDINE.

CAPUT II.

DE HORATIO COCLITE.

NEc præterit me, conditor Urbis nostrę Romule, principatum tibi hoc in genere laudis assignari oportere. Sed patere obsecro uno te pręcurri exemplo, cui & ipse aliquantum honoris debes: quia beneficio illius effectum est, ne tam pręclarum opus tuum Roma dilaberetur. Hetruscis in Urbem, ponte sublicio irrumpentibus, Horatius Cocles extremam ejus partem occupavit: totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit: atque, ut patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatus se in Tyberim misit: cujus fortitudinem Dii immortales admirati, incolumitatem sinceram ei pręstiterunt. Nam neque altitudine dejectus, quassatusve, neque pondere armorum pressus, nec ullo vorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ undique congerebantur, lęsus, tutum natandi eventum habuit. Unus itaque tot civium, tot hostium in se oculos convertit, stupentes illos admiratione, hos inter lętitiam, metumque hæsitantes: unusque duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando, distraxit. Denique unus urbi nostræ tantum scuto suo, quantum Tyberis alveo, munimenti attulit: quapropter discedentem

dentes Hetruſci dicere potuerunt: Romanos vicimus, ab Horatio victi ſumus.

DE CHLOELIA VIRGINE.

Immemorem me propoſiti mei Chlœlia penè facit: eadem enim tempeſtate, certè adverſus eundem hoſtem, & in eodem Tyberi inclytum auſa facinus. Inter ceteras enim virgines obſes Porſenæ data hoſti, nocturno tempore cuſtodiam egreſſa, equum conſcendit, celerique trajectu fluminis, non ſolum obſidione, ſed etiam metu, patriam ſolvit. Viris puella lumine virtutis præferenda.

DE ROMULO.

Redeo nunc ad Romulum, qui ab Acrone Ceninenſium rege ad dimicandum provocatus, quanquam, & numero, & fortitudine militum, ſuperiorem ſe crederet, tutiuſque erat toto cum exercitu, quàm ſolum in aciem deſcendere, ſua potiſsimum dextera omen victoriæ rapuit: nec incepto ejus Fortuna defuit. Occiſo enim Acrone, fuſiſque hoſtibus, opima de eo ſpolia, Jovi Feretrio retulit. Hactenus iſtud: quia publica religione conſecrata virtus, nulla privata laudatione indiget.

DE CORNELIO COSSO.

A Romulo proximus Cornelius Coſſus, eidem deo ſpolia conſecravit, cum Magiſter equitum ducem Fidenatium in aciem congreſſus interemiſſet. Magnus initio hujuſce generis inchoatæ gloriæ Romulus: Coſſo quoque multum acquiſitum eſt, qui imitari Romulum valuit.

DE M. MARCELLO.

Nec Marci quidem Marcelli memoriam ab his exem-

exemplis ſeparare debemus, in quo tantus animi vigor fuit, ut apud Padum Gallorum regem, ingenti exercitu ſtipatum, cum paucis equitibus invaderet: quem protinus obtruncatum, armis exuit, eaque Jovi Feretrio dicavit.

DE T. MANLIO TORQUATO ET SCIPIONE Æmiliano.

Eodem & virtutis, & pugnæ genere uſi ſunt T. Manlius Torquatus, & Valerius Coruinus, & Æmilianus Scipio. Hi etiam ultro provocatos hoſtium duces interemerunt: ſed quia ſub alienis auſpiciis rem geſſerant, ſpolia Jovi Feretrio non poſuerunt conſecranda. Item Scipio Æmilianus, cum in Hiſpania ſub Lucullo duce militaret, atque Intercacia prævalidum oppidum circunſederetur, primus mœnia ejus conſcendit, neque erat in eo exercitu quiſquam aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cujus magis ſaluti conſuli, & parci deberet: ſed tunc clariſſimus quiſque juvenum, pro amplificanda, & tuenda patria, plurimum laboris, ac periculi ſuſtinebat, deforme ſibi exiſtimans, quos dignitate præſtaret, ab iis virtute ſuperari. Ideoque Æmilianus hanc militiam aliis propter difficultatem vitantibus, ſibi depoposcit.

DE C. ATTILIO.

Magnum inter hæc fortitudinis exemplum antiquitas offert. Romani Gallorum exercitu pulſi, cum ſe in Capitolium, & in arcem conferrent, inque his collibus morari omnes non poſſent, neceſſarium conſilium in plana parte Urbis relinquendorum ſeniorum ceperunt, quo facilius juventus reliquias imperii tueretur. Ceterum ne illo quidem tam miſero tempo-

ſu-

luctuoso tempore, civitas nostra virtutis suæ oblita est: defuncti enim honoribus, apertis januis, in curulibus sellis, cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorumque quę erant adepti, consederunt: ut & ipsi in occasu suo, splendorem, & ornamenta vitæ præteritæ retinerent, & plebem ad fortius sustinendos casus suos provocarent. Venerabilis eorum aspectus primo hostibus fuit, & novitate rei, & magnificentia cultus, & ipso audaciæ genere commotis. Sed quis dubitaret, quin & Galli, & victores, illam admirationem mox in risum, & in omne contumeliæ genus conversuri essent? Non expectavit igitur hanc injuriæ maturitatem C. Attilius, verum barbam suam permulcenti Gallo Scipionem vehementi ictu capiti inflixit, eique propter dolorem ad se occidendum ruenti corpus cupidius obtulit. Capi ergo virtus nescit, patientia dedecus ignorat. Fortunæ succumbere, tristius omni fato ducit: nova, & speciosa genera interitus excogitat, si quisquam interit, qui sic extinguitur.

DE C. SEMPRONIO.

Reddendus est nunc Romanę juventuti debitus gloriæ titulus. Q. Catulo, Sempronio Atracino Coss. cum Volscis apud Veruginem parum prospere dimicante, ne acies nostra jam inclinatu propellereturequis delapsa, seipsam centuriavit, atque hostium exercitum irrupit, quo dimoto proximum tumulum occupavit, effecitque, ut omnis Volscorum in se conversus impetus, legionibus nostris ad confirmandos animos salutare laxamentum daret. Itaque cum jam de tropheis statuendis cogitarent, prælium noc-

te dirimente victores ne, an victi discederent, incerti abierunt.

De Fabio Maximo.

Strenuus ille quoque flos ordinis equestris, cujus mira virtute Fabius Max. Rutilianus magister equitum bello, quod adversus Samnites gerebatur, male commissi prælii crimine levatus est. Nanque Papyrio Cursore propter auspicia repetenda in urbem proficiscente, castris prępositus, ac vetitus in aciem exercituum ducere, nihilominus manus cum hoste, sed non tam feliciter, quam temere conseruit, procul enim dubio superabatur. Ceterum optimę indolis juventus, detractis equorum frenis, vehementer eos calcaribus stimulatos; in adversos Samnites egit, obstinataque animi præstantia extortam manibus hostium victoriam, & cum ea spem maximi civis Rutiliani patriæ restituit. Qualis deinde roboris illi militesi qui vehementi ictu remorum concitatam fugæ Punicam classem, nantes lubrici pelagi quasi camporum firmitate pedites, in littus retraxerunt? Ejusdem temporis, & notę miles, qui Canensi prælio, quo Annibal magis vires Romanorum contudit, quàm animos fregit, cum ad retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidæ cervicem compluxus, os, naribus, & auribus corrosis deforme reddidit: inque plenæ ultionis morsibus expiravit. sepone iniquum pugnæ eventum, quanto interfectore fortior interfectus? Pœnus enim in victoria obnoxius, morienti solatio fuit: Romanus in ipso fine vitæ vindex sui extitit.

De P. Crasso.

Militis hujus in adverso casu tam egregius, tam

que virilis animus, quàm relaturus sum Imperatoris. P. enim Crassus cum Aristonico bellum in Asia gerens, à Thracibus, quorum is magnum numerum in præsidio habebat, inter Eleam, & Smyrnam exceptus: ne in ditionem ejus perveniret dedecus, accersita ratione mortis effugit. Virgam enim, qua ad regendum equum usus fuerat, in unius barbari oculum direxit, qui vi doloris accensus, latus Crassi sica confodit: dumque se ulciscitur, Romanum Imperatorem majestatis amissę turpitudine liberavit. Ostendit Fortunæ Crassus, quàm indignum virum tam gravi contumelia afficere voluisset, quoniam quidem injectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudenter pariter, ac fortiter rupit, donatumque jam se Aristonico, dignitati suę reddidit.

DE SCIPIONE.

Eodem mentis proposito usus est Scipio, nanque infeliciter Cn. Pompeji generi sui defensis in Africa partibus, classe Hispaniam petens, cum animadvertisset navem, qua vehebatur, ab hostibus captam, gladio prȩcordia sua transverberavit: ac deinde prostratus in puppi, quærentibus Cęsarianis militibus, ubinam esset Imperator: Respondit, Imperator bene se habet: tantumque eloqui valuit, quantum ad testandam animi magnitudinem ęternæ laudi satis erat.

DE CATONE.

Tui quoque clarissimi excessus Cato Utica monimentum est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis, plus gloriæ quàm sanguinis manavit. Siquidem constantissimè in gladium incumbendo, magnum hominibus documentum dedisti, quanto potior esse debeat pro-

probis dignitas ſine vita, quàm vita ſine dignitate.

DE PORCIA CATONIS FILIA, & Bruti uxore.

Cujus filia minime muliebris animi: quę Cum Bruti viri ſui conſilium, quod de interficiendo Cęſare cœperat, ea nocte, quam dies teterrimi facti ſecutus eſt, cognoviſſet, egreſſo cubiculum Bruto, cultellum tonſorium, quaſi unguium reſecandorum cauſa poposcit, eoque velut forte elapſo, ſe vulneravit, clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus objurgare eam cœpit, quòd tonſoris præripuiſſet officium. Cui ſecreto Porcia, non eſt hoc, inquit, temerarium factum meum, ſed in tali ſtatu noſtro, amoris mei erga te certiſsimum indicium. Experiri enim volui ſi tibi propoſitum ex ſententia parum ceſsiſſet, quàm æquo animo me ferro eſſem interemptura.

DE CATONE.

Felicior progenie ſua ſuperior Cato, à quo Porciæ familiæ principia manarunt, qui cum ab hoſte in acie vehementi periculo peteretur, vagina gladius ejus elapſus decidit, quem ſubjectum præliantium globo, atque undique hoſtilibus pedibus circundatum, poſtquam abeſſe ſibi animadvertit, adeo conſtanti animo in ſuam poteſtatem redegit, ut illum non periculo oppreſſus rapere, ſed metu vacuus ſumere videretur, quo ſpectaculo attoniti hoſtes, poſtero die ad eum ſupplices pacem petentes venerunt.

DE P. SCIPIONE NASICA.

Togæ quoque fortitudò militaribus operibus inferenda eſt, quia eandem laudem, foro, atque caſ-

ris edita meretur. Cum Tib. Gracchus in tribunatu profusis largitionibus favore populi occupato Remp. oppressam teneret, palamque dictaret, interempto senatu, omnia per plebem agi debere, in ædem Fidei publicæ convocati Patres C. à Cos. Mutio Scævola, quidnam in tali tempestate faciendum esset, deliberabant, cunctisque censentibus, ut Cos. armis Remp. tueretur, Scævola negavit se quicquam esse acturum. Tunc Scipio Nasica, quoniam, inquit, Cos. dum juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum Imperium corruat, egomet privatus, voluntati vestræ me offero ducem: ac deinde lævam manum aperte togæ circundedit, sublataque dextera proclamavit: Qui Remp. salvam esse vo-unt me sequantur: eaque voce, cunctatione bonorum civium discussa, Gracchum cum scelerata factione, quas merebatur pœnas persolvere coëgit.

DE C. MARIO SENE.

Item cum Trib. Pleb. Saturninus, & Prætor Glaucia, & Equitius designatus Trib. Pl. maximos in civitate nostra seditionum motus excitassent, nec quisquam se populo concitato opponeret: primum M. Æmilius Scaurus, C. Marium consulatum sextum gerentem hortatus est, ut libertatem, legesque manu defenderet: protinusque arma sibi afferri jussit, quibus allatis, ultima senectute confectum, & penè collapsum corpus induit, spiculoque innixus ante fores curiæ constitit, ac parvulis extremi spiritus reliquiis ne Resp. expiraret, effecit: præstantia enim animi sui, senatum & equestrem ordinem ad vindictam exigendam impulit.

DE

DE DIVO JULIO.

Sed ut armorum, & togæ ſuperius, ita nunc etiam ſiderum clarum decus Divum Julium, certiſsimam veræ virtutis effigiem repræſentemus: cum innumerabili multitudine, & feroci impetu Nerviorum, inclinari aciem ſuam videret, timidius pugnanti militi ſcutum detraxit, eoque tectus, acerrime prœliari cœpit: quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino animi ardore reſtituit.

Idem alio prælio legionis Martiæ aquiliferum ineundæ fugæ gratia jam converſum, faucibus comprehenſum, in contrariam partem detraxit, dexteramque ad hoſtem tendens, quorſum tu, inquit, abis? illic ſunt, cum quibus dimicamus: & manibus quidem unum militem, adhortatione verò tam acti omnium legionum trepidationem correxit, vincique paratas, vincere docuit.

DE VIBIO, ET VALERIO FLACCO, & Pedanio Centurione.

Ceterum ut humanæ virtutis actum exequamur, cum Annibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obſideret: Vibius Aceus Peligne cohortis præfectus, vexillum trans Punicum vallum projecit: ſeipſum, ſuoſque commilitones, ſi eo hoſtes potiti eſſent, execratus; & ad id petendum ſubſequente cohorte primus impetum fecit: quod ut Valerius Flaccus tribunus tertiæ legionis aſpexit, converſus ad ſuos, Spectatores, inquit, ut video, alienæ virtutis huc venimus, ſed abſit iſtud dedecus à ſanguine noſtro, ut Romani gloria cedere Latinis velint. Ego certe aut ſpecioſam optavi mortem, aut felicem audaciæ exitum,

ùm, vel ſolus præcurrere paratus ſum. His auditis, Pedanius Centurio convulſum ſignum dextra retinens: Jam hoc, inquit, intra hoſtile vallum mecum erit, proinde ſequantur, qui id capi nolunt: & cum eo in caſtra Pœnorum irrupit, totamque ſecum traxit legionem. Ita trium virorum fortis temeritas, Annibalem paulò antè ſpe ſua Capuæ potitorem, ne caſtrorum quidem ſuorum potientem eſſe paſſa eſt.

DE Q. COTIO.

Quorum virtuti nihil cedit Qu. Cotius: qui propter fortitudinem Achilles cognominatus eſt. Nam ut reliqua ejus opera non exequar, abunde tamen duobus factis, quę relaturus ſum, quantus bellator fuerit, cognoſcetur. Q. Metello Cos. legatus in Hiſpaniam profectus, Celtibericum ſub eo bellum gerens, poſtquam cognovit à quodam gentis hujus juvene, ſe ad dimicandum provocari (erat autem illi forte prandendi gratia poſita menſa) relicta ea, arma ſua extra vallum deferri, equumque duci clam juſſit, ne à Metello impediretur. Et illum Celtiberum inſolentiſsime bequitantem conſectatus interemit, detractaſque corporis ejus exuvias, ovans lętitia in caſtra retulit. Idem Piresum nobilitate, ac virtute omnes Celtiberos præſtantem cum ab eo in certamen pugnæ provocatus eſſet, ſuccumbere ſibi coëgit: nec erubuit fortiſsimi pectoris juvenis, gladium ei ſuum, & ſalutem utroque exercitu ſpectante tradere. Ille vero etiam petiit, ut hoſpitii jure inter ſe juncti eſſent, quando inter Romanos, & Celtiberos, pax foret reſtituta.

DE ATTILIO.

Nec Attilium quidem præterire poſſumus: qui

cum

cum decimę legionis miles pro C. Cęsaris partibus maritima pugna pręliaretur: abscissa dextera, quam Massilienssium navi injecerat, lęva puppim apprehendit; nec antè dimicare destitit quàm captam profundo mergeret: quod factum parum justa notitia patet.

DE CYNEGIRO.

At Cynegirum Athenienssem simili pertinacia in consectandis hostibus usum, verbosa cantu laudum suarum Græcia, omnium seculorum memoria litterarum præconio inculcat.

DE M. SCÆVA, ET SCÆVOLA.

Classicam Attilii gloriam, terrestri laude M. Scæva ejusdem Imperatoris centurio subsecutus est: cum enim pro castello, cui prępositus erat, dimicaret, Cn.que Pompeji præfectus, jussu ejus, summo studio, & magno militum numero ad id capiendum mitteretur: omnes, qui propius accesserant, interemit, ac sine ullo regressu pedes pugnans, super ingentem stragem, quam ipse fecerat, corruit, cujus corpus capite, humero, femore saucio, oculo eruto, scutum centum & xx. ictibus perfossum apparuit. Tales in castris divi Julii disciplina milites aluit, quorum alter dextera, alter oculo amisso hostibus inhęsit: Ille post hanc jacturam victor: Hic nec hac quidem jactura victus.

Tum vero Scęvola inexuperabilem spiritum in utraque parte rerum naturæ, qua admiratione prosequar, nescio: quoniam excellenti virtute, dubium reliquisti, inter undasnè pugnam fortiorem ederis, an in terra vocem emiseris. Bello nanque Gallico, quo C. Cæsar non contentus opera sua littoribus Oceani claudere, Britannicæ insulę cœlestes injecit manus

nus, cum quatuor commilitonibus rate transvectus, in scopulum vicinum insulæ, quam hostium ingentes copiæ obtinebant, postquam æstus regressu suo spatium, quo scopulus, & insula dividebantur, in vadum transitu facili redegit, ingenti multitudine barbarorum affluente, cæteris rate ad littus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, undique ruentibus telis, & ab omni parte acri studio ad te invadendum nitentibus, quinque militum diurno prælio sufficiura pila, una dextra, hostium corporibus adegisti: ad ultimum districto gladio, audacissimum quemque modo umbonis impulsu, modo mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili, dum cernereris, spectaculo fuisti: postquam deinde ira, ac pudor cuncta conari fessos coëgit, tragula femur trajectus, saxique pondere ora contusus, galea jam ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti, ac duabus loricis onustus, inter undas, quas hostili cruore infeceras, enatasti: visoque imperatore armis non amissis, sed bene impensis, cum laudem merereris, veniam petiisti. Magnus prælio, sed major disciplinæ militaris memoria: itaque ab optimo virtutis æstimatore, tum facta, tum etiam verba tua, centurionatus honore donata sunt.

DE LUCIO SICINIO DENTATO.

Sed quod ad prælatorum excellentem fortitudinem attinet, merito L. Sicinii Dentati commemoratio omnia Romana exempla finierit: cujus opera, honoresque operum ultra fidem veri, excedere judicari possent, nisi ea certi autores, inter quos Marcus Varro, monimentis suis testata esse voluissent, quem centies

ties & vigesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi, atque corporis utentem, ut majorem semper victoriæ partem traxisse videretur, sex & XXX. spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus spectante utroque exercitu ex provocatione dimicasset, XIV. cives ex media morte raptos servasse, quinque & XL. vulnera in pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo, novem triumphales imperatorum currus secutum, totius civitatis oculos in se numerosa donorum pompa convertentem. Præferebantur enim Aureæ coronæ octo: Civicæ XIV. Murales tres: Obsidionalis una: Torques CLXXXIII. Armillæ CLX. Hastæ XVIII. Phaleræ XXV. ornamenta etiam legioni, nedum militi satis multa.

DE T. JUBELIO CAMPANO.

Ille quoque ex pluribus corporibus in unum magna cum admiratione Calibus cruor confusus est: in quo oppido cum Fulvius Flaccus, propter campanam perfidiam principes civitatis ante tribunal suum capitali supplicio afficiendos judicaret, litterisque à senatu acceptis, finem pœnæ eorum statuere cogeretur, ultro se ei T. Jubelius Taurea Campanus obtulit: & quàm potuit clara voce, Quoniam, inquit, Fulvi cupiditate tanta hauriendi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim distringere? ut gloriari possis aliquanto virum fortiorem, quàm ipse es, tuo jussu esse interemptum. Eo deinde, libenter id se esse facturum, nisi senatus voluntate impediretur, affirmante: At me, inquit, cui nihil Patres C. præceperunt, aspice: oculis tuis quidem gratum, animo vero tuo majus opus edentem: protinusque interfecta conjuge, ac liberis, gladio incubuit. Quem virum illum putemus

mus fuisse, qui suorum, ac sua cæde testari voluit, se Fulvii crudelitatem fugillare, quàm senatus misericordia uti maluisse.

EXTERNA.

DE GOBRIA.

Age Gobriæ quantus ardor animi: qui cum sordida, & crudeli Magorum tyrannide Persas liberaret, unumque ex iis obscuro loco abjectum corporis pondere urgeret, præclari operis socio plagam ei inferre dubitanti, ne dum Magum petit, ipsum vulneraret, Tu verò, inquit, nihil est, quo respectu mei timidius gladio utaris: vel per utrumque illum agas licet, dum hic quàm celerrime pereat.

DE LEONIDA.

Hoc loci Leonidas Spartanus nobis occurrit: cujus proposito opere, exitu nihil fortius. Nam cum CCC. civibus apud Thermopylas toti Asiæ objectus, gravem illum, & mari, & terrę Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoque compedes, & cœlo tenebras minitantem, pertinacia virtutis ad ultimam desperationem redegit. Ceterum perfidia, & scelere incolarum ejus regionis, & loci opportunitate, qua plurimum adjuvabatur, spoliatus, occidere dimicans, quàm assignatam sibi à patria stationem deserere maluit. Ideoque tam alacri animo suos ad id prælium, quo perituri erant, cohortatus est; ut diceret sic: Prandete commilitones mei tanquam apud inferos cœnaturi. Mors erat denuntiata: Lacedæmonii perinde, ac victoria esset promissa, ductori intrepide paruerunt.

DE OTHRYADE.

Othryadę quoque pugnà pariter, ac morte spe-

cioſa Thyræatium laude, quam ſpatio latius ſolum cernitur: qui ſanguine ſuo ſcriptis litteris, direptam hoſtibus victoriam, tantum non poſt fata ſua in ſinum patriæ, cruento trophæi titulo retulit.

DE EPAMINUNDA.

Excellentiſsimos Spartanæ virtutis proventus, miſerabilis lapſus ſequitur. Epaminundas maxima Thebarum felicitas, idemque Lacedæmonis prima clades, cum vetuſtam ejus Urbis gloriam, invictamque ad id tempus publicam virtutem apud Leuctram, & Mantineam ſecundis prœliis contudiſſet, trajectus haſta, ſanguine, & ſpiritu deficiens, recreare ſe conantes, primum an clypeus ſuus ſalvus eſſet, deinde an fuſi hoſtes penitus forent, interrogavit: quæ poſtquam ex animi ſententia comperit, Non finis, inquit, commilitones meæ vitæ, ſed melius & altius initium advenit. Nunc enim veſter Epaminundas naſcitur, quia ſic moritur. Thebas ductu, & auſpiciis meis caput Græciæ factas video, & fortis, & animoſa civitas Spartana jacet armis noſtris abjecta: & amara dominatione Græcia liberata eſt: orbus quoque, non tamen ſine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctram, & Mantineam relinquo. E corpore deinde ſuo haſtam educi juſsit, eoque vulnere expiravit. Quòd ſi eum Dii immortales victoriis ſuis perfrui paſsi eſſent, hoſpes gloriſior patriæ mœnia non intraſſet.

DE THERAMENE ET THEOGENE.

Ac ne Theramenis quidem Athenienſis in publica cuſtodia mori coacti, parva mentis conſtantia, in qua triginta Tyrannorum juſſu porrectam veneni potionem non dubitanter hauſit. Quodque ex ea ſuper-

fue-

fuerat jocabundus illiſum humo clarum edere ſonum coegit. Reddenſque ſervo publico, qui eam tradiderat, Critię, inquit, propino: vide igitur ut hoc poculum ad eum continuò perferas, erat autem is ex xxx. tyrannis crudeliſsimus. Profecto eſt ſupplicio ſe liberare, tam facile ſupplicium perpeti. Itaque Theramenes perinde ac in domeſtico lectulo morieus, vita exceſsit. Inimicorum æſtimatione punitus, ſuo judicio finitus. Sed Theramenes à litteris, & doctrina virilitátem traxit. Numantino verò Theogeni ad conſimilem virtutem capeſſendam, quaſi magiſtra gentis ſuæ ferocitas exiſtit, perditis nanque, & afflictis rebus Numantinorum, cum omnes ejus cives nobilitate, pecunia, honoribuſque præſtaret: vicum ſuum, qui in ea Urbe ſpecioſiſsimus erat, contractis undique nutrimentis ignis, incendit: protinuſque ſtrictum gladium in medio poſuit, ac binos inter ſe dimicare juſsit: ut victus, inciſa cervice ardentibus tectis, ſuperjaceretur: qui cum tam forti lege mortis omnes aſſumpſiſſet, ad ultimum ſeipſum flammis immiſit.

DE UXORE ASDRUVALIS.

Verum ut æquè Populo Rom. inimicæ Urbis excidium referam: Carthagine capta, uxor Aſdrubalis exprobata ei impietate, quòd à Scipione ſoli ſibi impetrare vitam contentus fuiſſet, dextra, lęvaque tres communes filios mortem non recuſantes, trahens, incendio ſe flagrantis patriæ objecit.

DE DUABUS PUELLIS Syracuſanis.

Muliebris fortitudinis exemplo, ęquè fortem duarum puellarum caſum adjiciam. Cum peſtifera ſe-

ditione Syracusarum, tota regis Gelonis stirps evidentissimis exhausta cladibus ad unicam filiam Harmoniam virginem esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret: nutrix ejus, æqualem illi puellam, regio cultu ornatam, hostilibus gladiis objecit: quæ ne cum ferro quidem trucidaretur, cujus esset conditionis, ederet: proclamavit admirata illius animum Harmonia, & tantæ fidei superesse non sustinuit: Revocatosque interfectores, professa quænam esset, in eædem suam convertit: Ita alteri tectum mendacium, alteri veritas aperta finis vitæ fuit.

DE PATIENTIA.

CAPUT III.

EGregiis pariter virorum, ac fœminarum operibus fortitudo se oculis hominum subjecit. Patientiamque in medium procedere hortata est, non sanè infirmioribus radicibus stabilitam, aut minus generoso spiritu abundantem, sed ita similitudine junctam, ut cum ea, vel ex ea nata videri possit.

DE MUTIO SCÆVOLA.

Quid enim iis, quæ suprà retuli, facto Mutii convenientius? cum à Pòrsena rege Hetruscorum Urbem nostram gravi, ac diutino bello, urgeri ægrè ferret, castra ejus, clàm ferro cinctus, intravit: immolantemque ante altaria, conatus est occidere. Cæterum inter molitionem pii pariter ac fortis propositi oppressus, nec causam adventus texit: & tormenta quanto pere contemneret, mira patientia ostendit. Pertę enim (credo) dexteram suam, quòd ejus ministerio in

in cæde regis uti neqüisset, injectam foculo exuri passus est. Nullum profecto Dii immortales admotum aris cultum attentioribus oculis viderunt. Ipsum quoque Pòrsenam oblitum periculi sui, ultionem suam vertere in admirationem coëgit. Nam revertere, inquit, ad tuos Muti, & eis refer, te cum vitam meam petieris, à me vita donatum: cujus clementiam non adulatus Mutius, tristior Pòrsenæ salute, quàm suæ lætior, Urbi se cum çternç glorię cognomine, Scçvolam reddidit.

DE POMPEII PATIENTIA.

Pompeji etiam probabilis virtus: qui dum legationis officio fungeretur, à Genthio rege interceptus, cum senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernç admotum digitum cremandum prębuit: eaque patientia regi simul, & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excusit, & expetendæ P. R. amicitię magnam cupiditatem ingeneravit. Ac ne plura huiusce generis exempla domi scrutando, sæpius ad civilium bellorum detestandam memoriam progredi cogar, duobus Romanis exemplis contentus, quç ut clarissimarum familiarum commendationem, ita nullum publicum mœrorem continent, externa subnectam.

EXTERNA.

Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti. E quibus unus thuribulo accepto, ante ipsum astitit, in cujus brachio carbo ardens delapsus est: quo, etsi ita urebatur, ut adusti corporis ejus odor ad circunstantium nares perveniret, tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri, aut excusso turibulo impediret, aut edito gemitu au-

res regias aſpergeret. Rex quoque patientia pueri magis delectatus, hoc certius perſeverantiæ experimentum ſumere voluit, ſolito enim ſacrificavit diutius, nec hac re eum à propoſito repulit. Si huic miraculo Darius inſeruiſſet oculos, ſciſſet ejus ſtripis milites vinci non poſſe, cujus infirmam ętatem tanto robore prędítam animadvertiſſet. Eſt & illa vehemens & conſtáns animi militia, litteris pollens venerabilium doctrinæ ſacrorum Antiſtes Philoſophia, quę ubi pectore recepta eſt hominum, inhoneſto, atque inutili affectu depulſo, totum in ſolidę virtutis munimento confirmat, potentiuſque metu, ac dolore facit.

DE ZENONE ELEATE.

Incipiam autem à Zenone Eleate: qui cum eſſet in diſpicienda rerum natura maximæ prudentiæ, in- que excitandis ad vigorem juvenum animis promptiſ- ſimus, pręceptorum fidem exemplo virtutis ſuę pu- blicavit: patriam enim egreſſus, in qua frui ſecura li- bertate poterat, Agrigentum miſerabili ſervitute obrutum petiit, tanta fiducia ingenii, ac morum ſuo- rum fretus, ut ſperaverit & Tyranno, & Phalaridi veſanæ mentis feritatem à ſe diripi poſſe. Poſtquam deinde apud illum plus conſuetudinem dominationis quàm conſilii ſalubritatem valere animadvertit, no- biliſſimos ejus civitatis adoleſcentes, cupiditate libe- randæ patrię inflamavit. Cujus rei cum indicium ad tyrannum manaſſet, convocato in forum populo, tor- quere eum vario cruciatus genere cœpit: ſubinde quęrens quoſnam conſilii participes haberet: at ille nec eorum quempiam nominavit, & proximum quem- que ac fideliſſimum tyranno ſuſpectum reddidit: in- crepitanſque Agrigentinis ignaviam, ac timiditatem

eſ-

effecit, ut subito mentis impulsu concitati, Phala lapidibus prosternerent. Senis ergo unius eculeo impositi, non supplex vox, nec miserabilis ejulatus, sed fortis cohortatio totius Urbis animum, fortunamque mutavit.

DE ALTERO ZENONE.

Ejusdem nominis philosophus, cum à Nearcho tyranno, de cujus nece consilium inierat, torqueretur, supplicii pariter, atque indicandorum gratia conscriorum, doloris victor, sed ultionis cupidus, esse dixit, quod secreto audire eum admodum expediret: laxatoque eculeo, postquam insidiis opportunum tempus animadvertit, aurem ejus morsu corripuit, nec antè dimisit, quam & ipse vita, & ille corporis parte privaretur.

DE ANAXARCHO.

Talis patientiæ æmulus Anaxarchus, cum à Tyranno Cypriorum Nicocreonte torqueretur, nec ulla vi inhiberi posset, quo minus amarissimorum eum maledictorum verberibus invicem ipse torqueret: ad ultimum amputationem linguæ minitanti, Non erit, inquit, effœminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuę ditionis, protinusque dentibus abscissam, & commanducatam linguam, in os ejus ira patens expuit. Multorum autem aures illa lingua, & in primis Alexandri regis admiratione sui attonitas habuerat, dum terræ conditionem, ambitum maris, siderum motus, totiusque denique mundi naturam prudentissime & facundissime exprompsit. Penè tamen occidit gloriosius, quàm viguit, quia tam forti fine illustem professionis actum comprobavit: Anaxar-

chique non vitam modò deſeruit, ſed mortem reddidit clariorem.

DE THEODORO.

In Theodoro quoque viro graviſsimo Hieronymus tyrannus tortorum manus fruſtra fatigavit. Rupit enim verbera, fidiculas laxavit, ſolvit eculeum, laminas extinxit prius, quàm efficeret, ut tyrannicidii conſcios indicaret. Quinetiam ſatellitem, in quo totius dominationis ſumma quaſi quodam cardine verſabatur, falſa criminatione inquinando, fidum lateri ejus cuſtodem eripuit, beneficioque patientiæ, non ſolum quę occulta fuerunt, texit, ſed etiam tormenta ſua ultus eſt: quibus Hieronymus dum inimicum cupide lacerat, amicum temere perdidit. Apud Indos vero patientiæ meditatio tam obſtinate uſurpari creditur, ut ſint, qui omne vitæ tempus nudi exigant, modo Caucaſi montis gelido rigore corpora ſua durantes, modò flammis ſine ullo gemitu objicientes, atque haud parva his gloria contemptu doloris acquiritur, titulus nanque ſapientiæ datur. Hæc è pectoribus altis, & eruditis otta ſunt.

DE QUODAM SERVO.

Illud tamen non minus admirabile, quod ſervilis animus cepit. Servus barbarus Aſdrubalem, quòd dominum ſuum occidiſſet, graviter ferens, ſubito aggreſſus interemit.

Cumque comprehenſus omni modo cruciaretur, lętitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore conſtantiſsime retinuit. Non ergo faſtidioſo aditu virtus excitata, ingenia vivida ad ſe penetrare patitur. Neque hauſtum ſui cum aliquo perſonarum diſcrimine largum, malignumve prębet, ſed omnibus

æqua-

æqualiter expoſita, quid cupiditatis potiùs, quàm quid dignitatis attuleris, æſtimat: inque captu bonorum ſuorum tibi ipſi pondus examinandum relinquit, ut quantum ſubire animo ſuſtinueris, tantum tecum auferas. Quo evenit, ut & humili loco nati, ad ſummam dignitatem conſurgant, & generoſiſsimarum imaginum fœtus, in aliquod revoluti dedecus acceptam à majoribus lucem, in tenebras convertant, quæ quidem planiora ſuis exemplis redduntur: ac prius de iis ordiar, quorum in meliorem ſtatum facta mutatio, ſplendidam relatu præbet materiam.

DE IIS, QUI HUMILI LOCO NATI, clari evaſerunt.

CAPUT IV.

INcunabula Tullii Hoſtilii agreſte tugurium cepit: Ejuſdem adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata: Validior ætas Imperium Romanum rexit, & duplicavit: Senectus excellentiſsimis ornamentis decorata, in excellentiſsimo majeſtatis faſtigio fulſit, verum Tullius etſi magni, & admirabilis incrementi, domeſticum tamen exemplum eſt.

DE TARQUINIO PRISCO.

Tarquinium autem Priſcum ad Romanum Imperium occupandum fortuna in Urbem noſtram advexit: alienum, quòd exactum: alieniorem, quòd ortum Corintho: faſtidiendum, quòd mercatore genitum: erubeſcendum, quòd etiam exule Demarato natum patre. Cererum tam proſperum conditionis ſuæ eventum, induſtrium, pro invidioſo: glorioſum, pro invi-

viſo reddit: dilatavit enim fines Rom. Pop. cultum deorum novis ſacerdotiis auxit, numerum Senatus amplificavit, equeſtrem ordinem uberiorem reliquit: quodque laudum ejus conſummatio eſt, præclaris virtutibus effecit, ne hęc civitas pœnitentiam ageret, quòd regem de finitimis potius mutuata eſſet, quàm de ſuis elegiſſet.

DE TULLIO SERVIO REGE.

In Tullio vero Servio fortuna præcipue vires ſuas oſtendit: Vernam huic Urbi natum, regem dando: cui quidem diutiſsime imperium obtinere, quater luſtrum condere, ter triumphare contigit: ad ſummam autem unde proceſſerit, aut quò pervenerit, ſtatuę ipſius titulus abunde teſtatur, ſervili cognomine, & regia appellatione perplexus.

DE VARRONE.

Miro quoque gradu Varro ad conſulatum ex macellaria patris taberna conſcendit, & quidem fortuna parum duxit ſordidiſsimę mercis capturis inquinari ſolito xii. faſces largiri, niſi etiam L. Æmilium Paulum dediſſet collegam, atque ita ſe in ejus ſinum infudit, ut cum apud Cannas culpâ ſua vires Pop. Rom. exhauſiſſet, Paulum quoque, qui prędium committere noluerat, occidere pateretur, illum in Urbem incolumem reduceret. Quinetiam ſenatum gratias ei agentem, quod redire voluiſſet, ante portas eduxit extuditque, ut graviſsimę cladis autori Dictatura deferretur.

DE M. PERPENNA.

Non parvus conſulatus rubor Marcus Perpenna, utpote qui Cos. antè, quàm civis, ſed in bello gerendo utilior aliquanto Reip. Varrone Imperatore. Regem enim Ariſtonicum cepit: Craſsianęque ſtragis pu-

punitor extitit. Cum interim cujus vita triumphavit, mors Papia lege damnata est. Nanque patrem illius, nihil ad se pertinentia civis Romani jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in pristinas sedes coëgerunt. Ita Marci Perpennæ nomen adumbratum: falsus Consulatus, caliginis simile imperium, caducus triumphus, aliena in Urbe improbe peregrinatus est.

DE M. PORCIO CATONE.

Marci vero Porcii Catonis incrementa publicis votis expetenda fuerunt: qui nomen suum Tusculi ignobile, Romę nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo literarum latinarum monimenta, adjuta disciplina militaris, aucta majestas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior est ortus Cato.

EXTERNA.

DE SOCRATE.

Sed ut Romanis externa jungamus: Socrates non solum hominum consensu, verumetiam Appollinis oraculo sapientissimus judicatus, Phænarete matre obstetrice, & Sophronisco patre marmorario genitus, ad clarissimum lumen glorię excesit: neque immeritò. Nam cum eruditissimorum virorum ingenia in disputatione cęca vagarentur, mensurasque Solis, & Lunę, & ceterorum siderum loquacibus magis, quàm certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent, primus ab his indoctis erroribus abductum animum suum in intima conditionis humanæ, & in secessum pectoris repositos affectus scrutari coëgit: si virtus per seipsam ęstimetur, vitæ magister optimus.

DE

DE EURIPIDE, ET DEMOSTHENE.

Quam matrem Euripides, aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque seculo ignotum fuit: alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse omnium penè doctorum litteræ loquuntur: sed quid aut illius tragica, aut hujus oratoria vi clarius.

DE IIS QUI A PARENTIBUS CLARIS degeneraverunt.

CAP. V.

SEquitur duplicis promissi pars adopertis illustrium virorum imaginibus reddenda: quoniam quidem sunt referendi, qui ab earum splendore degeneraverunt, teterrimis ignaviæ, ac nequitiæ sordibus, imbuta nobilia portenta.

DE SCIPIONE IGNOBILI FIL. Afric.

Quid enim monstro similius, quàm superioris Africani filius Scipio? Qui in tanta domestica gloria ortus, à parvulo admodum Regis Antiochi præsidio capi sustinuit: cum ei voluntaria morte absumi satius fuerit, quàm inter duo fulgentissima cognomina patris, & patrui, altero oppressa Africa jam parto, altero jam majore ex parte recuperata Asia, surgere insipiente, manus vinciendas hosti tradere, ejusque beneficio precarium spiritum obtinere: de quo mox L. Scipio speciosissimum Deorum, hominumque oculis subjecturus erat triumphum. Idem prœturæ petitor candidam togam adeo turpitudinis maculis obsolefac-

tam

sem in campum detulit, ut nisi gratia Ciceroi, qui patris ejus scriba fuerat, adjutus esset, honorem à Po. impetraturus non videretur: quanquam quid interfuit utrum repulsam, an sic adeptam præturam domum referret? quam cum propinqui ab eo pollui animadverterent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut jus dicere auderet. Insuperque è manu ejus annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt. Dii boni quas tenebras è quo fulmine nasci passi estis?

De Filio Q. Fabii Degenere.

Age Qu. Fabii Max. Allobrogici & civis, & imperatoris clarissimi filius Qu. Fabius Max. quàm perditam luxuria vitam egit? cujus & cætera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possent, quòd ei Qu. Pompejus prætor urbanus, paternis bonis interdixit: neque in tanta civitate, qui illud decretum reprehenderet, inventus est: dolenter enim homines ferebant pecuniam, quæ Fabiæ gentis splendori servire debebat, flagitiis disjici. Ergo quem nimia patris indulgentia hæredem relinquerat, publica severitas exhæredavit.

De Filio Clodii Pulchri.

Possedit favorem plebis Clodius Pulcher, adhærensque Fulvianæ stolæ pugio, militare decus muliebri imperio subjectum habuit: quorum filius Pulcher, præterquam quòd enervem, & frigidam juventam egit, perdito etiam amore vulgatissimæ meretricis infamis fuit, mortisque erubescendo genere consumptus est: abdomine enim avide devorato, fœdæ, ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit.

DE HORTENSIO CORBIONE.

Jam Qu. quidem Hortenſii, qui in maximo & ingenuorum civium, & ampliſsimorum proventu, ſummum autoritatis, atque eloquentiæ gradum obtinuit: nepos Hortenſius Corbio omnibus ſcortis abjectiorem, & obſcœniorem vitam exegit: ad ultimumque lingua ejus tam libidini cunctorum inter lupanaria proſtitit, quam avi pro ſalute civium in foro excubuerat. Animadverto in quàm periculoſum iter proceſſerim. Itaque meipſum revocabo, ne reliquæ ejuſdem generis naufragia conſectari perſeveravero, aliqua inutili relatione implicer. Referam igitur pedem, deformeſque umbras in imo gurgite turpitudinis ſuæ jacere patiar. Satius eſt enim narrare qui illuſtres viri in cultu, ceteroque vitæ ritu, aliqua ex parte novando, ſibi indulſerunt.

QUI EX ILLUSTRIBUS IN VESTE AUT IN CÆtero cultu licentius, quàm mos patrius permittebat, indulſerunt.

CAP. VI.

DE P. SCIPIONE.

PUblius Scipio, cum in Sicilia augendo exercitum trajiciendoque in Africam opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volueret, inter conſilia, ac molitiones tantæ rei operam Gymnaſio dedit, pallioque & crepidis uſus eſt: nec hac re ſegniores Punicis exercitibus manus intulit: ſed neſcio an ideo alacriores, quia vegeta, & ſtrenua ingenia, quo plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edunt. Crediderim etiam favorem eum ſociorum

ube-

uberiorem se adepturum existimasse, si victum eorum & solemnes exercitationes comprobasset: ad quas tum veniebat, cum multum, ac diu fatigasset humeros, & cetera membra militari agitatione firmitatem suam probare coëgisset: consistebatque in illis labor ejus, in iis remissio laboris.

DE L. SCIPIONE.

Lucii verò Scipionis statuam chlamydatam, & crepidatam in Capitolio cernimus, quo habitu videlicet, quia aliquando usus erat, effigiem suam formatam poni voluit.

DE L. SYLLA.

Lucius quoque Sylla, cum imperator esset, chlamydato sibi, & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.

DE CAIO DUELLIO.

Cajus autem Duellius, qui primus navalem triumphum ex Pœnis retulit, quotiescunque epulaturus erat, ad funalem cereum pręeunte tibicine, & fidicine, a cœna domum reverti solitus est, insignem bellicæ rei successum, nocturna celebratione testando.

DE PAPYRIO MASSONE.

Nam Papyrius quidem Masso, cum bene gesta Rep. triumphum a Senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & cæteris postea exemplum prębuit, proque laurea corona, cum alicui spectaculo interesset, myrtea usus est.

DE C. MARIO.

Num C. Marii penè insolens factum? Nam post Jugurthinum, Cimbricumque, & Theutonicum triumphum, cantaro semper potavit: quòd Liber pater inclytum ex Asia ducens triumphum hoc usus poculi

culi genere ferebatur, ut inter ipsum haustum vini victoriæ ejus suas victorias compararet.

DE M. CATONE.

Marcus autem Cato Prætor M. Scauri, cæterorumque reorum judicia nulla indutus tunica, sed tantummodo amictus prætexta, egit: sed hæc, atque his similia, virtutis aliquid sibi in consuetudine novandæ licentiæ sumentis indicia sunt. Illis autem, quæ deinceps subnectam, quantam sui habere fiduciam soleat, cognoscetur.

DE FIDUCIA SUI.

CAPUT VII.

PUb. & Cn. Scipionibus in Hispania cum majore parte exercitus acie Punica oppressis, omnibusque provinciæ ejus nationibus Carthaginiensium amicitiam secutis, nullo ducum nostrorum illuc ad corrigendam rem proficisci audente, P. Scipio quartum & vigesimum annum agens iturum se pollicitus est. Quæ quidem fiducia P.R. salutis ac victoriæ spem dedit. Eademque in ipsa Hispania usus est. Nam, cum oppidum Badiam circunsederet, tribunal suum adeuntes, in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, vadimonium in posterum diem facere jussit, continuoque Urbe potitus, & tempore, & loco, quo prædixerat, sella posita, jus eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius.

Nec minus animosus, minusvè prosper illius in Africam transitus, in quam è Sicilia exercitum senatu vetante traduxit, quia nisi plus in ea re suo, quàm PA-

CONSC. consilio credidisset, secundi Punici belli finis inventus non esset.

Cui facto par illa fiducia, quòd postquam Africam attigit, speculatores Annibalis in castris deprehensos, & ad se perductos, nec supplicio affecit, nec de consiliis, ac viribus Pœnorum percunctatus est. Sed circa omnes manipulos diligentissime deducendos curavit. Interrogatosque an satis ea considerassent, quæ speculari jussi erant, prandio dato ipsis, jumentisque eorum, incolumes dimisit: quo tam pleno fiduciæ spiritu prius animos hostium, quàm arma contudit. Verum ut ad domestica eximiæ ejus fiduciæ acta veniamus: cum à L. Scipione ex Antiochensi pecunia HS. quadragies ratio in curia reposceretur, prolato ab eo libro, quo acceptę expensæque summæ continebantur, refellique inimicorum accusatio poterat, discerpsit: indignatus de ea re dubitari, quę sub ipso legato administrata fuerat. Quinetiam in hunc modum egit: Non reddo P.C. ærario vestro HS. quadragies rationem alieni imperii minister, quòd meo ductu, meisque auspiciis bis millies HS. uberius feci. Neque enim adhuc puto eò malignitatis ventum, ut de mea innocentia quærendum sit. Nam cum Africam totam potestati vestrę subjecerim, nihil ex ea quod meum dicerem, præter cognomen, retuli. Non igitur me Punicę, non fratrem meum Asiaticę gazæ avarum reddiderunt: sed uterque nostrum invidia magis, quàm pecunia locupletior est. Tam constantem defensionem Scipionis universus Senatus comprobavit. Sicut illud factum: quod cum ad necessarium Reip. usum pecuniam ex ærario promi opus esset, idque Quæstores, quia lex obstare videretur, aperire non auderent, privatus claves poposcit, patefactoque ærario, legem utilitati

cedere coëgit : quam quidem fiduciam conſcientia illa dedit , quia meminerat omnes leges à ſe eſſe ſervatas. Non fatigabor ejuſdem facta identidem referendo, quoniam nec ille quidem in conſimili genere virtutis edendo fatigatus eſt. Diem illi ad populum M. Nævius Trib. pl. aut (ut quidam memorant) duo Petilii dixerant, qui ingenti frequentia in forum deductus, roſtra conſcendit , capitique ſuo corona triumphali impoſita , Hac ego , inquit , Quirites , die Carthaginem magna ſperantem , leges noſtras accipere juſsi: proinde æquum eſt vos mecum ire in Capitolium ſupplicatum: ſpecioſiſsimam deinde ejus vocem æque clarus eventus ſecutus eſt : ſiquidem & ſenatum totum, & univerſum equeſtrem ordinem , & cunctam plebem Jovis Opti. Max. pulvinaria petens , comitem habuit. Reſtabat ut Trib. apud populum ſine populo ageret, deſertuſque in foro cum magno calumniæ ſuæ ludibrio , ſolus moraretur : cujus devitandi ruboris cauſa, in Capitolium proceſsit , deque accuſatore , Scipionis venerator eſt factus.

DE SCIPIONE ÆMILIANO.

Aviti ſpiritus egregius ſucceſſor Scipio Æmilianus, cum Urbem prævalidam obſideret , ſuadentibus quibuſdam ut circa mœnia ejus ferreos murices ſpargeret , omniaque vada tabulis plumbatis conſterneret habentibus clavorum cacumina , ne ſubita eruptione hoſtes in præſidia noſtra impetum facere poſſent : reſpondit , non eſſe ejuſdem , & capere aliquos velle, & timere.

DE SC. NASICA.

In quamcunque memorabilium partem exemplorum convertor , velim , nolimvè in cognomine Scipio-

pionum hæream neceſſe eſt: cui enim licet hoc loci Naſicam pręterire fidentis animi, dictique clariſsimum autorem? Annonæ caritate increbreſcente, C. Curiatus Trib. ple. productos in concionem Coss. compellebat, ut de frumento emendo, atque ad id negotium explicandum mittendis legatis in curiam referrent. Cujus inſtituti, minime utilis, interpellandi gratia Naſica contrariam actionem ordiri cœpit: obſtrepente deinde plebe, Tacete quæſo Quirites, inquit, plus enim ego, quàm vos quid Reipub. expediat, intelligo: qua voce audita, omnes pleno venerationis ſilentio, majorem autoritatem ejus quàm ſuorum alimentorum reſpectum egerunt.

DE LIVIO SALINATORE.

Livii quoque Salinatoris æternæ memorię autoritate tradendus animus: qui cum Aſdrubalem, exercitumque Pœnorum in Umbria deleſſet, & ei diceretur, Gallos, ac Ligures ex acie ſine ducibus & ſignis ſparſos, ac palantes parva manu opprimi poſſe, reſpondit, in hoc eis oportere parci, ne hoſtibus tantæ cladis domeſtici nuntii deeſſent.

DE P. FURIO PHILO.

Bellica hęc præſtantia animi: togata illa, ſed non minus laudabilis, quam Publius Furius Philus Cos. in ſenatu exhibuit. Qu. enim Metellum, Qu. que Pompejum conſulares viros vehementer inimicos ſuos, cupitam ſibi profectionem in provinciam Hiſpaniam, quam ſortitus erat, identidem exprobrantes, legatos ſecum illuc ire coëgit, fiduciam non ſolum fortem, ſed penè etiam temerariam exhibens: quę duobus acerrimis odiis latera ſua cingere auſa eſt, uſumque miniſterii vix tutum in amicis, è ſinu inimicorum petere ſuſtinuit.

DE L. CRASSO.

Cujus factum, si cui placet, necesse est L. etiam Crassi, qui apud majores eloquentia clarissimus fuit, propositum non displiceat: nam cum ex consule provinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn. Carbo, cujus patrem damnaverat, ad speculanda acta sua venisset, non solum eum inde non summovit, sed insuper locum ei in tribunali assignavit, nec ulla de re, nisi eo in consilium adhibito, cognovit. Itaque acer, & vehemens Carbo, nihil aliud Gallica peregrinatione consecutus est, quàm ut animadverteret, sontem patrem suum, ab integerrimo viro in exilium missum.

DE CATONE SUPERIORE.

Cato verò superior sæpenumero ab inimicis ad causæ dictionem vocatus, nec ullo unquam crimine convictus: ad ultimum fiduciæ in sua innocentia reposuit, ut ab his in quæstionem publicam deductus, T. Gracchum, à quo in administratione Reipub. ad multum odium dissidebat, judicem deposceret. Qua quidem animi præstantia pertinaciam eorum insectandi se inhibuit.

DE M. SCAURO.

Eadem M. Scauri fortuna, æque senectus longa ac robusta, idem animus: qui cum pro rostris accusaretur, quòd à Rege Mithridate ob Remp. prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit: Est enim Quirites iniquum, cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos, quorum major pars honoribus, & actis meis interesse non potuit, interrogare. Varius Sucronensis M. Æmilium Scaurum regia mercede corruptum, Imperium Pop. Rom prodidisse ait: M. Æmilius Scaurus

huic

huic se affinem esse culpæ negat Utri creditis? Cujus dicti admiratione populus commotus, Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.

DE M. ANTONIO.

Contrà M. Antonius ille disertus. Non enim respuendo, sed ampiectendo causę dictionem, quàm innocens esset, testatus est. Quæstor proficiscens in Asiam, Brundusium jam pervenerat: ubi litteris certior factus, incesti se postulatum apud L. Cassium Prętorem, cujus tribunal propter nimiam severitatem Scopulus reorum dicebatur: cum id vitare beneficio legis Memiæ liceret, quæ eorum, qui Reip causa abessent, recipi nomina vetabat: in Urbem tamen recurrit, quod tam pleno fiduciæ bonę consilio, tum absolutionem celerem, tum professionem honestiorem consecutus est.

DE SENATU ROMANO.

Sunt & illa speciosæ fiduciæ publica exempla. Nam cum eo bello, quod adversus Pyrrhum gerebatur, Carthaginienses C. ac XXX. navium classem in præsidium Romanis Hostiam ultro misissent, senatui placuit, legatos eorum ad ducem ire, qui dicerent, Pop. Rom. bella suscipere solere, quæ suo milite gerere posset: proinde classem Carthaginem reducerent. Idem post aliquot annos Cannensi clade exhaustis Romani Imperii viribus, supplementum exercitus in Hispaniam mittere ausus, fecit ne hostilium locus castrorum, tum maxime Capenam portam armis Annibale pulsante, minoris veniret, quàm si illum Pœni non obtinerent. Ita se gerere in adversis rebus, quid aliud est, quàm sęvientem fortunam, in adiutorium sui pudore victam convertere?

DE ACCIO POETA.

Magno ſpatio diviſus eſt à ſenatu ad poëtam Accium tranſitus. Ceterum ut ab eo decentius ad externa tranſeamus, producatur in medium. Is Julio Cæs. ampliſsimo, & florentiſsimo viro, in collegium poëtarum venienti nunquam aſſurrexit: non majeſtatis ejus immemor, ſed quòd in comparatione communium ſtudiorum, aliquanto ſuperiorem ſe eſſe confideret: quapropter inſolentię crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur.

EXTERNA.

DE EURIPIDE TRAGICO.

Nec Euripides quidem Athenis arrogans viſus eſt, cum poſtulante populo, ut ex tragœdia quandam ſententiam tolleret, progreſſus in ſcenam, dixit, ſe ut eum doceret: non un ab eo diſceret, fabulas componere ſolere. Laudanda profecto fiducia eſt, quę æſtimationem ſui certo pondere examinat, tantum ſibi arrogans, quantum à contemptu, & inſolentia diſtare ſatis eſt. Itaque & quòd Alceſtidi tragico poëtę reſpondit, probabile: apud quem cum quereretur, quòd eo triduo non ultra tres verſus maximo impenſo labore deducere potuiſſet, atque is, ſe centum perfacile ſcripſiſſe gloriaretur: Sed hoc, inquit, intereſt, quòd tui in triduum tantummodo, mei verò in omne tempus ſufficient. Alterius enim fœcundi curſus ſcripta, intra primas memoriæ metas corruerunt, alterius cunctante ſtylo elucubratum opus, per omne ęvi tempus plenis gloriæ velis feretur.

DE

DE ANTIGENIDA.

Adjiciam ſcenæ ejuſdem exemplum: Antigenidas tibicen diſcipulo ſuo magni profectus, ſed parum feliciter populo ſe approbanti, cunctis audientibus, dixit: Mihi cane, & Muſis, quia videlicet perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, juſta fiducia non exuitur, quamque ſcit ſe laudem meritam, eam etſi ab aliis impetrat, domeſtico tamen acceptam judicio refert.

DE ZEUSI PICTORE.

Zeuſis autem cum Helenam pinxiſſet, quid de eo opere homines ſenſuri eſſent, expectandum non putavit: ſed protinus hos verſus adjecit:

(1) *Haud turpe eſt Troas, fulgenteſque ære Pelaſgos,*
Conjuge pro tali diuturnos ferre labores,
Æternis facies nimis eſt æquanda deabus.

Adeo nè dextræ ſuæ multum pictor arrogavit, ut ea tantum forma comprehenſum crederet, quantum aut Leda cœleſti partu edere, aut Homerus divino ingenio exprimere potuit?

DE PHIDIA.

Phidias quoque Homeri verſibus egregio dicto alluſit. Simulachro enim Jovis Olympii perfecto, quo nullum præſtantius aut admirabilius humanæ fabricatæ ſunt manus, interrogatus ab amico, quonam mentem ſuam dirigens, vultum Jovis propemodum ex ipſo cœlo petitum, eboris lineamentis eſſet amplexus: illis ſe verſibus quaſi magiſtro uſum reſpondit:

(1) *Iliad.* 3.

(1) *Atque supercilliis saturnius annuit atris,*
Ambrosiæ fluxere comæ de vertice Regis
Æterni: ast nutu totum concussit Olypum.

DE EPAMINUNDA.

Non patiuntur me tenuioribus exemplis diutius insistere fortissimi duces: siquidem Epaminundas, cum ei cives irati, sternendarum in oppido viarum contumeliæ causa curam mandarent (erat enim illud ministerium apud eos sordidissimum) sine ulla cunctatione id recepit, daturumque se operam, ut brevi speciosissimum fieret, asseveravit: mirifica deinde procuratione, abjectissimum negotium, pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit.

DE ANNIBALE.

Annibal vero, cum apud Regem Prusiam exularet, autorque ei committendi prælii esset, atque is non idem sibi extis portendi diceret: An tu, inquit, vitulinæ carunculæ, quàm imperatori veteri mavis credere? si verba numeres, breviter, & abscisse: si sensum æstimes, copiose, & valenter. Hispanias enim direptas Pop. Rom & Galliarum, ac Ligurię vires in suam redactas potestatem, & novo transitu Alpium juga patefacta, & Trasimenum lacum dira inustum memoria, & Cannas Punicæ victorię clarissimum monimentum, & Capuam possessam, & Italiam laceratam, ante pedes hominis effudit, uniusque hostiæ jecinori, longo experimento testatam gloriam suam, postponi æquo animo non tulit: & sanè quod ad exploranda bellica sacrificia, æstimandosque militares ductus attinebat, omnes foculos, omnes aras

Bi-

(1) *Iliad.* 1.

Bithynię, Marte ipso judice, pectus Annibalis prægravasset.

DE COTYE.

Capax generosi spiritus illud quoque dictum Regis Cotys: ut enim ab Athenienſibus civitatem sibi datam cognovit, & ego inquit, illis meę gentis jus dabo. Æquavit Athenis Thraciam, ne vicisitudine talis beneficii imparem se judicando, humilius de origine sua sentire existimaretur.

DE UTROQUE SPARTANO.

Nobiliter etiam uterque Spartanus, & qui increpitus à quodam, quòd in aciem claudus descenderet: puguare, non fugere propositum sibi esse respondit: & qui referente quodam, sagittis Persarum Solem obscurari solere: bene narras, inquit, in umbra enim melius prœliabimur. Vir ejusdem Urbis, atque animi, hospiti suo patrię muros excelsos, latosque ostenden-ti dixit: Si mulieribus istos comparastis, recte: si viris, turpiter.

DE CONSTANTIA.

CAP. VIII.

APtum, & animosum bonę fiduciæ pectus emenso quasi debitum opus supereſt, Constantiæ repræsentare naturam. Natura enim sic comparatum est, ut quisquis se aliqūid ordine, ac recta mente complexum confidit, vel jam gestum si obtrectetur, acriter tueatur: vel nondum editum, si interpelletur, sine ulla cunctatione ad effectum perducat.

DE

DE FULVIO.

Sed dum exemplar propositę rei prosequor, latius mihi circunspicienti, ante omnia se Fulvii Flacci constantia offert. Capuam fallacibus Annibalis promissis Italiæ Regnum nefaria defectione paciscì persuasam, armis occupaverat: tandem culpæ hostium tàm justus æstimator, quàm spectosus victor, Capuanum Senatum impii decreti autorem, funditus delere constituit. Itaque catenis onustum in duas custodias, Theanam, Calenamque divisit: consilium executurus, cum ea peregisset, quorum administrandorum celerior esse necessitas videbatur: rumore deinde de Senatus mitiore sententia orto, ne debitam pœnam scelerati effugerent, nocte admisso equo, Theanam contendit, interfectisque qui ibi asservabantur, evestigio Calenam transgressus, perseverantię suę opus executus est: & jam deligatis ad palum hostibus, litteras à P. C. nequicquam Capuanis salutares accepit. In sinistra enim eas manu sicut erant traditæ, reposuit, ac jusso lictore lege agere, tunc demum aperuit, postquam illis obtemperari non poterat. Qua constantia victorię quoque gloriam antecedit: quia si eum intra seipsum partita laude estimes, majorem punita Capua, quàm capta reperies.

DE Q. FABIO MAXIMO.

Atque ista quidem severitatis, illa verò pietatis constantia admirabilis, quam Qu. Fabius Max. infatigabilem patriæ prestitit: pecuniam pro captivis Annibali numeravit, fraudatus ea publicè tacuit. Dictatore ei magistrum equitum Minutium jure imperii senatus æquaverat, silentium egit: compluribus præterea injuriis lacessitus in eodem animi habitu permansit, nec un-

unquam ſibi Reipublicę permiſit iraſci, tam perſeverans in amore civium fuit. Quid in bello gerendo: nonnè par ejus conſtantia? Imperium Rom. Cannenſi prælio penè deſtructum vix ſufficere ad exercitus comparandos videbatur. Itaque fruſtrari, & eludere Pœnorum impetus, quàm manum cum iis tota acie conſerere melius ratus: pluribus comminationibus Annibalis irritatus, ſępe etiam ſpe bene gerendę rei oblata, nunquam à conſilii ſalubritate, ne parvi quidem certaminis diſcrimine, receſsit: quodque eſt difficillimum, ubique ira, ac ſpe ſuperior apparuit. Ergo ut Scipio pugnando, ita hic non dimicando, maxime civitati noſtræ ſuccurriſſe viſus eſt: alter enim celeritate ſua Carthaginem oppreſsit: alter cunctatione id egit, ne Roma opprimi poſſet.

DE C. PISONE, ET M. PALICANO.

Cajum etiam Piſonem mirifice &, conſtanter turbulento Reip. ſtatu egiſſe Cos. narratione inſequenti patebit. M. Palicani ſeditioſiſsimi hominis peſtiferis blanditiis prępreptus populi favor, conſularibus comitiis ſummum dedecus admittere conabatur, ampliſſimum ei deferre imperium cupiens, cujus teterrimis actis exquiſitum potius ſupplicium, quàm ullus honos debebatur. Nec deerat conſternatæ multitudini furialis fax tribunitia, quæ temeritatem ejus & ruentem comitaretur, & languentem actionibus ſuis inflammaret: in hoc miſerando pariter atque erubeſcendo ſtatu civitatis, tantummodo manibus Tribunorum pro roſtris Piſo collocatus eſt: cum hinc, atque illinc eum ambiſſent, ac Palicanum ſuffragiis populi Cos. creatum, an renuntiaturus eſſet interrogaretur: primo reſpondit, non exiſtimare ſe tantis tenebris offuſam

eſſe

esse Remp. ut huc indignitatis veniretur. Deinde cùm perseveranter instarent, ac dicerent: age, si ventum fuerit: Non renuntiabo, inquit. Quo quidem tam abscisso responso consulatum Palicano, prius quàm illum adipisceretur, eripuit. Multa, & terribilia Piso contempsit, dum speciosum mentis suæ flecti non vult rigorem.

DE METELLO.

Metellus autem Numidicus, propter consimilè perseverantiæ genus, excepit quoque indignam majestate, ac moribus suis procellam: cum enim animadverteret, quò tenderent Saturnini Trib.Pleb.funesti conatus: quantoque malo Reipublicæ, si non his occurreretur, erupturi essent: in exilium, quam in legem ejus ire maluit. Potest aliquis hoc viro dici constantior? Qui ne sententia sua pelleretur, patria, in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit.

DE Q. SCÆVOLA.

Cæterum ut neminem ei prætulerim, ita Qu.Scævolam Augurem merito compararim: depulsis prostratisque inimicorum partibus, Sylla occupata Urbe, senatum armatus coëgerat, ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius, quamcelerrime hostis judicaretur: cujus voluntati nullis obviam ire audentibus, solus Scævola interrogatus de hac re, sententiam dicere noluit, quinetiam truculentius sibi minitanti Syllæ, licet, inquit, mihi agmina militum, quibus curiam circunsedisti, ostentes: licet mortem identidem miniteris: nunquam efficies, ut propter exiguum, senilemque sanguinem meum, Marium, à quo urbs, & Italia conservata, hostem judicem.

DE

DE SEMPRONIA.

Quid fœminæ cum concione? si patrius mos servetur, nihil. Sed ubi domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscæ consuetudinis autoritas convellitur: plusque valet quod violentia cogit, quàm quod suadet, & præcipit verecundia. Itaque te Sempronia Tib. & C. Gracchorum soror, uxor Scipionis Æmiliani, non ut absurde gravissimis virorum operibus inserens, maligna relatione comprehendam: sed quia à Trib. Pl. producta ad populum, in maximæ confusione nihil à tuorum amplitudine degeneraßi, honorata memoria prosequar. Coacta es eo loci consistere, ubi principum civitatis perturbari frons solebat: instabat enim tibi torvo vultu minas profundens amplissima potestas, cum clamor imperitæ multitudinis obstreperet, totum forum acerrimo studio nitebatur, ut Equitio, cui Semproniæ gentis falsum jus quærebatur, tanquam filio Tiberii fratris tui osculum dares: tu tamen illum, nescio quibus tenebris protractum, ut portentum, execrabili audacia, ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem, repulisti.

DE CENTURIONIBUS.

Non indignabuntur lumina nostræ Urbis, si inter eorum eximium fulgorem Centurionum quoque virtus spectanda se obtulerit. Nam ut humilitas amplitudinem venerari debet, ita nobilitate fovenda magis quàm spernenda bonæ indolis novitas est. An abigi debet Pontius ab horum exemplorum contextu? qui pro Cæsaris partibus excubans Scipionis præsidio interceptus, cum uno modo salus ei daretur, si se futurum Cn. Pompeji generi ipsius militem affirmasset, ita respondere non dubitavit: Tibi quidem Scipio

pio gratias ago : ſed mihi uti iſta conditione vitę non eſt opus. Sine ullis imaginibus nobilem animum, & idem conſtantiæ propoſitum ſecutus C. Mevius Centurio divi Auguſti, cum Antoniano bello ſępenumero excellentes pugnas edidiſſet, improviſis hoſtium inſidiis circunventus, & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatuſque, quidnam de eo ſtatui deberet: Jugulari me, inquit, jube : quia non ſalutis beneficio, nec mortis ſupplicio adduci poſſum, ut aut Cæſaris miles deſinam, aut tuus eſſe incipiam. Cæterum quo conſtantius vitam contempſit, eo facilius impetravit. Antonius enim virtuti ejus incolumitatem tribuit.

EXTERNA.

DE BLASIO.

Complura hujuſce notę Romana exempla ſuperant, ſed ſatietas modo vitanda eſt. Itaque ſtylum meum ad externa jam delabi permittam, quorum principatum teneat Blaſius, cujus conſtantia nihil pertinacius. Salapiam enim patriam ſuam prędidio Punico occupatam, Romanis cupiens reſtituere, Daſium acerrimo ſtudio ſecum in adminiſtratione Reipublicę diſſidentem, & alioqui toto animo Annibalis amicitiæ vacantem, ſine quo propoſitum conſilium peragi non poterat, ad idem aggrediendum opus majore cupiditate, quàm ſpe certiore, tentare auſus eſt: qui protinus ſermonem ejus, adjectis quę & ipſum commendatiorem, & inimicum invidioſorem factura videbantur, Annibal retulit: à quo adeſſe juſſi ſunt, ut alter crimen probaret, alter defenderet. Cæterum cum res pro tribunali gereretur, & illi quæſtioni omnium oculi eſſent intenti, dum aliud fortè certioris curę ac-

negotium tractatur, Blasius vultu dissimulante, ac voce summissa, monere Dasium cœpit, ut Romanorum potius, quàm Carthaginiensium partes foveret. Enim vero tunc ille proclamat, se in conspectu ducis adversus eum solicitari: quod quia incredibile existimabatur, & ad unius tantum aures penetraverat, & jactabatur ab inimico, veritas fide caruit: sed non ita post multo Blasii mira constantia Dasium ad se traxit. Marcelloque & Salapiam, & quingentos Numidas, qui in ea custodiæ causa erant, tradidit.

DE PHOCIONE.

Phocion verò, cum Athenienses rem aliter, quàm ipse suaserat, prospere administrassent, adeo perseverans constantiæ suæ propugnator extitit, ut in concione lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquanto melius fuisse diceret. Non enim damnavit quod recte viderat: quia quod alius male consuluerat, bene gesserant: felicius illud existimans, hoc sapientius. Plerunque enim temeritatem casus juvat, ubi pravo consilio propius aspirat: & quo vehementius noceat, desperatius prodest. Placidi sanè & misericordes, & liberales, omnique suavitate temperati mores Phocionis, quos optime profecto consensu omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. Itaque constantia, quæ natura rigidor videtur, lenis è mansueto pectore fluxit.

DE SOCRATE.

Socratis autem virilitatis robore palliatus animus, aliquanto præstantius perseverantiæ exemplum edidit. Universa civitas Athenienſium iniquissimo, ac truculentissimo errore instructa, de capite decem Prætorum, qui apud Arginusas Lacedæmoniam classem deleverant, tristem sententiam tulerat: forte tunc

ejus

ejus poteſtatis Socrates, cujus arbitrio plebiſcita ordinarentur, indignum judicans, tot & tam benemeritos, ex indigna cauſa impetu invidiæ arripi, temeritati multitudinis conſtantiam ſuam objecit: maximoque concionis fragore,& incitatiſsimis minis compulſus non eſt,ut ſe publicæ dementiæ autorem adſcriberet: quæ oppoſitu ejus legitima graſſari via prohibita, injuſto Prætorum cruore manus ſuas contaminare perſeveravit: nec timuit Socrates ne conſternatæ patriæ, undecimus furor, mors ipſius exiſteret.

DE EPHILATE.

Proximum, etſi non ejuſdem ſplendoris eſt, tamen certum conſtantiæ haberi poteſt experimentum efficacis operæ forenſis, fidei non latentis. Athenis Ephilates accuſare publice juſſus, & inter ceteros Demoſtrati nomen deferre coactus eſt, cujus filius erat Democharès, excellentis formæ puer, animo ejus flagrantiſsimo inhærens amore. Itaque communis officii ſorte truculentus accuſator, privati affectus conditione miſerabilis reus, puerum ad ſe exorandum, quo parcius patris criminibus inſiſteret, venientem, neque repellere, neque ſupplicem genibus ſuis advolutum intueri ſuſtinuit. Sed operto capite flens, & gemens, preces expromere paſſus eſt. Nihiloque minus ſincera fide accuſatum Demoſtratum damnavit: victoriam, neſcio laude, an tormento majore partam: quoniam prius, quàm ſontem opprimeret, ſeipſum vicit Ephilates.

DE SYRACUSANO DIONE.

Quem Syracuſanus Dion diverſitate exempli prægravat: qui quibuſdam monentibus, ut adverſus Hera-

raclidem, & Calippum, quorum fidei plurimum credebat, tanquam insidias ei nectentes cautior esset, respondit, se vita malle excedere, quàm in metu violentæ mortis amicos, inimicosque juxta ponere. Quod sequitur, & rei ipsius admiratione, & claritate autoris illustre.

De Alexandro Magno.

Alexander Macedonum rex inclyta jam pugna, excellentissimis opibus Darii contusis, æstu & itineris fervore in Cilicia percalefactus, Cydno, qui aquæ liquore conspicuus, Tarsum interfluit, corpus suum immersit: subito deinde ex nimio haustu, rigore obstupefactis nervis, ac torpore hebetatis artibus, maxima cum exanimatione totius exercitus, in oppidum castris propinquum defertur: jacebat æger Tarsi, inque valetudine ejus adversa, instantis victoriæ spes fluctuabat. Itaque convocati medici, attentissimo consilio salutis remedia circunspiciebant: qui cum ad unam potionem sententiam direxissent, atque eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipsius amicus, & comes) porrexisset, à Parmenione missæ litteræ supervenerunt, admonentes, ut rex insidias Philippi, perinde ac pecunia corrupti à Dario, caveret: quas cum legisset, sine ulla cunctatione medicamentum hausit, ac tunc legendas Philippo tradidit: pro quo tam constanti erga amicum judicio, dignissimam à Diis immortalibus mercedem recepit: qui incolumitatis ejus præsidium falso interpellari indicio noluerunt.

VAL. MAXIMI

LIBER QUARTUS.

DE ANIMI MODERATIONE.

CAP. I.

TRANSGREDIAR AD SALUBERRIMAM partem animi moderationem, quæ mentes noſtras impotentiæ, & temeritatis incurſu tranſverſas ferri non patitur: quo evenit, ut reprehenſionis morſu ſit vacua & laudis quæſtu ſit opulentiſsima: itaque effectus tuos in claris viris recognoſcat.

DE P. VALERIO PUBLICOLA.

Atque ut ab incunabulis ſummi honoris incipiam, P. Valerius, qui populi majeſtatem venerando, Publicolę cognomen aſſecutus eſt, cum exactis regibus, imperii eorum vim univerſam, omniaque inſignia ſub titulo conſulatus in ſe tralata cerneret, invidioſum magiſtratus faſtigium, moderatione ſua ad tolerabilem habitum deduxit: faſces ſecuribus vacuefaciendo, & in concione populo ſummittendo, numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, ultro Spurio Lucretio collega aſſumpto, ad quem, quia major natu erat, priores faſces tranſferri juſsit: legem etiam comitiis centuriatis tulit, nequis magiſtratus civem Romanum ad-

adverſus provocationem verberare, aut necare vellet. Ita quò civitatis conditio liberior eſſet, imperium ſuum paulatim deſtruxit. Quid quòd ædes ſuas diruit, quia excelſiore loco poſitæ, inſtar arcis habere videbantur: nonnè quantum domo inferior, tantum gloria ſuperior evaſit?

DE FURIO CAMILLO.

Vix juvat abire à Publicola, ſed venire ad Furium Camillum libet, cujus tam moderatus ex magna ignominia ad ſummum imperium tranſitus fuit, ut cum præſidium ejus cives capta Urbe à Gallis Ardeæ exulantis petiiſſent, non prius Veios ad accipiendum exercitum iret, quàm de Dictatura ſua omnia ſolemni jure acta comperiſſet. Magnificus Camilli Veientanus triumphus, egregia Gallica victoria, ſed iſta cunctatio longe admirabilior. Multo enim, multoque ſeipſum quàm hoſtem ſuperare operoſius eſt: nec adverſa præpropera feſtinatione fugientem, nec ſecunda effuſo gaudio apprehendentem.

DE M. RUTILIO CENSORINO.

Par Furio moderatione M. Rutilius Cenſorinus. Iterum enim Cenſor creatus, ad concionem populum vocatum quàm potuit graviſsima oratione corripuit, quòd eam poteſtatem bis ſibi detuliſſet, cujus majores, quia nimis magna videretur, tempus coërtandum judicaſſent. Uterque rectè, & Cenſorinus & populus: alter enim, ut moderatè honores crederent, præcepit: alter ſe moderato credidit.

DE L. QUINTIO.

Age L. Quintius Cincinnatus qualem Cos. geſsit? cum honorem ejus P. C. continuare vellent, non ſolum propter illius egregia opera, ſed etiam quòd po-

esset. At is juravit primùm, cum Scipionibus se in gratiam non rediisse: deinde tale decretum recitavit. Cum L. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum actos hostium duces in carcerem conjecerit, indignum, & alienum à majestate P. R. videri, eundem ipsum duci: Itaque id non passurum fieri. Libenter tunc opinionem suam P. R. à Graccho deceptam cognovit, moderationemque ejus debita laude prosecutus est.

DE D. CLAUDIO NERONE.

Cajus quoque Claudius Nero inter cetera præcipuæ moderationis exempla numerandus est. Livii Salinatoris in Asdrubale opprimendo particeps gloriæ fuerat: & tamen eum triumphantem equo sequi, quam triumpho, quem ei senatus æque decreverat, uti maluit: quia res in provincia Salinatoris gesta fuerat. Sine curru ergo triumphavit, eò quidem clarius, quòd illius victoria tantummodo laudabatur, hujus etiam moderatio.

DE AFRICANO POSTERIORE.

Nec Africanus quidem posterior nos de se patitur tacere: qui Censor, cum lustrum conderet, inque solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solemni ejus precationis carmine præiret, quo Dii immortales ut Pop. Rom. res meliores, ampliores que facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt. Itaque precor, ut eas perpetuo incolumes servent: ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari jussit. Qua votorum verecundia deinceps Censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim sensit tunc incrementum Romano Imperio petendum fuisse, cum intra septimum lapidem triumphi quærebantur: majorem autem totius terrarum orbis partem

pos-

possidenti, ut avidum esset quicquam ultrà appetere: ita abunde felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret. Neque alia ejus in censura moderatio pro tribunali apparuit: Centurias recognoscens equitum, postquàm C Licinium Sacerdotem citatum processisse animadvertit: dixit illum se scire verbis conceptis pejerasse, proinde si quis eum accusare vellet, usurum testimonio suo: sed nullo ad id negotium accedente. Traduc equum, inquit, sacerdos, ac lucrifac censoriam notam: ne ego in tuam personam,& accusatoris,& testis, & Censoris, & judicis partes egisse videar.

DE Q. SCÆVOLA.

Quod animi temperamentum etiam in Quinto Scævola excellentissimo viro adnotatum est: testis nanque in reum productus, cum id respondisset, quod salutem periclitantis magnopere lęsurum videbatur, discedens adjecit, ita sibi credi oportere, si & alii idem asseverassent: quoniam unius testimonio aliquem credere pessimi esset exempli: & religioni igitur suæ debitam fidem, & communi utilitati salubre consilium reddidit.

DE METELLO MACEDONICO.

Sentio quos cives, quæve facta eorum ac dicta quàm angusto ambitu orationis amplectar, sed cum magna mihi, & multa breviter dicenda sint de claritate excellentibus viris: sermo infinitis personis, rebusque circumfusus,utrunque præstare non potest. Itaque propositi quoque nostri ratio non laudanda sibi omnia,sed recordanda sumpsit. Quapropter bona cum venia duo Metelli Macedonicus, & Numidicus, maxima patriæ ornamenta, strictim se narrari patientur. Acer-

rime cum Scipione Africano Macedonicus dissenserat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio, ad graves testatasque inimicitias progressa fuerat. Sed tamen cum interemptum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit, mœstoque vultu, & voce confusa, Concurrite, concurrite, inquit, cives, mœnia nostræ Urbis eversa sunt. Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria vis allata est. O Remp. pariter Africani morte miseram, & Macedonici tam humana, tamque civili lamentatione felicem! Eodem enim tempore, & quantum amisisset principem, & qualem haberet recognovit. Idem filios suos monuit, ut funebri ejus lecto humeros subjicerent, atque huic exequiarum illum honorem vocis adjecit, Non fore, ut postea id officium, ab illis majori viro præstari posset. Ubi illa tot in curia jurgia? Ubi tam multæ pro rostris altercationes? Ubi maximorum civium & ducum tantorum togata prælia? omnia nimirum ista præcipua veneratione prosequenda delevit moderatio.

DE METELLO NUMIDICO.

Numidicus autem Metellus, populari factione patria pulsus, in Asiam secessit: in qua, cum ei forte ludos Trallibus spectanti litteræ redditæ essent, quibus scriptum erat, maximo Senatus, & Populi consensu reditum illi in Urbem datum, non è theatro prius abiit, quàm spectaculum ederetur, non lætitiam suam proxime sedentibus ulla ex parte patefecit, sed summum gaudium intra se continuit. Eundem constat pari vultu, & exulem fuisse, & restitutum: adeo moderationis beneficio, medius semper inter secundas, & adversas res animi firmitate versatus est.

DE

DE CATONE POSTERIORE.

Tot familiis in uno genere laudis enumeratis, Porcium nomen velut expers hujuſce gloriæ ſilentio prętereundum ſe negat. Poſterior Cato non parvo ſummę moderationis fiſus indicio, Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia & ſanctitate in Urbem deportaverat: cujus miniſterii gratia ſenatus relationem interponi jubebat, ut Prętoriis comitiis extra ordinem ratio ejus haberetur: ſed ipſe id fieri paſſus non eſt, iniquum eſſe affirmans, quòd nulli alii tribueretur, ſibi decerni: ac nequid in perſona ſua novaretur, campeſtrem experiri temeritatem, quàm curię beneficio uti latius eſſe duxit.

DE M. BIBULO.

Ad externa jam mihi exempla tranſire conanti, M. Bibulus vir ampliſsimę dignitatis, & ſummis honoribus functus, manus injicit: qui, cum in Syria moraretur provincia, duos egregię indolis filios ſuos à Gabinianis militibus Ægypti occiſos eſſe cognovit. Quorum interfectores ad eum vinctos Regina Cleopatra miſit, ut graviſsimę cladis ultionem, arbitrio ſuo exigeret: at ille oblato beneficio, quo nullum majus tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificeſque ſanguinis ſui, intactos veſtigio ad Cleopatram reduci juſsit: dicendo, poteſtatem hujus vindictę non ſuam, ſed ſenatus eſſe debere.

EXTERNA.

DE ARCHITA TARENTINO.

Tarentinus Architas, dum se Pythagoræ præceptis Metaponti penitus immergit, magno labore, longoque tempore solidum opus doctrinę complexus, postquam in patriam revertitur, ac rura sua revisere cœpit, animadvertit negligentia villici corrupta, & perdita: intuensque male meritum: Sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem: maluit enim impunitum dimittere, quàm propter iram gravius justo punire.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Nimis liberalis Archytæ moderatio, temperatior Platonis: nam cum adversus delictum servi vehementius exarsisset, veritus ne ipse modum vindictę dispicere non posset, Speusippo amico castigationis arbitrium mandavit: deforme sibi futurum existimans, si commisisset, ut parem reprehensionem culpa servi, & animadversio Platonis mereretur.

DE EODEM.

Quo minus miror, quòd in Xenocrate discipulo suo tam constanter moderatus fuit: audierat enim cum multa de se impie locutum, sine ulla cunctatione criminationem repulit: instabat certo vultu index, quærens causam cur sibi fides non haberetur: adjecit, non esse credibile, ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur. Postremo cum ad jusjurandum inimicitias aferentis malignitas confugisset, ne de perjurio ejus disputaret, affirmavit nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire ju-

di-

dicasset. Non in corpore mortali, sed in arce cœlesti equidem armatum animum ejus vitę stationem putes peregisse, humanorum vitiorum incursus à se invicta pugna repellentem, cunctosque virtutis numeros altitudinis suę sinu clausos custodientem.

DE SYRACUSANO DIONE.

Nequaquam Platoni litterarum commendatione par Syracusanus Dion: sed quod ad præstandam moderationem attinet, vehementioris experimenti. Patria pulsus à Dionysio tyranno, Megaram petierat: ubi cum Theodorum principem ejus Urbis domi convenire vellet, neque admitteretur, multum diuque ante fores retentus, comiti suo, Patienter hoc ferendum est, ait: forsitan enim & nos cum in gradu dignitatis nostræ essemus, aliquid tale fecimus: qua tranquillitate consilii, ipse sibi conditionem exilii placidiorem reddidit.

DE THRASYBULO.

Thrasybulus etiam hoc loci apprehendendus est: Qui populum Athenienſem XXX. tyrannorum sęvitia sedes suas relinquere coactum, dispersamque, & vagam vitam miserabiliter exigentem, animis pariter, atque armis confirmatum, in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis victoriam, clariorem aliquantò moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, nequa prętęritarum rerum mentio fieret: hæc oblivio, quam Athenienses *amnestiam* vocant, concussum, & labentem civitatis statum, in pristinum habitum revocavit.

DE STASIPPO TEGEATE.

Non minoris admirationis illud: Stasippus Tegeates,

ces, hortantibus amicis, ut gravem in administratione Reipublicæ æmulum, sed alioqui probum, & ornatum virum qualibet ratione vel tolleret, vel summoveret: negavit se facturum, ne quem in tutelam patriæ bonus civis locum obtineret, malus & improbus occuparet: seque potius vehementer adversario urgeri, quàm patriam egregio advocato carere, præoptavit.

DE PITTACO.

Pittaci quoque moderatione pectus instructum, qui Alcæum (1) poëtam, & amaritudine odii, & viribus ingenii adversus se pertinacissime usum, tyrannidem à civibus delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo posset, admonuit.

DE SEPTEM SAPIENTIBUS.

Hujus viri mentio subjicit, ut de septem sapientum moderatione referam. A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidem jactum emerat: extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa, orta controversia est: illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunæ tractus se emisse dicente; qua contentione propter novitatem rei, & magnitudinem pecuniæ, ad universum ejus civitatis populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adjudicari mensa deberet. Deus respondit, illi esse dandam, qui sapientia ceteros præstaret: his verbis.

Huic tripodem addico, cujus sapientia prima est.

Tunc Milesii consensu Thaleti mensam dederunt: ille cessit eam Bianti: Bias Pittaco: is protinus alii: deinceps que per omnium septem sapientum orbem, ad ul-

ti-

(1) *Alcæus poeta.*

timum, ad Solonem pervenit: qui & titulum amplissimę prudentię, & præmium ad ipsum Apollinem transtulit.

DE THEOPOMPO.

Atque ut Theopompo quoque Spartanorum Regi moderationis testimonium reddamus: cum primus instituisset, (1) ut Ephori Lacedęmone crearentur, ita futuri regię potestati oppositi, quemadmodum Romæ consulari imperio Trib. pl. sunt objecti: atque illi uxor dixisset, id egisse illum, ut filiis minorem potestatem relinqueret: relinquam, inquit, sed diuturniorem. Optime quidem: ea enim demum tuta potentia, quæ viribus suis modum imponit. Igitur Theopompus legitimis regnum vinculis constringendo, quo longius à licentia retraxit, hoc ad benevolentiam civium propius admovit.

DE ANTIOCHO.

Antiochus autem à L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus summotus, cum Asiam provinciam, vicinasque ei gentes amisisset: gratias agere Pop. Rom. non dissimulanter tulit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. Et sanè nihil est tàm pręclarum, aut tam magnificum, quod non moderatione temperari desideret.

* * *
* *

* * *
* *

* * *
* *

DE

(1) *Ephori i.e. provisores.*

DE IIS, QUI EX INIMICIS, JUNCTI SUNT, amicitia, & neceſsitudine.

CAPUT II.

QUÆ, quoniam multis & claris autoribus illuſtrata eſt, tranſgrediamur ad egregium humani animi affectum, quem ab odio ad gratiam deflexum, & quidem eum lęto ſtylo proſequamur: nam ſicut placidum mare ex aſpero, cœlumque ex nubilo, ſerenum hilari aſpectu ſentitur: ſic bellum pace mutatum, plurimum gaudii affert: offenſarum etiam acerbitas depoſita, candida relatione celebranda eſt.

DE M. ÆMILIO LEPIDO.

Marcus Æmilius Lepidus bis Cos. & Pont. Max. ſplendoreque honorum, par vitæ gravitate, diutinas, ac vehementes inimicitias cum Fulvio Flacco ejuſdem amplitudinis viro geſsit: quas, ut ſimul Cenſores renuntiati ſunt, in campo depoſuit: exiſtimans non oportere eos privatis odiis diſsidere, qui publice ſumma juncti eſſent poteſtate: id judicium animi ejus & præſens ætas comprobavit, & nobis veteres annalium ſcriptores laudandum tradiderunt.

DE SEXTO LIVIO SALINATORE.

Sicuti Livii quoque Salinatoris finiendarum ſimultatum illuſtre conſilium ignotum poſteritati eſſe noluerunt: is nanque, etſi Neronis odio ardens in exilium profectus fuerat, teſtimonio ejus præcipue afflictus, tamen poſtquàm eum inde revocatum cives collegam illi in conſulatum dederunt, & ingenii ſui,

quod

quod erat acerrimum, & injuriæ, quam graviſsimam acceperat, obliviſci ſibi imperavit: ne ſi diſsidente animo conſortionem imperii uſurpare voluiſſet, pertinacem exhibendo inimicum, malum Cos. ageret: quæ quidem mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio, in aſpero ac difficili temporum articulo plurimum ſalutis urbi noſtræ, atque Italiæ attulit: Quia pari virtutis impetu connixi, terribiles Pœnicas vires contuderunt.

DE AFRICANO, ET TIBERIO.

Clarum etiam in Africano ſuperiore, ac Tib. Graccho depoſitarum inimicitiarum exemplum: ſiquidem ad cujus menſæ ſacra, odio diſsidentes venerant, ab ea & amicitia, & affinitate juncti diſceſſerunt: non contentus enim Scipio autore ſenatu, in Capitolio, Jovis epulo cum Graccho concordiam communicaſſe, filiam quoque ei Corneliam protinus ibidem deſpondit.

DE CICERONE.

Sed hujuſce generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua apparuit: A. nanque Gabinium repetundarum reum ſummo ſtudio defendit, qui eum in conſulatu ſuo Urbe expulerat. Idemque P. Vatinium dignitati ſuæ ſemper infeſtum, duobus publicis judiciis tutatus eſt, ut ſine ullo crimine levitatis, ita cum aliqua laude. Quia ſpecioſius aliquanto injuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odii pertinacia penſantur.

DE P. PULCHRO.

Ciceronis autem factum adeo viſum eſt probabile, ut imitari id ne inimiciſsimus quidem illi P. Cl. Pulcher dubitaverit: Qui inceſti crimine à tribus Lentulis

lis accusatus, unum ex his ambitus reum patrocinio suo protexit, atque in animum induxit, & judicem, & Prætorem, & testem, Vestæ ædem intuens, amicum Lentulo agere: intra quam ille salutem ejus fœdo crimine obruere cupiens, hostili voce peroraverat.

DE CANINIO GALLO.

Caninius autem Gallus reum pariter, atque accusatorem admirabilem egit, & C. Antonii, quem damnaverat, filiam in matrimonium ducendo, & M. Colonium, à quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo.

DE CÆLIO RUFO.

Cælii vero Rufi ut vita inquinata, ita misericordia, quam Qu. Pompejo præstitit, probanda: cui à se publica quæstione prostrato, cum mater Cornelia fidei commissa prædia non redderet, atque iste auxilium suum litteris imploraſſet, pertinacissime absenti affuit. Recitavit & ejus epistolam in judicio ultimæ necessitatis indicem, quam impiam Corneliæ avaritiam subvertit: factum propter nimiam, & eximiam humanitatem, ne sub Cælio quidem autore repudiandum.

DE ABSTINENTIA, ET CONTINENTIA.

CAPUT III.

MAgna cura, præcipuoque studio referendum est, quantopere libidinis, & avaritiæ furori similes impetus, ab illustrium virorum pectoribus, consilio ac ratione summoti sunt: quia ii demum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium veneris, pecuniæque cupido ob veu-

vendicaverit. Nam quò istæ generis humani certissimæ pestes penetraverint, injuria dominatur, infamia flagrat: igitur contrarios his tam diris vitiis mores commemoremus.

DE SCIPIONE.

Quartum & vicesimum annum agens Scipio, cum in Hispania Carthagine oppressa, majoris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia, multosque obsides, quos in ea Urbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset; eximiæ inter eos formæ virginem, ætatis adultæ, & juvenis, & cœlebs, & victor, postquàm comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoque gentis ejus Indibili desponsatam, accersitis parentibus, & sponso inviolatam tradidit, aurum quoque quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adjecit. Qua continentia, ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis ejus gratiam debitam retulit.

DE M. CATONE.

Verum ut hujus viri abstinentiæ testis Hispania, ita M. Catonis Epiros, Achaia, Cyclades insulæ, maritima pars Asiæ, provincia Cypros. Unde cum pecuniæ deportandæ ministerium sustineret, tàm aversum animum ab omni Venere, quàm à lucro habuit, in maxima utriusque intemperantiæ versatus materia, nam & regiæ divitiæ potestate ipsius continebantur, & fertilissimæ delitiarum totius Græciæ Urbes, necessaria totius navigationis diverticula erant: atque id Munatius Rufus, Cypriacæ expeditionis fidus comes, scriptis suis significat: cujus testimonium non amplector: proprio enim argumento laus ista nititur,

tur, quoniam ex eodem naturæ utero & continentia nata est, & Cato.

DE DRUSO GERMANICO.

Drusum etiam Germanicum eximiam Claudiæ familiæ gloriam, fratrem Tiberii, patriæque rarum ornamentum, & quod sūpr omnia est, operum suorum pro habitu ætatis magnitudine, vitrico pariter, ac fratri Augusto duobus Reip. divinis oculis, mirifice respondentem, constitit, usum veneris intra conjugis charitatem clausum tenuisse.

DE ANTONIA.

Antonia quoque fœmina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti sui egregia fide pensavit: quæ post ejus excessum, forma & ætate florens, cubiculum socrus pro conjugio habuit, in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit. Hoc cubiculum talibus experimentis summam imponat.

DE CN. MARTIO.

Deinceps his vacemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquam vacavit. Cn. Martius patritiæ gentis adolescens, Anci regis clara progenies, cui Corioli Volscorum oppidum captum cognomen adjecit, cum editis conspicuæ fortitudinis operibus à Posthumio Cominio Cos. accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri C. jugeribus, & decem captivorum electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoque quantum sustinere valuisset, donaretur: nihil ex his, præter unius captivi salutem hospitis, equumque, quo in acie uteretur, accipere voluit. Qua tam circumspecta animi moderatione, vel-

cias

cias utrum majore cum laude præmia meruerit, an rejecerit.

DE M. CURIO.

Marcus autem Curius exactiſsima norma Romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis perfectiſsimum ſpecimen, Samnitum legatis agreſti ſe in ſcamno aſsidentem foco, ac ligneo catino cœnantem (quales epulas, apparatus indicio eſt) ſpectandum præbuit. Ille enim Samnitum divitias contempſit. Samnites ejus paupertatem mirati ſunt, nam cum ad eum magnum auri pondus publice miſſum attuliſſent, benignis verbis invitatus, ut eo uti vellet, vultum riſu ſolvit: protinuſque, Supervacuæ, inquit, ne dicam ineptæ legationis miniſtri, narrate Samnitibus, M. Curium malle locupletibus imperare, quàm ipſum fieri locupletem: atque iſtud ut pretioſum, ita malo hominum excogitatum, munus refertote, & mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi poſſe. Idem cum Italia Pyrrhum regem exegiſſet, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum urbemque ditaverat, attigit: decretis etiam à Senatu ſeptenis jugeribus agri populo, ſibi autem quinquaginta, popularis aſsignationis modum non exceſsit: parum idoneum Reipub. civem exiſtimans, qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non eſſet.

DE FABRICIO LUCINO.

Idem ſenſit Fabricius Lucinus honoribus, & autoritate omni civitate temporibus ſuis major, cenſu par unicuique pauperrimo: qui à Samnitibus, quos univerſos in clientelam habebat, decem æris, & quinque pondo argenti, totidemque ſervos ſibi miſſos, in Samnium remiſit, continentiæ ſuæ beneficio ſine pecu-

DE CALPURNIO PISONE.

Fabiorum & Ugolini continentiæ Calpurnium Pisonem in consimili genere laudis æmulum fuisse res ipsa documento est. Cos. gravi fugitivorum bello à se liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera usus fuerat, imperatorio more donis prosequebatur: inter quos filium suum aliquot locis præliatum fortissime, titulo trium librarum aureæ coronæ decoravit, præfatus non oportere à magistratu è publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset: tantumque ponderis se testamento adolescenti legaturum promisit: ut honorem publice à duce, pretium privatim à patre reciperet.

DE CATONE SUPERIORE.

Age si quis hoc seculo vir illustris pellibus hœdinis pro stragulis utatur, tribusque servis comitatus Hispaniam regat, & quingentorum assium sumptu transmarinam provinciam petat, eodem cibo eodemque vino, quo nautæ, uti contentus sit, nonne mirabilis existimetur? atqui ista patientissime superior Cato toleravit, quia illum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere vitæ cum summa dulcedine continebat.

DE CATONE POSTERIORE.

Multum à prisca continentia spatio annorum posterior Cato discedit, ut pote in civitate jam divite & lauticia gaudente natus: is tamen, cum bellis civilibus interesset, filium secum trahens, duodecim servos habuit, numero plures, quàm superior: temporum diversis moribus, pauciores. Exultat animus maximorum virorum memoriam percurrens.

DE SCIPIONE ÆMILIANO.

Scipio Æmilianus post duos inclytos consulatus, totidemque suæ præcipuę glorię triumphos, septem servis sequentibus officio legationis functus est, & puto Carthaginis, ac Numantię spoliis comparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque cum per socios, & exteras gentes iter faceret, non mancipia ejus, sed victoriæ numerabantur: nec quantum auri, & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur Continentia vero etiam universis plebis animis sæpenumero cognita est, sed abundè erit ex his duo exempla longe inter se distantium seculorum retulisse.

DE PYRRHO.

Pyrrhus impetus sui terrore soluto, ac jam Epiroticis armis languentibus, benevolentiam Pop Rom. mercari, quia virtutem debilitare nequiverat, cupiens: penè totum regiarum opum apparatum in Urbem nostram transtulit. Ceterum cum & magni pretii, & varii generis à legatis ejus, tàm virorum, quam fœminarum apta usui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono janua patuit. Tarentinęque petulantię animosus magis, quàm efficax defensor, haud scio majore cum gloria hujus Urbis armis, quàm moribus repulsus sit.

DE MARIO, ET L. CINNA.

In illa quoque procella, quam C. Marius, & L. Cinna Reip. inflixerant, abstinentia Pop. Rom. mirifica conspecta est. Nam cum à se proscriptorum penates,

vulgi manibus diripiendos objeciſſent, inveniri potuit nemo, qui è civili luctu prædam peteret. Unus enim quiſque ſe ab his perinde ac ſacris ædibus abſtinuit. Quæ quidem tam miſericors continentia plebis, tacitum crudelium victorum convitium fuit.

EXTERNA.

DE PERICLE.

Ac ne ejuſdem laudis commemorationem externis invideamus: Pericles Athenienſium princeps, cum tragœdiarum ſcriptorem Sophoclem in Prætura collegam haberet, ac is publico officio unà diſtrictus, pueri ingenui prętereuntis formam impenſioribus verbis laudaſſet: intemperantiam ejus increpitans, dixit: Prætoris non ſolum manus à pecuniæ lucro, ſed etiam oculos à libidinoſo aſpectu continentes eſſe debere.

DE SOPHOCLE.

Sophocles autem ætate jam ſenior, cum ab eo quidam quæreret, an etiamnum rebus venereis uteretur: Dii meliora, inquit. Libenter enim iſtinc tanquam ex aliqua furioſa profugi dominatione.

DE XENOCRATE.

Æquè abſtinentis ſenectæ Xenocratem fuiſſe accepimus, cujus opinionis non parva fides erit narratio, quę ſequitur. In pervigilio Phryne nobile Athenarum ſcortum, juxta eum vino gravem accubuit, pigniore cum quibuſdam juvenibus poſito, an temperantiam ejus corrumpere poſſet: quam nec tactu, nec ſermone aſpernatus, quoad voluerat in ſinu

ſuo

ſuo moratam, propoſiti irritam demiſit: factum ſapientia imbuti animi abſtinens. Sed meretriculę quoque dictum perquam facetum: deridentibus enim ſe adoleſcentibus, quia tam formoſa, tamque elegans, poti ſenis animum illecebris pellicere non potuiſſet, pactumque victorię pretium flagitantibus: De homine ſe cum iis, non de ſtatua pignus poſuiſſe reſpondit. Poteſtne Xenocratis continentia à quoquam magis vere, magiſque proprie demonſtrari, quàm ab ipſa meretricula expreſſa eſt? Phryne pulchritudine ſua, nulla ex parte conſtantiſsimam ejus continentiam labefecit. Quid rex Alexander? an divitiis eum quatere potuit? ab illo quoque ſtatuam & quidem æquè fruſtra tentatam putes: legatos ad eum cum aliquot talentis miſerat, quos in Academiam perductos, ſolito ſibi, id eſt, modico apparatu, & admodum parvulis copiis excepit: poſtero die interrogantibus, cuinam adnumerari pecuniam vellet? Quid? vos (inquit) heſterna cœna non intellexiſtis, ea me non indigere? Ita Rex Philoſophi amicitiam emere voluit: Philoſophus Regi ſuam vendere noluit.

DE DIOGENE.

Alexander verò cognomen invicti aſſecutus, continentiam Diogenis Cynici vincere non potuit: ad quem, cum in ſole ſedentem acceſsiſſet, hortaretur-que ut ſiqua ſibi præſtari vellet, indicaret: quemadmodum erat in crepidine collocatus, ſordidæ appellationis, ſed robuſtæ vir præſtantię. Mox inquit, de ceteris: interim velim à Sole mihi non obſtes. Quibus verbis illa nimirum inhæſit ſententia, Alexander Diogenem gradu ſuo divitiis pellere tentat, celerius

Da-

Dirium armis. Idem Syracusis, cum olera ei lavanti Aristippus dixisset, si Dionysio adulari velles, ista non esses. Imò inquit, si tu ista esse velles, Dionysio non adulareris.

DE PAUPERTATE.

CAP. IV.

DE CORNELIA.

MAXIMA ornamenta esse matronis liberos, apud Pomponium Rufum collectorum libro sic invenimus: Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima seculi illius ei ostenderet: traxit eam sermone, quousque è schola redirent liberi: & hęc, inquit, ornamenta mea sunt. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eò quidem certius, quàm qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis usurpatio nullum tristioris Fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut divitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere? cum & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & hujus horridior aspectus, solidis, & certis bonis abundet: quod melius personis, quàm verbis repræsentabitur.

DE VALERIO PUBLICOLA.

Regio imperio propter nimiam Tarquinii superbiam finito, consulatus initium Valerius Publicola cum Junio Bruto auspicatus est. Idemque postea tres consulatus acceptissimos Pop. Rom. gessit: & plurimorum, ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum suarum amplificavit: cum interim fas-

torum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente decessit, ideoque publica pecunia ductę sunt: non attinet ulteriore disputatione tanti viri paupertatem scrutari. Abunde enim patet, quid vivus possederit, cui mortuo lectus funebris, & rogus defuit.

DE MENENIO AGRIPPA.

Quantæ amplitudinis M. Menenium Agrippam fuisse arbitremur, quem Senatus, & Plebs pacis inter se faciendæ autorem elegit? quantę scilicet esse debuit arbiter publicæ salutis. Hic nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturę honore caruisset: verum iccirco perniciosa seditione dividua civitas, manibus Agrippæ in unum contrahi voluit: quia eas pauperes quidem, sed sanctas animadverterat: cujus ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita & extincti, hodieque amplissimum est patrimonium Romana concordia.

DE CAIO FABRICIO, & Qu. Æmilio.

In C. verò Fabricii, & Qu. Æmilii Papi principum seculi sui domibus, argentum fuisse confitear oportet: uterque enim patellam deorum, & salinum habuit. Sed eo lautior Fabricius, quòd patellam suam Corneo pediculo sustineri voluit. Papus quoque satis animose, qui, cum hęreditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda non putavit. Illi etiam prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut Coss. fierent, voluptatis causa sterile atque æstuosissimum

Pu-

Pupiniæ ſolum verſabant: delitiarumque ignari, vaſtiſsimas glebas plurimo cum ſudore diſsipabant: imò verò quos pericula Reipub. imperatores accerſebant, anguſtię rei familiaris (quid ceſſo proprium nomen veritati reddere?) Bubulcos fieri cogebant.

De Attilio Calatino.

Attilium autem, qui ad eum accerſendum à Senatu miſsi erant ad imperium Pop. Rom. ſuſcipiendum, ſemen aſpergentem viderunt: ſed illæ ruſtico opere attritę manus, ſalutem publicam ſtabilierunt. Ingentes hoſtium copias peſſundederunt. Quæque modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit iis rubori, eburneo ſcipione depoſito, agreſtem ſtivam aratri repetere. Poteſt pauperes conſolari Attilius, ſed multo magis docere locupletes, quàm non ſit neceſſaria ſolidæ laudis cupidini nimis anxia divitiarum comparatio.

De Attilio Regulo.

Ejuſdem nominis & ſanguinis Attilius Regulus, primi Punici belli gloria, cladeſque maxima: cum in Africa inſolentiſsimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum ſibi ob bene geſtas res in proximum annum imperium cognoviſſet, conſulib. ſcripſit; villicum in agello, quem ſeptem jugerum in Pupinia habebat, mortuum eſſe, occaſionemque nactum mercenarium, amoto inde ruſtico inſtrumento diſceſsiſſe: ideoque petere, ut ſibi ſucceſſor mitteretur, ne deſerto agro, non eſſet unde uxor;

uxor, ac liberi sui alerentur. Quę postquam Senatus à Coss. accepit, & agrum alii villico colendum locari, & alimenta conjugi ejus, ac liberis præberi: resque, quas amiserat, redimi publice jussit. Tanti erario nostro virtutis Attilianę exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit.

DE QUINTIO CINCINNATO.

Æquè magna latifundia L. Quintii Cincinnati fuerunt: septem enim jugera agri possedit: ex his tria, quę pro amico ad erarium obsignaverat, mulctę nomine amisit: pœnam quoque pro filio Cæsone, quòd ad causam dicendam non occurrisset, hujus agelli reditus solvit: & tamen ei quatuor jugera aranti, non solum dignitas patrisfamiliæ constitit, sed etiam Dictatura delata est. Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.

DE ÆLIA FAMILIA.

Quid Ælia familia, quàm locuples? sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula fuerat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monimenta: & unus in agro Veiente fundus, minus multò cultores desiderans, quàm dominos habebat. Inque maximo circo Flaminio spectaculi locus: quæ quidem loca ob virtutem publice donata possidebant.

Eadem gens nullum antè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus Perse rege devicto, Qu. Ælio Tuberoni

gene-

genero ſuo quinque pondo argenti ex prędâ donaret. Taceo enim quòd princeps civitatis filiam ei nuptui dedit, cujus pecunia tam jejunos penates videbat: quin ipſe quoque adeo inops deceſsit, ut niſi fundus, quem unum reliquerat veniſſet, uxor ejus dotem unde reciperet, non extitiſſet. Animi virorum, & fœminarum vigebant in civitate: eorumque bonis, dignitatis æſtimatio cunctis in rebus ponderabatur: hæc imperia conciliabant, hæc jungébant affinitates, hæc in foro, hæc in curia, hęc intra privatos parietes, plurimum poterant: patriæ enim rem unuſquiſque, non ſuam augere properabat: pauperque in divite, quam dives in paupere imperio verſari malebat: atque huic tam præclaro propoſito illa merces reddebatur, quòd nihil eorum, quę virtuti debentur, emere pecunia licebat, inopięque illuſtrium virorum, publice ſuccurrebatur.

De Cn. Scipione.

Itaque cum ſecundo Punico bello Cn. Scipio ex Hiſpania ſenatui ſcripſiſſet, petens ut ſibi ſucceſſor mitteretur, quia filiam virginem adultæ jam ętatis haberet, neque ei ſine ſe dos expediri poſſet: ſenatus ne Reſpublica bono duce careret, patris ſibi partes deſumpſit: conſilioque uxoris, ac propinquorum Scipionis conſtituta dote, ſummam ejus ex ęrario erogavit, ac puellam nuptui dedit, dotis modus XL. millia æris fuit: qua non ſolum humanitas Patrum C ſed etiam habitus veterum patrimoniorum cognoſci poteſt: nanque adeo fuerunt arcta, ut Tatia Cæſonis filia maximam dotem ad virum X. millia æris attuliſſe viſa ſit. & Megulia, quia cum quingentis millibus æris mariti domum intravit, dotatæ cognomen invenerit. Idem ſenatus Fabricii Luſcinii, Scipioniſque filias

lias ab indotatis nuptiis liberalitate sua vindicavit: quoniam paternæ hæreditati præter opimam gloriam, nihil erat quod acceptum referret.

DE M. SCAURO.

Marcus autem Scaurus, quantulum à patre hæreditatem accepit, in primo libro eorum, quos de vitæ sua scripsit, refert: ait enim sibi decem sola mancipia, totumque censum quinque atque triginta millium nummûm relictum: in hac enim ille pecunia futurus senatus princeps nutritus est spiritus. Hæc igitur exempla respicere, his acquiescere solatiis debemus, qui parvulos census nostros nunquam querelis vacuos esse sinimus. Nullum autem vel admodum parvi ponderis argentum, paucos servos, septem jugera aridæ terræ indigentia domesticâ, impensâ funera, inopes dotum filias, sed egregios consulatus, mirificas Dictaturas, innumerabiles triumphos cernimus. Quid ergo mediam Fortunam, quasi præcipuum generis humani malum, diuturnis convitiis laceramus? quæ ut non abundantibus, ita fidis uberibus Poplicolas, Æmilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hisque paria robora virtutis aluit. Exurgamus potius animis, pecuniæque aspectu debilitatos spiritus, pristini temporis memoria recreemus: nanque per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos juro, nullas divitias, pauperiati talium virorum posse præferri.

DE

DE VERECUNDIA.

CAPUT V.

AQua tempestivus ad Verecundiam transitus videtur. Hæc enim justissimis viris præcepit, ut privatas facultates negligerent, publicas quàm amplissimas esse cuperent: digna cui perinde ac cœlesti numini templa extruantur, aræque consecrentur: quia parens est omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum, magistra innocentiæ: chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens vultum.

DE POPULI VERECUNDIA.

Sed ut à laudibus ejus ad facta veniamus, à condita Urbe usque ad Africanum, & Tiberium Longum Coss. promiscuus Senatui & populo spectandorum ludorum locus erat: nunquam tamen quisquam ex plebe in theatro ante P. C. spectare sustinuit. Adeo circunspecta nostræ civitatis verecundia fuit. Quæ quidem certissimum sui documentum etiam illo die exhibuit, quo L. Flaminius extrema in parte theatri constitit, qui à M. Catone, & L. Flacco censoribus senatu motus fuerat, consulatus jam honore defunctus, frater etiam T. Flaminii, Macedoniæ, Philippique victoris: omnes enim eum transire in locum dignitati suæ debitum coëgerunt.

DE TER. VARRONE.

Confregit Rempublicam Terentius Varro Cannensis pugnæ temerario ingressu: idem delatam sibi

ab

ab universo senatu & populo dictaturam recipere non sustinendo, pudore culpam maximę cladis redemit: effecitque, ut acres deorum iræ, modestia ipsius moribus imputaretur. Itaque titulo imaginis ejus speciosius non recepta Dictatura, quàm aliorum gesta ad scribi potest.

DE CN. SCIPIONE, ET SCRIBA Cicereio.

Nos autem ad præclarius verecundiæ opus transgrediamur. magna cum invidia fortuna Prætoriis comitiis Africani superioris filium Cn Scipionem, & Scribam Cicereium in campum deduxerat, atque nimis impotens sermone vulgi carpebatur, quòd tanti viri sanguinem clientelamque comitiali certamine confuderat. Ceterum crimen ejus in suam laudem Cicerejus convertit. Nam ut vidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit, abjectaque candida toga competitoris sui suffragatorem agere cœpit, ut scilicet Prœturam melius Africani memoriæ concederet, quàm sibi vendicaret: necnon, etsi maximo verecundię pretio, Scipio tunc honorem adeptus est: Cicereio tamen magis gratulati sunt.

DE L. CRASSO.

Ac ne protinus comitiis abeamus, consulatum petens L. Crassus, cum omnium candidatorum more, circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id præsente Qu. Scævola gravissimo, & sapientissimo viro socero suo faceret. Itaque rogabat eum, ut à se dum ineptę rei inserviret, discederet: majorem verecundiam dignitatis ejus, quàm candidæ togæ suæ respectum agens.

DE POMPEIO MAGNO.

Pompejus autem Magnus, Pharſalica acie victus à Cęſare, cum poſtero die Lariſſam intraret, oppidique illius univerſus populus obviam ei proceſsiſſet. Ite inquit, & iſtud officium præſtate victori. Dicerem non dignus qui vinceretur, niſi à Cæſare eſſet ſuperatus: certe modeſtus in calamitate. Nam quia dignitate ſua uti jam non poterat, uſus eſt verecundia.

DE CAIO JULIO CÆSARE.

Quam præcipuam in Cajo quoque Cæſare fuiſſe ſæpenumero apparuit, & ultimus ejus ſignificavit dies: compluribus enim parricidarum violatus mucronibus, inter ipſum illud tempus, quod divinus ſpiritus mortali ſecernebatur à corpore, ne tribus quidem & viginti vulneribus, quin verecundiæ obſequeretur, abſterreri potuit: ſiquidem utraque togam manu demiſit, ut inferior pars corporis tecta collaberetur. In hunc modum non homines expirant, ſed Dii immortales ſedes ſuas repetunt.

EXTERNA.

DE SPURINA.

Quod ſequitur externis adnectam, quia antè geſtum eſt, quam Hetruriæ civitas daretur: excellentis in ea regione pulchritudinis adoleſcens nomine Spurina, cum mira ſpecie complurium fœminarum illuſtrium ſolicitaret oculos, ideoque viris, ac parentibus earum ſe ſuſpectum eſſe ſentiret, oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque ſanctitatis ſuæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis eſſe maluit.

DE

DE QUODAM SENE Athenienſi.

Athenis quidam ultimę ſenectutis, cum ſpectatum ludos in theatrum veniſſet, eumque nemo è civibus ſeſſum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos forte pervenit: qui hominis ętate moti, canos ejus, & annos, aſſurgendi officio venerati ſunt, ſedemque ei inter ipſos honoratiſsimo loco dederunt: quod ubi fieri populus aſpexit, maximo plauſu alienæ Urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tunc unum è Lacedęmoniis dixiſſe, Ergo Athenienſes quid rectum ſit, ſciunt, ſed id facere negligunt.

DE AMORE CONJUGALI.

CAP. VI.

APLACIDO, & leni affectu, ad ęquè honeſtum, verum aliquanto ardentiorem, & concitatiorem pergam: legitimique amoris, quaſi quaſdam imagines, non ſine maxima veneratione contemplandas lectoris oculis ſubjiciam, valenter inter conjuges ſtabilita fidei opera percurrens, ardua imitatu, ceterum cognoſci utilia, quia excellentiſsima animadvertenti, ne mediocria quidem præſtare, rubori oportet eſſe.

DE TIB. GRACCHO, ET CORNELIA EJUS uxore.

Tiberius Gracchus anguibus domi ſuę, mare, ac fœmina apprehenſis, certior factus ab Aruſpice, mare dimiſſo, uxori ejus, fœmina, ipſi celerem obitum inſtare: ſalutarem conjugi potius, quàm

sibi partem secutus augurii, marem necari, feminam dimitti jussit: sustinuitque in conspectu suo seipsum in interitu serpentis occidi. Itaque Corneliam nescio utrum feliciorem dixerim, quòd talem virum habuerit, an miseriorem, quòd amiserit.

DE ADMETO REGE THESSALIÆ.

O te Thessaliæ rex Admete crudelis, & diri fati crimine sub magno judice damnatum: qui conjugis tuæ fata pro tuis permutari passus es, eaque ne tu extinguereris, voluntario obitu consumpta, lucem intueri potuisti, & certe prius parentum indulgentiam tentaveras, fœmineo animo impar inventus.

DE C. PLAUTIO.

Vilior Graccho iniquæ fortunæ victima, quamvis senatorii vir ordinis C. Plautius Numida, sed in consimili amore par exemplum: morte enim uxoris audita, doloris impotens, pectus suum gladio percussit. Interventu deinde domesticorum inceptum exequi prohibitus, colligatusque: ut primum est occasio data, scissis fasciis, ac vulnere divulso constanti dextera, spiritum luctus acerbitate permistum, ex ipsis præcordiis, & visceribus hausit: tam violenta morte testatus, quantum maritalis flammæ illo pectore clausum habuisset.

DE M. PLAUTIO.

Ejusdem ut nominis, ita amoris quoque M. Plautius: nam cum imperio Senatus classem sociorum sexaginta navium in Asiam reduceret, Tarentumque appulisset, atque ibi uxor ejus Horestilla, quæ illum eum prosecuta fuerat, morbo presta decessisset: funus ejus ea, & in rogum imposita, inter officium ultimum gen-

gendi, & osculandi, stricto ferro incubuit: quem amici sicut erat togatum, & calceatum, corpori conjugis junxerunt, ac deinde subjectis facibus, utrunque unà cremaverunt: quorum ibi factum sepulchrum Tarenti etiamnum conspicitur, quod vocatur *tòn philainon.* * Nec dubito, quin siquis modo extinctis sensus ineat, Plautius, & Horestilla, fati consortione, gestientes vultus tenebris intulerint: saneque ubi idem & maximus, & honestissimus amor est, aliquanto præstat morte jungi, quàm vita distrahi.

DE JULIA CAII CÆSARIS FILIA.

Consimilis affectus Juliæ C. Cæsaris filiæ annotatus est: quæ cum ædilitiis comitiis Pompeji Magni conjugis sui vestem, cruore respersam, è campo domum relatam vidisset: territa metu, ne qua vis ei esset allata, exanimis concidit, partumque, quem utero conceptum habebat, subita animi consternatione, & gravi dolore corporis ejicere coacta est, atque ita expiravit: magno quidem cum totius terrarum orbis detrimento, cujus tranquillitas tot civilium bellorum truculentissimo furore perturbata non esset, si Cæsaris, & Pompei concordia, communis sanguinis vinculo constricta mansisset.

DE PORCIA, CATONIS FILIA, UXORE Bruti.

Tuos quoque castissimos ignes Porcia, M. Catonis filia, cuncta secula debita admiratione prosequuntur: quæ cum apud Philippos victum, & interemptum virum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubis

* Id est; *duorum amantium.*

bitasti, muliebri spiritu virilem patris exitum imitata. Sed nescio an hoc fortius, quòd ille usitato, tu novo genere mortis absumpta es.

EXTERNA.

Sunt & alienigeni amores justi, obscuritate ignorantiæ non obruti, ex quibus paucos attigisse satis erit. Gentis Cariæ Regina Arthemisia virum suum Mausolum fato absumptum, quantopere desiderarit, leve est, post conquisitorum omnis generis honorum, monimentique usque ad septem miracula provecti magnificentiam, argumentari. Quid enim aut eos colligas? aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipsa Mausoli vivum, ac spirans sepulchrum fieri concupierit, eorum testimonio, qui illam extincti ossa potioni aspersa, bibisse tradunt?

DE HIPSICRATEA UXORE MITHRIDATIS.

Hipsicratea quoque Regina, Mithridatem conjugem suum effusis charitatis habenis amavit: propter quem præcipuum formę suæ decorem in habitum virilem convertere voluptatis loco habuit, tonsis enim capillis equo se, & armis assuefecit, quo facilius laboribus, & periculis ejus interesset: quinetiam victum à Cn. Pompejo per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili secuta est: cujus tanta fides asperarum atque difficilium rerum Mithridati maximum solatium, & jucundissimum lenimentum fuit: cum domo enim, & penatibus vagari se credidit, uxore simul exulante.

DE LACEDÆMONE.

Verum quid Asiam, quid barbariæ immensas solitudines, quid latebras Pontici sinus scrutor? Cum splendidissimum totius Græciæ decus Lacedemon, præcipuum uxoriæ fidei specimen tantum non nostris ostentet oculis, plurimis & maximis patriæ suæ laudibus admiratione facti comparandum.

DE MINYIS.

Minyæ, quorum origo ex inclyto sociorum Jasonis numero Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorum vices stabili in sede manserat, à Pelasgicis expulsi armis, alienæ opis indigentes, excelsa Taygetorum montium juga supplices occuparunt: quos Spartana civitas respectu Tyndaridarum (nanque in illo nobilis famæ navigio destinatum sideribus par fratrum fulserat) deductos inde, legibus, commodisque suis immiscuit. Sed hoc tantum beneficium in injuriam benemeritæ Urbis, regnum affectantes, verterunt. Igitur publicæ custodiæ inclusi, capitali servabantur supplicio: quod cum vetere instituto Lacedæmoniorum, nocturno tempore passuri essent, conjuges eorum illustris sanguinis, ibi velut allocuturæ perituros viros, impetrato à custodibus aditu, carcerem intrarunt, commutataque veste per simulationem doloris, velatis capitibus eos abire passæ sunt. Hoc loco quid aliud adjecerim, quàm dignas fuisse, quibus Myniæ nuberent?

*** *** ***

DE AMICITIA.

CAPUT VII.

CONtemplemur nunc amicitiæ vinculum, potens, & prævalidum, neque ulla ex parte ſanguinis viribus inferius: hoc etiam certius, & exploratius, quia illud naſcendi ſors fortuitum opus, hoc uniuſcujuſque ſolido judicio incoacta voluntas contrahit. Itaque celerius eſt ſine reprehenſione propinquum avertere, quàm amicum: quia altera diremptio utique iniquitatis, altera levitatis crimini ſubjecta eſt. Cum enim deſerta ſit futura vita hominis, nullius amicitiæ cincta præſidio, tam neceſſarium ſubſidium temere aſſumi non debet: ſemel autem apprehenſum recte ſperni non convenit. Sincerę verò fidei amici præcipue in adverſis rebus cognoſcuntur: in quibus quicquid præſtatur, totum à conſtanti benevolentia proficiſcitur. Felicitatis cultus, majore ex parte adulationi, quàm charitati erogatus, certe ſuſpectus eſt: perinde ac ſi plus ſemper petat, quàm impendat. Accedit huc, quòd infractę fortunę homines, magis amicorum ſtudia deſiderant, vel prędidii, vel ſolatii gratia.

Nam læta quidem, & proſpera negotia, utpote cùm divina ſuffragatione foveantur, humanâ minus indigent. Tenacius igitur eorum nomina poſteritatis memoria apprehendit, qui adverſos amicorum caſus non deſeruerunt, quàm qui proſperum vitæ curſum comitati ſunt. Nemo de Sardanapali familiaribus loquitur. Oreſtes Pylade penè amico, quàm Agamemnone patre notior eſt. Siquidem illorum amicitia in

con-

consortione delitiarum, & luxuriæ contabuit: horum durę, atque asperę conditionis solatium, ipsarum miseriarum experimento enituit. Sed quid externa attingo, cum domesticis prius liceat uti?

DE TIB. GRACCHO, ET C. BLOSIO.

Inimicus patriæ fuisse Gracchus existimatus est: nec immeritò, quia potentiam suam, saluti ejus prætulerat. Quàm constantis tamen fidei amicum etiam in hoc tam pravo proposito C. Blosium Cumanum habuerit, operæpretium est cognoscere: hostis judicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus, benevolentia tamen ejus non caruit. Nam cum Senatus Rupilio,& Lennati Coss. mandasset ut in eos, qui cum Graccho consenserant, more majorum animadverterent, & ad Lælium, cujus consilio prę-cipue Coss. utebantur, pro se Blosius deprecatum venisset, familiaritatisque excusatione uteretur, atque iis dixisset,Quid si te Gracchus templo Jovis Opt. Max. faces subdere jussisset, obsecuturusne voluntati ipsius, propter istam quam jactas familiaritatem fuisses? Nunquam istud, inquit, Gracchus imperasset. Satis, imò etiam nimium: totius nanque senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verum quod sequitur multo audacius, multoque periculosius. Compressus enim perseveranti interrogatione Lęlii, in eodem constantiæ gradu stetit: seque etiam, hoc si modò Gracchus annuisset, facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? Quis etiam non sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset? At Blosius nec silentio honesto, nec prudenti sermone salutem suam, nequa ex parte infelicis amicitiæ memoriam desereret, tueri voluit.

DE

DE C. GRACCHO, ET POMPONIO, ET Lectorio.

In eadem domo ęque robuſta conſtantia amicitiæ exempla oboriuntur: proſtratis enim jam & perditis C. Gracchi conſiliis, rebuſque, cum tota ejus conſpiratio late quęreretur, deſertum omni auxilio, duo tantum amici, Pomponius, & Lectorius ab infeſtis, & undique ruentibus telis, oppoſitu corporum ſuorum texerunt: quorum Pomponius, quo is facilius evaderet, concitatum ſequentium agmen in porta Trigemina aliquandiu acerrima pugna inhibuit, nec vivus pelli potuit: ſed multis confectus vulneribus, tranſitum ſuper cadaver ſuum eis (credo etiam poſt fata invitus) dedit. Lectorius autem in ponte ſublicio conſtitit, & eum donec Gracchus tranſiret, ardore ſpiritus ſui ſepſit: ac vi jam multitudinis obrutus, converſo in ſe gladio, celeri ſaltu profundum Tiberis petiit: quamque in eo ponte charitatem toti patriæ Horatius Cocles exhibuerat, unius amicitiæ, adjecta voluntaria morte, præſtitit. Quàm bonos Gracchi, ſi aut patris, aut materni avi ſectam vitę ingredi voluiſſent, habere milites potuerant! Quo enim impetu, qua perſevérantia animi Bloſius, & Pomponius, & Lectorius trophæa, ac triumphos eorum adjuviſſent, furioſi conatus tam ſtrenui comites? ſiniſtris quidem auſpiciis amicitiæ conditionem ſecuti: ſed quo miſeriora, hoc certiora fideliter cultę nobilitatis exempla.

DE LUCIO RHEGYNO.

Lucius autem Rhegynus, ſi ad debitam publico miniſterio ſinceritatem exigatur, poſteritatis convitio laceraudus: ſi amicitiæ fido pignore æſtimetur, in optimo

timo laudabilis conſcientiæ portu reliquendus eſt. Trib. enim plebis Cepionem in carcerem conjectum, quòd illius culpa exercitus noſter à Cimbris, & Theutonibus videbatur deletus, veteris, arctæque amicitiæ memor, publica cuſtodia liberavit: nec eatenus amicum egiſſe contentus, etiam fugę ejus comes acceſsit. Proh magnum, & inexuperabile tuum numen Amicitia: cum ex altera parte Reſpub. manum injiceret, ex altera tua illum dextra traheret: & illa ut ſacroſanctus eſſe vellet, exigeret, tu exilium indiceres: adeo blando uteris imperio, quòd is ſupplicium honori prętulit. Admirabile eſt opus tuum, ſed quod ſequitur aliquanto laudabilius. Recognoſce enim quouſque Volumnii conſtantem erga amicum ſuum charitatem ſine ulla Reipub injuria evexeris, qui ortus equeſtri loco, cum Marcum Lucullum familiariter coluiſſet, eumque Marcus Antonius, quod Bruti, & Caſsii partes ſecutus fuerat, interemiſſet, in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhęſit: hucuſque in lachrymas, & gemitus profuſus, ut nimia pietate cauſam ſibi mortis accerſeret. Nam propter præcipuam, & perſeverantem lamentationem ad Antonium pertractus eſt: cujus poſtquam in conſpectu ſtetit, Jube me, inquit, imperator protinus ad Luculli corpus perductum occidi. Neque enim apſumpto illo ſupereſſe debeo, cui ei infelicis militię autor extiterim: Quid hac fidelius benevolentia? mortem amici, hoſtis odio levavit, vitam ſuam conſilii crimine aſtrinxit: quoque illum miſerabiliorem redderet, ſe fecit inviſiorem: nec difficiles Antonii aures habuit, ductuſque quò voluerat, Luculli dexteram avide oſculatus, caput, quod abſciſſum jacebat, ſublatum pectori ſuo applicavit, ac deinde demiſſam cervicem victoris gladio prębuit.

DE

DE THESEO, ET PIRITHOO.

Loquatur nunc Græcia nefandis Theſea Pirithoi amoribus ſubſcribentem, Ditis ſe patris regnis commiſiſſe: vani eſt illud narrare, ſtulti credere. Miſtum cruorem amicorum, & vulneribus innexa vulnera, mortemque morti inhærentem videre: hæc vera Romanæ amicitiæ indicia. Illa gentis ad fingendum paratæ, monſtro ſimilia mendacia.

DE LUCIO PETRONIO.

Lucius quoque Petronius hujuſce laudis conſortionem merito vendicat: pari enim inclytæ amicitiæ auſui, par glorię portio aſſerenda eſt: admodum humili loco natus, ad equeſtrem ordinem, & ſplendidę militię ſtipendia Publii Cælii beneficio pervenerat, cui gratum animum, quia in materia læta exhibere non contigerat, in ea, quàm iniquam fortuna eſſe voluit, cum multa fide præſtitit: erat ab Octavio Cos. Placentię præpoſitus Cælius: qua Cinnano exercitu capta, & ſenior jam, & gravi valetudine affectus, ne in poteſtatem hoſtium veniret, ad auxilium dextræ Petronii confugit: quem is ab incepto conſilio fruſtra conatus abſtiahere, in iiſdem perſeverantem precibus, interemit, cædique ejus ſuam junxit: ne eo jacente, per quem omnia dignitatis incrementa aſſecutus fuerat, ſupereſſet. Ita alterius fato verecundia, alterius pietas cauſam prębuit.

DE SERVIO TERENTIO.

Jungendus eſt Petronio Servius Terentius, quanquam ei, ſicut cupierat, pro amico ſuo perire non contigit. Incepto nanque egregio, non irrito eventu æſtimari debet, quia quantum in illo fuit, & ipſe extinctus eſt, & D. Brutus, periculum evaſit mortis: qui fugiens à Muti-

tina, ut ad se interficiendum ab Antonio missos equites advenisse cognovit : quodam in loco juste pœnę debitum spiritum tenebris furari conabatur: eoque jam facta irruptione, Terentius fidei mendacio obscuritate ipsa suffragante, Brutum se esse simulavit, & corpus suum trucidandum equitibus objecit. Verum cognitus à Furio, cui Brutianæ ultionis officium mandatum fuerat: nece sua, amici supplicium discutere non potuit: sic invitus fortuna cogente, vixit.

DE DECIMO LÆLIO, ET M. Agrippa.

Ab hoc horrido, & tristi pertinacis amicitię, ad lætum & serenum vultum transeamus, atque inde eam evocatam, ubi omnia lachrymis, gemitu, cędibus fuerant referta : in eo, quo dignior est, felicitatis domicilio collocemus, gratia, honore, abundantissimisque opibus fulgente. Prorite igitur ab illa, quę sanctorum umbris dicata esse creditur, sede. Hinc Decime Læli, illinc M. Agrippa, alterum virorum, alterum deorum maximum, amicum, & certa mente, & secundis ominibus sortiti, totumque beatæ turbæ gregem, qui vestro ductu veneranda sincerę fidei stipendia laudibus, & præmiis onustus, peregit, in lucem nobiscum protrahite : vestros enim constantes animos, vestra strenua ministeria, vestram inexpugnabilem taciturnitatem, proque dignitate, & salute amicorum perpetuam excubationem, testatiorem benevolentiam, & rursus harum rerum uberrimos fructus posterior intuens ętas, in excolendo jure amicitiæ, quàm libentius, tam etiam religiosius erit operata. Hæret animus in domesticis, sed aliena quoque benefacta referre Romanæ urbis candor hortatur.

EX-

EXTERNA.

DE DAMONE, ET PYTHIA.

Damon & Pythias, Pythagoricæ prudentiæ ſacris initiati, tam fidelem inter ſe amicitiam junxerunt, ut cum alterum ex his Dionyſius Syracuſanus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo prius quàm periret, domum profectus res ſuas ordinaret, impetraviſſet: alter vadem ſe pro reditu ejus tyranno dare non dubitavit: ſolutus erat periculo mortis, qui modo gladio cervices ſubjectas habuerat, idemque caput ſuum ſubjecerat, cui ſecuro vivere licebat. Igitur omnes, & in primis Dionyſius, novæ, atque ancipitis rei exitum ſpeculabantur: appropinquante deinde finitæ die, nec illo redeunte, unuſquiſque ſtultitiæ tam temerarium ſponſorem damnabat: at is nihil ſe de amici conſtantia metuere prædicabat, eodem autem momento, & hora à Dionyſio conſtituta, qui eam acceperat, ſupervenit: admiratus amborum animum tyrannus ſupplicium fidei remiſit. Inſuperque eos rogavit, ut ſe in ſocietatem amicitiæ, tertium ſodalitii gradum ultima culturum benevolentia reciperent. Hæ ſanè vires amicitiæ, mortis contemptum manſuefacere, odium in amorem convertere, pœnam beneficio penſare potuerunt: quibus penè tantum venerationis, quantum deorum immortalium ceremoniis debetur. Illis enim publica ſalus, iis privata continetur: atque ut illarum ædes ſacra domicilia, horum fida hominum pectora, quaſi quodam ſancto ſpiritu referta templa ſunt.

DE ALEXANDRO.

Quod ita eſſe Rex Alexander ſenſit, Darii caſtris, in quibus omnes neceſſarii ejus erant, potitus: Epheſtio-

tione gratiſsimo ſibi latus ſuum tegente ad eos alloquendos venit, cujus adventu mater Darii recreata humi proſtratum caput erexit, Epheſtionemque, quia ei & ſtatura, & forma præſtabat, more Perſarum adulata, tanquam Alexandrum ſalutavit. Admonita deinde erroris per ſummam trepidationem exculationis verba quærebat. Cui Alexander: nihil eſt, inquit, quod hoc nomine confundaris. Nam & hic Alexander eſt. Utri prius gratulemur? cui hoc dicere voluit? an cui audire contigit? Maximi enim animi rex, etiam totum terrarum orbem aut victoriis, aut ſpe complexus, tam paucis verbis ſe cum comite ſuo partitus eſt. O donum inclytę vocis danti pariter, atque accipienti ſpecioſum!

De Pompeio.

Quod privatum quoque merito veneror clariſsimi, ac diſertiſsimi viri promptiſsimam erga me benevolentiam expertus, nec metuo ne parum conveniat mihi Pompejum meum inſtar eſſe Alexandri: cum illi Epheſtio ſuus, alter fuerit Alexander. Ego verò graviſsimo crimini ſim obnoxius, conſtantis, & benignæ amicitię exempla ſine ulla ejus mentione tranſgreſſus: cujus in animo velut in parentum amantiſsimorum pectore, lætior vitę meæ ſtatus viguit, triſtior acquievit: à quo omnium incrementa commodorum ultro oblata cepi: per quem tutior adverſus caſus ſteti: qui ſtudia mea ductu, & auſpiciis ſuis lucidiora, & alacriora reddidit. Itaque pavi invidiam quorundam optimi amici jactura, videlicet quia fructu torſeram: non quidem meo merito: gratiam meam, quantacunque fuit, cum iis, qui ea uti voluerant, partitus. Verum nulla tam modeſta felicitas eſt, quę malignitatis dentes vitare poſsit. At quo receſſu quoſdam fu-

ge-

geris, aut quibus insulis misericordiæ permulseris, non cohibebis ne ut alienis malis perinde, ac bonis suis lętentur, ac gestiant: divites sunt aliorum jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: sed illi quatenus alienis incommodis suorum adhuc expertes insultent, optima vindex insolentiæ varietas humanę conditionis viderit.

DE LIBERALITATE.

CAPUT VIII.

NOSTRUM opus pio egressu ad propriam rem provectum in suum ordinem revocetur, liberalitatisque commemorationi vacemus. Cujus duo sunt maxime probabiles fontes, verum judicium, & honesta benevolentia: nam cum ab his oritur, tunc demum ejus ratio constat: dono autem ipsi gratiam & magnitudo quidem sua, sed efficaciorem aliquantò opportunitas conciliat.

DE FABIO MAXIMO.

Accedit enim pretio rei inæstimabile momentum occasionis, quæ Fabium Maximum tot ante secula ob parvam pecunię summam erogatę, ad hoc usque tempus laudabilem fecit. Captivos enim ab Annibale interposita pactione nummorum receperat: qui cum à senatu non præstarentur, misso in Urbem filio, fundum, quem unicum possidebat, vendidit: ejusque pretium Annibali protinus numeravit. Si ad calculos revocetur, parvum, utpote septem jugeribus, & hoc in Pupinia addictis redactum: si animo prętogantis, omni pecunia majus: se enim patrimonii, quam

pa-

patriam fidei inopem esse maluit : eo quidem majore cum commendatione , quòd proni studii certius indicium est supra vires niti, quàm viribus ex facili uti: alter enim quod potest, præstat: alter etiam plus , quàm potest.

DE BUSA.

Itaque ejusdem temporis fœmina Busa nomine, regionis autem Appuliæ ditissima , merito quidem liberalitatis testimonium recepit , sed excellentes opes suas Fabianis rei familiaris angustiis non comparaverit. Nam etsi circa decem millia civium nostrorum, Cannensis prælii reliquias , beniguissime inter Cannusina mœnia alimentis sustentavit , salvo tamen statu fortunarum suarum, munificam se Pop. Rom. præstitit : Fabius in honorem patriæ , paupertatem inopiæ mutavit.

DE QUINTO CONSIDIO.

In Quinto quoque Considio saluberrimi exempli nec sine parvo ipsius fructu , liberalitas annotata est: qui Catilinæ furore ita consternata Repub. ut ne à locupletibus quidem debitæ pecuniæ , propter tumultum , pretiis possessionum diminutis , solui creditoribus possent : cum centies, atque quinquagies HS. summam in fœnore haberet , neque de sorte quemquam debitorum suorum , neque de usura appellari à suis passus est , quantumque in ipso fuit , amaritudinem publicæ confusionis privata tranquillitate mitigavit : opportunè mirificeque testatus , se nummorum suorum , non civilis sanguinis esse fœneratorem. Jam qui hac præcipue negotiatione delectantur , cum pecuniam cruentam domum retulerint , quàm improbando gaudio exultent , re-

cognoſcent: ſi diligenter Senatuſconſultum, quo Conſidio gratiæ actę ſunt, legere non faſtidierint.

DE POPULO ROMANO.

Queri jandudum mecum Pop. Rom. videtur, quòd cum ſingulorum munificentiam conſecter, de ſua taceam: ad ſummam enim ejus laudem pertinet, quem animum regibus, & urbibus, & gentibus præſtiterit, recognoſci: quia omne pręclari facti decus, crebra memoria in ſeipſo revireſcit. Aſiam bello captam Attalo Regi muneris loco poſsidendam tribuit, eò excelſius, & ſpecioſius Urbi noſtræ futurum imperium credens, ſi ditiſsimam, atque amœniſsimam partem terrarum orbis, in beneficio, quàm in fructu ſuo reponere maluiſſet. Ipſa victoria donum felicius: quia multum occupaſſe, habere invidiam potuit: tantum tribuiſſe, gloria carere non potuit.

DE T. QUINTIO FLAMINIO.

Illius vero Romanæ liberalitatis cœleſtem ſpiritum, nullæ litterę ſatis dignis laudibus proſequuntur. Philippo enim Macedoniæ Rege ſuperato, cum ad inſigne ſpectaculum tota Gręcia conveniſſet, Quintius Flaminius tubę ſigno ſilentio facto, per præconem hęc verba recitari juſsit. Senatus P. Q. R. & Quintius Flaminius Imperator, omnes Græcię urbes, quę ſub ditione Philippi Regis fuerunt, liberas, atque immunes eſſe jubet. Quibus auditis, maximo & inopinato gaudio homines perculſi, primo veluti non audiſſe ſe, quę audiverunt credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronuntiatione pręconis, tanta cœlum clamoris alacritate compleverunt, ut certe conſtet, aves,

quę

quę ſupervolabant, attonitas, paventeſque decidiſſe. Magni animi fuiſſet à tot captivorum capitibus ſervitutem detraxiſſe, quot tunc nobiliſsimis, & opulentiſsimis urbibus Pop. Rom. libertatem largitus eſt: ad cujus majeſtatem pertinet, non ſolum, quod ipſe benigne tribuit, ſed etiam quod alio tribuente ſenſit, commemorari: ut enim illi commemoratæ, ita hic redditę laudis commendatio eſt.

EXTERNA.

DE HIERONE SYRACUSANO.

Hiero Syracuſanorum Rex, audita clade, qua Romani apud Traſimenum lacum afflicti erant: trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei, aurique ducenta & XL. pondo urbi noſtrę muneri miſit: nec ignarus verecundiæ majorum noſtrorum, ne nollent accipere, in habitum id victorię formavit, ut eos religione motos, munificentia ſua uti cogeret: voluntate mittendi prius, iterum providentia cavendi ne remmitteretur, liberalis.

DE AGRIGENTINO GILLIA.

Subnectam huic Agrigentinum Gilliam, quem propemodum ipſius liberalitatis præcordia conſtat habuiſſe: erat enim opibus excellens, ſed multò etiam animo, quàm divitiis locupletior: ſemperque in eroganda potius, quàm in contrahenda pecunia occupatus: adeo ut domus ejus quaſi quædam munificentię officina crederetur: illinc enim publicis uſibus apta monimenta extruebantur, illinc grata populi oculis ſpectacula edebantur, illinc epularum magnifici apparatus,

libentique animo annonæ ſubſidia tribuebantur: & cum hæc univerſis privatim alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus, paupertate preſsis ſubſidia, detrimentorum incurſu quaſſatis ſolatia erogabantur: hoſpites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam ruſticis tectis, benigniſsime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam vero tempore quingentos ſimul Gelenſium equites vi tempeſtatis in poſſeſsiones ſuas compulſos aluit, ac veſtivit. Quid multa? non mortalem aliquem, ſed propitię fortunæ benignum eſſe diceres ſinum. Ergo quod Gillias poſsidebat, omnium quaſi commune patrimonium erat: pro cujus ſalute, & incrementis, tum Agrigentina civitas, tum etiam vicinæ regiones votis excubabant. Colloca è contraria parte arcas inexorabilibus clauſtris obſeratas, nonne prętantiorem aliquanto existimes illam impenſam, quàm hanc cuſtodiam?

VAL.

VAL. MAXIMI

LIBER QUINTUS.

DE HUMANITATE.

CAPUT I.

LIBERALITATI, QUAS APTIORES comites, quàm humanitatem, & clementiam dederim? quoniam idem genus laudis expetunt: quarum prima inopiæ, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præstatur: cumque nescias, quam maxime probes, ejus tamen commendatio præcurrere videtur, cui nomen ex ipso numine quæsitum est. Ante omnia tamen humanissima, & clementissima senatus acta referam. Qui, cum Carthaginiensium legati ad captivos redimendos in Urbem venissent, protinus his nulla pecunia accepta, reddidit juvenes, numerum duûm millium & septingentorum quadraginta trium explentes: tantum hostium exercitum dimissum, tantam pecuniam contemptam, tot Punicis injuriis veniam datam, ipsos legatos obstupuisse arbitror, ac secum dixisse: O munificentiam gentis Romanæ, deorum benignitati æquandam! O etiam nostram legationem supra vota felicem! nam beneficium quod nunquam dedissemus, accepimus.

DE SENATU ROMANO.

Illud quoque non parvum humanitatis Senatus indicium est. Siphacem enim quondam opulentissimum Numidię Regem captivum, in custodia Tiburi mortuum, publico funere censuit efferendum, ut vitę dono honorem sepulturæ adjiceret.

DE EIUSDEM SENATUS CLEMENTIA.

Consimilique clementia in Perse usus est: nam cum Albę, in qua custodiæ causa legatus erat, decessisset, Quæstorem misit, qui eum publico funere efferret, ne reliquias regias jacere inhonoratas pateretur: hostibus hæc, & miseris, & fato functis officia regibus erogata: illa amicis, & felicibus, & vivis tributa sunt.

DE EODEM SENATU IN FILIUM Masiniſſæ.

Confecto Macedonico bello, Musicanes Masinissæ filius, cum equitibus, quos in præsidium Romanorum adduxerat, ab Imperatore Paulo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa, Brundusium ęger delatus est: Quod ubi senatus agnovit, continuo illò Quęstorem ire jussit, cujus cura, & hospitium adolescenti expediretur, & omnia, quæ ad valetudinem opus essent, prębberentur, impensæque liberaliter tum ipsi, tum toti comitatui pręstarentur: naves etiam ut prospicerentur, quibus ipse bene, ac tutò cum suis in Africam trajiceretur: equitibus singulas libras argenti, & quingenos sestertios dari imperavit: quæ tam prompta, & tam exquisita Patrum C. humanitas efficere potuit, ut etiam si expirasset adolescens, ęquiore animo desiderium ejus pater toleraret.

DE

DE EODEM IN PRUSIAM.

Idem ſenatus, cum ad gratulandum ſibi Pruſiam Bithyniæ Regem Perſe devicto venire audiſſet, obviam illi P. Cornelium Scipionem Quæſtorem Capuam miſit: cenſuitque, ut ei domus Romę quamoptima conduceretur, & copiæ, non ſolum ipſi, ſed etiam comitibus ejus publice præberentur. In eoque excipiendo tota urbs unius humani amici vultum habuit. Ita qui amantiſsimus noſtri venerat, duplicata erga nos benevolentia in regnum ſuum reverſus eſt.

DE EODEM IN PTOLEMÆUM.

Nec Ægyptus quidem Romanę humanitatis expers fuit: Rex enim Ptolemęus à minore fratre Regno ſpoliatus, petendi auxilii gratia cum paucis admodum ſervis, ſqualore obſitus, Romam venerat, ac ſe in hoſpitium Alexandrini pictoris contulerat. Id poſtquam ſenatui relatum eſt, accerſito juvene, quàm potuit accurata excuſatione uſus eſt, quòd nec Quæſtorem illi more majorum obviam miſiſſet, nec publico hoſpitio eum excepiſſet, eaque non ſua negligentia, ſed ipſius ſubito, & clandeſtino adventu facta dixit: & illum è curia ſubito ad publicos penates deduxit, hortatuſque eſt, ut depoſitis ſordibus adeundi ipſius diem peteret: quinetiam curæ habuit, uti munera ei per Quęſtorem quotidie darentur: his gradibus officiorum jacentem ad regium faſtigium evexit, effecitque, ut plus ſpei in auxilio Pop. Rom. quàm metus in ſua fortuna reponeret.

DE L. CORNELIO.

Atque ut ab univerſis Patribus C. ad ſingulos ve-

biam, L. Cornelius Cos. primo Punico bello, cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime pugnans Hanno dux Carthaginiensium occiderat, corpus ejus è tabernaculo suo amplo funere extulit: nec dubitavit hostis exequias ipse celebrare: tum demum victoriam & apud deos, & apud homines minimum invidiæ habituram credens, cum plurimum humanitatis habuisset.

DE QUINTIO CRISPINO.

Quid de Qu. Crispino loquar? cujus humanitatem potentissimi affectus, ira, atque gloria quatere non potuerunt? Badium Campanum, & hospitio benignissime domi suæ exceperat, & adversa valetudine correptum attentissima cura recreaverat: à quo post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam provocatus, cum & viribus corporis, & animi virtutibus aliquanto esset superior, monere ingratum, quàm vincere maluit: nam quid agis nequit demens? aut quò te prava cupiditas transversum rapit? parum habes publica impietate furere, nisi etiam privata lapsus fueris? unus tibi Romanorum videlicet Quintius placet, in quo sceleſta exerceas arma? cujus penatibus, & honoris vicissitudinem, & salutem tuam debes: at me fœdus amicitiæ, Diique hospitales, sancta nostro sanguini, vestris pectoribus vilia pignora, hostili certamine congredi tecum vetant: quinetiam si in concursu exercituum fortuito umbonis mei impulsu prostratum agnovissem, applicatum jam cervicibus tuis mucronem revocassem: tuum ergo crimen sit, hospitem occidere voluisse: meum non erit, hospes occisus: proinde aliam, qua occidas, dexteram quære, quoniam mea te servare didicit. Dedit utrique cœleste numen debitum exitum; siquidem in prælio

Ba-

Badius obtruncatus est, Quintius insigni pugna clarus evasit.

DE M. MARCELLO.

Age Marci Marcelli clementia, quàm clarum, quamque memorabile exemplum haberi debet? qui captis à se Siracusis in arce earum constitit, ut Urbis modo opulentissimę, tunc afflictæ, fortunam ex alto cerneret. Cęterum casum ejus lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit; quem si quis ignarus vir aspexisset, alterius victoriam esse credidisset. Itaque Siracusana civitas in maxima clade tua aliquid admistum gratulationis habuisti: quia si tibi incolumi stare fas non erat, leniter sub tam mansueto victore cecidisti.

DE Q. METELLO.

Quintus verò Metellus Celtibericum in Hispania gerens bellum, cum Urbem Centobricam obsideret, & jam admotà machina, partem muri, quæ sola convelli poterat, disjecturus videretur, humanitatem propinquæ victorię prætulit. Nam cum Rethogenis filios, qui ad eum transierat, Centobricenses machinæ ictibus objecissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur (quanquam ipse Rethogenes negabat esse impedimento, quo minus etiam per exitium sanguinis sui expugnationem perageret) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi non unius civitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit, effecitque ut ad redigendas eas in ditionem Pop. Rom. non multis sibi obsidionibus opus esset.

DE AFRICANO POSTERIORE.

Africani quoque posterioris humanitas speciosè, la-

DE M. ANTONIO, ET M. BRUTO.

Marci etiam Antonii animus talis humanitatis intellectu non caruit. M. enim Bruti corpus liberto ſuo ſepeliendum tradidit: quoque honoratius cremaretur, injici ei ſuum paludamentum juſsit, jacentem non hoſtem, ſed civem depoſito exiſtimans odio, cumque interceptum à liberto paludamentum comperiſſet, ira percitus, protinus in eum animadvertit, hac antè præfatione uſus: Quid? tu ignoraſti cujus tibi viri ſepulturam commiſerim? Fortem, piamque ejus victoriam Philippicam libenter Dii viderunt: ſed ne iſta quidem generoſiſsimæ indignationis verba inviti audierunt.

EXTERNA.

DE ALEXANDRO.

Commem[illegible]tione Romani exempli in Macedoniam deductus, morum Alexandri præconium facere cogor: cujus ut infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorem clementia meruit. Is, dum omnes gentes infatigabili curſu luſtrat, quodam loco nivali tempeſtate oppreſſus, ſenio jam confectum militem Macedonem, nimio frigore obſtupefactum, ipſe ſublimi, & propinqua igni ſede ſedens, animadvertit: factaque non fortunæ, ſed ætatis utriuſque æſtimatione, deſcendit: & illis manibus, quibus opes Darii afflixerat, corpus frigore complicatum in ſuam ſedem impoſuit: id ei ſalutare futurum dicens, quod apud Perſas capitale extitiſſet, ſolium regium occupaſſe. Quid ergo mirum eſt, ſi ſub eo duce tot annis militare jucundum ducebant, cui gregarii militis incolumitas proprio faſtigio charior erat?

Idem

Idem non hominum ulli, ſed Naturę, Fortunæque cedens, quanquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit. Quis autem illam oſculari non curreret, quę jam fato oppreſſa, maximi exercitus complexui, humanitate, quam ſpiritu vividiore ſuffecit?

DE PISISTRATO.

Non tam robuſti generis humanitas, ſed & ipſa tamen memoria proſequenda, Piſiſtrati Athenienſium tyranni narrabitur. Qui, cum adoleſcens quidam amore filię ejus virginis accenſus, in publico obviam ſibi factam oſculatus eſſet: hortante uxore, ut ab eo capitale ſupplicium ſumeret, reſpondit: ſi eos, qui nos amant, interficiemus, quid iis faciemus, quibus odio ſumus? Minime digna vox, cui adjiciatur eam ex tyranni ore manaſſe: in hunc modum filię injuriam tulit, ſuam multo laudabilius.

DE EODEM.

A Thraſippo amico inter cœnam ſine fine convitio laceratus, ita & animum, & vocem ab ira cohibuit, ut putares ſatellitem à tyranno male audire: abeuntem quoque, veritus ne propter metum maturius ſe convivio ſubtraheret, invitatione familiari cœpit retinere. Thraſippus concitatæ temulentiæ impetu evectus, os ejus ſputo reſperſit: nec tamen in vindictam ſui valuit accendere. Ille verò etiam filios ſuos violatæ patris majeſtati ſubvenire cupientes, retraxit. Poſtero quoque die Thraſippo ſupplicium à ſe voluntaria morte exigere volenti, venit ad eum, dataque fide, in eodem gradu amicitiæ manſurum, ab incepto revocavit. Si nihil aliud dignum honore vel memoria geſsiſſet, his tamen factis abunde ſe poſteritati commendaſſet.

DE

DE PYRRHO REGE.

Æque mitis animus Pyrrhi Regis, audierat apud quosdam in convivio Tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum: accersitos qui ei interfuerunt, percontabatur an ea, quę ad aures ejus pervenerant, dixissent. Tum ex his unus inquit, nisi nobis vinum defeciſſet, ista, quæ tibi relata sunt, prę iis, quæ de te locuturi eramus, lusus, ac jocus fuissent. Tam urbana crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio, iram regis convertit in risum. Qua quidem clementia, & moderatione assecutus est, ut & sobrii sibi Tarentini gratias agerent, & ebrii bene precarentur. Ab eadem altitudine humanitatis legatis Romanorum ad redimendos captivos castra sua petentibus, quò tutius venirent, Lyconem Molossum obviam misit: quò honoratius exciperentur, ipse cum ornatu equitum extra portam occurrit: secundarum rerum proventu non adeo corruptus, ut officii prospectum in iis deponeret, qui tum maxime armis cum eo dissidebant.

DE ANTIGONO REGE.

Cujus tam mitis ingenii debitum fructum ultimo fati sui tempore recepit: nam cum diris auspiciis Argivorum invasisset Urbem, abscissumque caput ejus Alcyoneus Antigoni Regis filius ad patrem propugnatione laborantem, lętus velut aliquod felicissimum victorię opus attulisset: Antigonus correpto juvene, quod tanti virî subitæ ruinę, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret: humo caput sublatum, causea, qua velatum caput suum more Macedonum habebat, texit: corporique Pyrrhi redditum, honoratissime cremandum curavit. Quinetiam fi-

lium

lium ejus Helenum captivum ad se pertractum, & cultum, & animum gerere regium jussit: ossaque Pyrrhi ei aurea inclusa urna, Epirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda dedit.

DE CAMPANIS.

Campani autem exercitum nostrum cum Coss. apud Caudinas furcas, sub jugum à Samnitibus missum, nec inermem tantum, sed etiam nudum Urbem suam intrantem, perinde ac victorem, & spolia hostium præ se ferentem, venerabiliter exceperunt: protinusque consulibus insignia honoris, militibus vestem, arma, equos, commeatum benignissime præstando, & inopiam, & deformitatem Romanæ cladis mutarunt: quo animo si pro imperio nostro adversus Annibalem quoque usi fuissent, truculentis securibus materiam sęviendi non præbuissent.

DE ANNIBALE.

Facta mentione acerrimi hostis, mansuetudinis ejus operibus, quam Romano nomini pręstitit, locum qui inter manus est finiam. Annibal enim Æmilii Pauli apud Cannas trucidati quęsitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum jacere passus non est. Annibal Tiberium Gracchum Lucanorum circumventum insidiis, cum summo honore sepulturæ mandavit, & ossa ejus in patriam portanda militibus nostris tradidit. Annibal Marcum Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius, quàm consideratius speculatur, interemptum, legitimo jure extulit. Punico quoque sagulo, & corona donatum laurea rogo impositit. Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat, torbosque, & tru-

truces hostium mollit oculos, ac victoriæ insolentissimos spiritus flectit: nec illi arduum aut difficile est inter arma contraria, inter districtos cominus mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium: hostilemque sanguinem hostilibus lachrymis permiscet: atque etiam admirabilem Annibalis vocem, pro funeribus Romanorum ducum arbitria statuentis expressit: quia aliquantò ei plus gloriæ Paulus, & Gracchus, & Marcellus sepulti, quàm oppressi attulerunt: siquidem illos Punico astu decepit, Romana mansuetudine honoravit. Vosque fortes, ac piæ umbræ non pœnitendas sortitæ estis exequias: nam ut optabilius in patria, ita speciosius pro patria collapsæ, supremi officii decus infelicitate amissum, virtute recuperastis.

DE GRATIS.

CAPUT II.

GRATAS verò animi significationes, & ingrata facta libuit oculis subjicere, ut vitio, ac virtute justa merces æstimationis ipsa comparatione accederet. Sed quoniam contrario proposito sese distinxerunt, nostro quoque stylo separentur: prioremque locum obtineant, quæ laudem, quàm quæ reprehensionem merentur.

DE MARTIO CORIOLANO.

Atque ut à publicis actis ordiar, Martium patriam oppugnare conantem, admotoque portis Urbis ingenti Volscorum exercitu, funus, ac tenebras Romano Imperio minitantem, Veturia mater, ac Volumnia uxor, nefarium opus exequi precibus suis passæ non sunt: in quarum honorem Senatus matronarum ordinem

nem benignissimis decretis adornavit: sanxit quoque, ut fœminis semita viri cederent, confessus plus salutis Reip. in stola, quàm in armis fuisse: vetustisque aurium insignibus novum vitæ discrimen adjecit: permisit quoque his purpurea veste, & aureis uti segmentis: super hoc ædem & aram Fortunæ muliebri eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciendam curavit, memorem beneficii animum suum exquisitæ religionis cultu testando. Quem secundi etiam belli Punici tempore exhibuit: cum enim à Fulvio Capua obsideretur, ac duæ Campanæ mulieres benevolentiam erga Romanos dimittere ex animis noluissent, Vestia Opidia materfamiliâs, & Cluvia Facula meretrix, quarum altera quotidie pro salute nostri exercitus sacrificavit, altera captis militibus Romanorum alimenta subministrare non destitit. Urbe illa oppressa, senatus iis & libertatem, & bona restituit: & siquid amplius præmii petissent, libenter se daturum asseveravit: vacasse in tanto gaudio P. C. duabus humilibus fœminis referre gratiam, nedum tam præ se tulisse, mirandum.

DE QUINTIO ET MINUTIO.

Quid illa quoque juventute Romana gratius? quæ Quintio & Minutio Coss. ultro nomina sua militari sacramento obtulit, ut Tusculanis, quorum fines Æqui occupaverant, præsidium ferrent, quia paucis ante mensibus constantissime & fortissime Imperium Romani Populi defenderant. Ergo quod auditu novum est, ne patriæ grata voluntas cessasse videretur, exercitus se ipse conscripsit.

DE FABIO MAXIMO.

Magnum grati Pop. Rom. specimen in Quinto

Fabio Maximo enituit: Nam cum quinque consulatibus salubriter Reip. administratis decessisset, certatim æs contulit, quo major ac speciosior ejus funeris pompa duceretur. Elevet aliquis præmia virtutis, cum animadvertat fortes viros felicius sepeliri, quàm vivere ignavos.

DE MINUTIO MAGISTRO equitum.

Fabio autem etiam alteri incolumi summa cum gloria gratia relata est. Dictatori ei magister equitum Minutius scito plebis, quod nunquam antea factum fuerat, æquatus, partito exercitu separatim in Samnio cum Annibale conflixerat, ubi temere inito certamine pestiferum habiturus exitum, subsidio Fabii conservatus, & ipse eum patrem appellavit, & à legionibus suis patronum salutari voluit, ac depositó æqualis imperii jugo, magisterium equitum, sicut par erat, dictaturæ subjecit, imprudentisque vulgi errorem gratæ mentis significatione correxit.

DE TERENTIO CULEONE.

Tàm hercle probabiliter, quàm Quintus Terentius Culeo prætoria familia natus, & inter paucos senatorii splendidus ordinis, optimo exemplo Africani superioris currum, triumphantis, quia captus à Carthaginiensibus, ab eo fuerat recuperatus, pileum capite gerens, secutus est: autori enim libertatis suæ, tanquam patrono accepti beneficii confessionem, spectante populo Romano merito reddidit.

DE PHILIPPO REGE, ET DE Flaminio.

At Flaminii de Philippo rege triumphantis currum

rum non unus, ſed duo millia civium Romanorum pileata comitata ſunt, quæ his Punicis bellis interceptа, & in Græcia ſervientia, cura ſua collecta, in priſtinum gradum reſtituerat: geminum ea re decus Imperatoris, à quo ſimul & devicti hoſtes, & conſervati cives ſpectaculum patriæ præbuerunt. Illorum quoque ſalus dupliciter omnibus accepta fuit, & quia tam multi, & quia tam grati exoptatum libertatis ſtatum recuperaverunt.

DE METELLO.

Metellus vero Pius pertinaci erga patrem exulem amore, tàm clarum lachrymis, quàm aliis victoriis cognomen aſſecutus, non dubitavit conſul pro Quinto Callidio prætore candidato ſupplicare populo, quòd tribunus plebis legem, qua pater in civitatem reſtitueretur, tulerat: quinetiam patronum eum domus & familiæ ſuæ ſemper dictitavit. Nec hac re de principatu, quem procul dubio obtinebat, quicquam decerpſit, quia non humili, ſed grato animo longe inferioris hominis maximo merito eximiam ſubmittebat dignitatem.

DE MARIO.

Nam C. quidem Marii non ſolum præcipuus, ſed etiam præpotens gratę mentis fuit impetus: duas etiam Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum ſuſtinentes in ipſa acie, adverſus conditionem fœderis civitate donavit: quod quidem factum & vere, & egregie excuſavit, dicendo inter armorum ſtrepitum, verba ſe juris civilis exaudire non potuiſſe. Et ſanè id tempus tunc erat, quo magis defendere, quàm audire leges oportebat.

DE LUCIO SYLLA.

C. Marii vestigia ubique L. Sylla certamine laudis subsequitur: dictator enim privato Pompejo, & caput adaperuit, & sella assurrexit, & equo descendit: eaque se libenter facere in concione prædicavit, memor ab eo duo de viginti annis nato partes suas exercitu paterno adjutas. Multa insignia Pompejo, sed nescio an hoc quicquam admirabilius contigerit, quòd magnitudine beneficii Syllam sui oblivisci coegit.

Sit aliquis in summo splendore etiam sordidis gratis locus. Marco Cornuto prætore tunus Hirtii, & Pansæ jussu senatus locante, qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitò polliciti sunt, quia ii pro Republica dimicantes occiderant: perseverantique postulatione extuderunt, ut exequiarum apparatus sestertio nummo ipsis præbentibus addiceretur, quorum laudem adjecta lege conditio auget magis, quam extenuat: quoniam quidem quæstum contempserunt, nulli alii rei, quàm quęstui viventes. Pace cinerum suorum reges gentium exterarum secundum hunc tam contemptum gregem referri se patientur: qui aut non attingendus, aut non nisi in ultima parte domesticorum exemplorum collocandus fuit. Sed dum honesti actus etiam ab infimis editi, memoria non intercidant, licet separatum locum obtineant, ut nec his adjecti, nec illis prælati videantur.

EXTERNA.

DE DARIO.

Darius privatæ adhuc fortunę amiculo Silosontis

Sa-

Samii delectatus, curiosa contemplatione fecit, ut ultro sibi & quidem à cupido daretur. Cujus muneris quàm grata æstimatio animo ejus esset allapsa, regno potius ostendit: totam nanque urbem, & insulam Samiorum Silosonti fruendam tradidit. Non enim pretium rei æstimatum, sed occasio liberalitatis est honorata, magisque à quo donum proficisceretur, quàm ad quem perveniret, provisum.

DE MITHRIDATE.

Mithridates quoque Rex magnifice gratus apparuit, quoniam pro Leonico acerrimo defensore salutis suæ, à Rhodiis navali pugna excepto, omnes hostium captivos permutavit: satius esse existimans ab invisissimis circumveniri, quàm benemerito gratiam non referre.

DE ATTALO REGE.

Liberalis Populus Rom. magnitudine muneris, quòd Attalo Regi Asiam dedit dono: Sed Attalus etiam testamenti æquitate gratus, qui eandem Asiam Populo Rom legavit. Itaque nec hujus munificentia, nec illius tam memor beneficii animus tot verbis laudari potest, quot amplissimæ civitates vel amicè datæ, vel piè redditæ sunt.

DE MASINISSA REGE.

Ceterum nescio an præcipue Masinissæ Regis pectus grati animi pignoribus fuerit refertum: beneficio enim Scipionis, & Romanorum amicitia, & perampli regni modo liberaliter auctus, memoriam inclyti muneris ad ultimum vitæ finem, longa etiam à diis immortalibus senectute donatus, constantissima fide perduxit: adeo, ut eum non solum Africa, sed etiam cunctæ gentes scirent amiciorem Corneliæ familiæ, atque Urbi Rom. quàm

sibimet semper fuisse. Ille, cum gravi Carthaginiensium bello premeretur, ac vix tutelæ sui Imperii sufficeret, tamen Scipioni Æmiliano, quia nepos Africani erat, bonam magnamque partem Numidici exercitus, quam Lucullo consuli, à quo ad auxilia petenda missus fuerat, in Hispaniam duceret, promptissima mente tradidit, præsentique periculo respectum pristini beneficii antepositit. Ille, cum jam ætate deficiente, magnas regni opes, quatuor & quinquaginta filiorum numerum relinquens in lectulo laberetur, Marcum Manilium, qui proconsul Africam obtinebat, litteris obsecravit, ut ad se Scipionem Æmilianum, sub eo tunc militantem mitteret: feliciorem mortem suam futuram ratus, si in complexu dextræ ejus supremum spiritum, ac mandata posuisset: ille adventum Scipionis fatis suis præcurrentibus, hæc uxori, liberisque præceperat: unum in terris P. Rom. & unam in Pop. Rom. Scipionis domum nosse: integre omnia Æmiliano reservare: eum dividendi regni arbitrium haberent: quod is statuisset, perinde ac testamento cautum, immutabile ac sanctum obtinerent. Tot tamque variis rebus se Masinissa infatigabili pietatis serie ad centesimum extendit annum. His, & horum similibus exemplis, beneficentia generis humani nutritur, atque augetur. Hæ sunt ejus faces, hi stimuli, propter quos juvandi, & emerendi cupiditate flagrat. Et sanè amplissimæ, & speciosissimæ divitiæ sunt, feliciter erogatis beneficiis, latè posse censeri: quorum quoniam religiosum cultum instituimus, nunc neglectum sugillandi gratia, quo sit gratior, referemus.

DE

DE INGRATIS.

CAP. III.

DE SENATU ROM. IN ROMULUM.

URbis noſtræ parentem Senatus in ampliſsimo dignitatis gradu ab eo collocatus in curia laceravit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Rom. Imperio ſpiritum ingeneraverat. Rude nimirum illud, & ferox ſeculum, quod conditoris ſui cruore fœde maculatum, ne ſumma quidem poſteritatis diſſimulare pietas poteſt.

DE POP. ROM. IN CAMILLUM.

Hunc ingratum lapſæ mentis errorem, conſentanea noſtræ civitatis pœnitentia ſequitur. Virium Romanarum & incrementum lætiſsimum, & tutela certiſsima Furius Camillus, in Urbe incolumitatem ſuam tueri non valuit; cujus ipſe ſalutem ſtabilierat, felicitatem auxerat. A Lucio enim Apulejo Trib Pleb. tanquam depeculator Veientanæ prædæ reus factus, duris, atque (ut ita dicam) ferreis ſententiis in exilium miſſus eſt. Et quidem eo tempore, quo optimo juvene filio ſpoliatus, ſolatiis magis alleviandus, quàm cladibus onerandus erat: ſed immemor patria tanti viri maximorum meritorum, exequiis filii damnationem patris junxit. At, inquit, ærario abeſſe Trib. Pl. querebatur quindecim millia æris; tanti nanque pœna finita eſt. Indignam ſummam, propter quam Pop. Rom. tali principe careret.

IN SCIPIONEM MAIOREM.

Priore adhuc querela vibrante, alia deinceps exurgit. Africanus superior, non ſolum contuſam, & confractam belli Punici armis Rempub. ſed penè jam exanguem, atque morientem Carthaginis dominam reddidit: cujus clariſsima opera injuriis penſando, cives, vici eum ignobilis, ac deſertæ paludis accolam fecerunt: ejuſque voluntarii exilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, ſepulchro ſuo inſcribi jubendo, *Ingrata patria ne oſſa quidem mea habes.* Quid iſta aut neceſsitate indignius, aut querela juſtius, aut ultione moderatius? cineres ei ſuos negavit, quam in cineres collabi non fuerat paſſus. Igitur hanc unam Scipionis vindictam ingrati animi urbs Roma ſenſit, majorem mehercle Coriolani violentia. Ille enim metu patriam pulſavit, hic verecundia: de qua ne queri quidem tanta verę pietatis conſtantia niſi poſt fata ſuſtinuit.

IN SCIPIONEM ASIATICUM.

Talia paſſo (credo) quæ fratri ejus acciderunt, ſolatio eſſe potuerunt: cui Rex Antiochus devictus, & Aſia Imperio Pop. Rom. adjecta, ſpecioſiſsimuſque triumphus, ut peculatus reus fieret, & in carcerem duci juberetur, cauſam præbuit.

IN AFRICANUM POSTERIOREM.

Nihilo virtute minor fuit poſterior Africanus: ſed ne exitu quidem felicior: duabus enim urbibus Numantia, atque Carthagine Imperio Rom. imminentibus, ex rerum natura depulſis, raptorem ſpiritus domi invenit, mortis punitorem in foro non reperit.

IN

IN SCIPIONEM NASICAM.

Quis ignorat tantum laudis Scipionem Naſicam toga, quantum armis utrumque Africanum meruiſſe? Qui peſtifera Tiberii Gracchi manu faucibus oppreſſam Remp. ſtrangulari paſſus non eſt: ſed is quoque propter iniquiſsimam virtutum ſuarum apud cives æſtimationem, ſub titulo legationis Pergamum ſeceſſit. Et quod vitæ ſuperfuit, ibi ſine ullo ingratæ patriæ deſiderio peregit.

IN LENTULUM.

In eodem nomine verſor, necdum Corneliæ gentis querelas exhauſi. Nanque P. Lentulus clariſsimus, & amantiſsimus Reipub. civis, cum in Aventino Caji Gracchi nefarios conatus, & aciem pia, ac forti pugna, magnis vulneribus exceptis, fugaſſet: prælii illius, quo leges, pacem, libertatemque in ſuo ſtatu retinuerat, hanc mercedem tulit, ne in noſtra quidem Urbe moreretur. Si quidem invidia, & obtrectatione compulſus, legatione à Senatu libera impetrata, habitaque concione, qua à Diis immortalibus petiit, ne unquam ad ingratum populum reverteretur, in Siciliam profectus eſt, ibique perſeveranter morando compotem ſe voti fecit. Quinque igitur deinde Cornelii, totidem ſunt notiſsima ingratæ patriæ exempla, atque horum quidem ſeceſſus voluntarii.

IN AHALAM. SER.

Ahala vero, cum magiſtrum equitum Spurium Melium regnum affectantem occidiſſet, cuſtoditæ libertatis civium, exilio ſuo pœnas pependit.

Cæterum ut Senatus populique mens in modum ſubitæ

bitæ tempestatis concitata, levi querela prosequenda est: ita singulorum ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt: quia potentes consilii, cum utrunque ratione perpendere liceret, scelus pietati prætulerunt.

DE P. SEXTILIO.

Quo enim nimbo, qua procella verborum, impium Sextilii caput obrui meretur? quòd L. Cæsarem, à quo tum studiosè, tum etiam feliciter gravissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanæ proscriptionis tempore profugum, præsidium suum in fundo Tarquiniensi cladis conditione implorare, beneficii jura repetere coactum, à sacris perfidæ mensæ, & altaribus nefandorum penatum avulsum, truculento victori jugulandum tradere non exhorruit. Finge accusatorem ejus fortunæ publica in supplicis nomen conversum, tam luctuosam illam opem genibus annixum orasse, crudeliter tamen repulsus videretur: quinetiam quos injurię invisos faciunt, gratiosos miseriæ reddunt. Verum Sextilius non accusatorem, sed patronum sæviissimæ inimici violentiæ suis manibus objecit: si metu mortis, vita indignus: si prędmii spe, morte digniissimus.

DE CN. POPILIO LENATE.

Sed ut ad alium consentaneum huic ingrati animi actum transgrediar; M. Cicero Cn. Popilium Lenatem, Picenæ regionis, rogatu Marci Cęlii, non minore cura, quàm eloquentia defendit: eumque causa admodum dubia fluctuantem, salvum ad penates suos remisit: hic Popilius postea nec re, nec verbo à Cicerone lęsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum

illum proscriptum persequendum & jugulandum mitteretur: Impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exultans, Cajetam cucurrit, & virum, omitto quòd amplissimæ dignitatis, certæ salutis ejus autorem, studio præstantis officii privatim sibi venerandum, jugulum præbere jussit: ac protinus caput Romanę eloquentiæ, & pacis clarissimam dexteram, per summum, & securum otium amputavit: eaque sarcina, tanquam opimis spoliis alacer in Urbem reversus est: neque ei scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite ejus quoudam peroraverat. Invalidæ ad hoc monstrum sugillandum litteræ: quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non extat.

DE POMPEIO MAGNO.

Quo te nunc modo Magne Pompei attingam, nescio. Nam & amplitudinem fortunæ tuę, quæ quondam omnes terras, & omnia maria fulgore suo occupaverat, intueor: & ruinam ejus majorem esse, quàm ut manu mea attentari debeat, memini. Sed tamen nobis quoque tacentibus Cn. Carbonis, à quo admodum adolescens de paternis bonis in foro dimicans protectus es, jussu tuo interempti mors animis hominum observabitur, non sine aliqua reprehensione: quia tam ingrato facto, plus L. Syllæ viribus, quàm propriæ indulsisti verecundiæ.

EX-

EXTERNA.

DE CARTHAGINIENSIBUS.

At ne noſtra confeſsis alienigenæ urbes inſultent: Carthaginienſes Annibalem, qui pro illorum incolumitate, & victoria, tot Imperatores, totque exercitus noſtros trucidaverat, quot gregarios milites hoſtium ſi occideſſet, magnę glorię foret, è conſpectu ſuo ſubmovere in animum induxerunt.

DE SPARTANIS.

Neminem Lycurgo aut majorem, aut utiliorem virum Lacedæmon genuit: utpote cui Apollo Pythius oraculum petenti reſpondiſſe fertur, neſcire ſe utrum illum hominum, an deorum numero aggregaret: huic tamen neque vitæ ſumma ſinceritas, neque conſtantiſsimus erga patriam amor, neque leges ſalubriter excogitatę auxilio eſſe potuerunt, quo minus infeſtos cives experiretur: ſępe enim lapidibus petitus, aliquando ejectus publico furore, etiam privatus oculo: ad ultimum ipſa patria pulſus eſt. Quid aliæ facient urbes? ubi etiam illa, quę conſtantiæ, & moderationis, & gravitatis ſibi laudem eximiam vendicat, tam ingrata adverſus tam benemeritum extitit?

DE ATHENIENSIBUS.

Detrahe Athenienſibus Theſea, nullæ, aut non tam clarę Athenæ erunt: ſiquidem ille vicatim diſperſos cives ſuos in unam urbem contraxit, ſeparatimque & agreſti more viventi populo, ampliſsimæ civitatis formam atque imaginem impoſuit. Idem ſæva potentiſſimi Regis Minois imperia vixdum ætate pubeſcente re-

repulit. Idem effrenatam Thebarum insolentiam domuit. Idem opem liberis Herculis tulit, & quicquid ubique monstri, aut sceleris fuit, virtute animi, ac robore dextræ comminuit: hujus tamen summoti ab Atheniensibus, Scyros exule minor insula, ossa mortui cepit.

IN SOLONEM.

Jam Solon, qui tam præclaras, tamque utiles Atheniensibus leges tulit, ut si his perpetuò uti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperium: qui Salamina velut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum imminentem recuperavit: qui Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, & solus armis opprimi debere, palam dictitare ausus est: senectutem Cypri profugus exegit: neque ei in patria, de qua optime meruerat, humari contigit.

IN MILTIADEM.

Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si eum post trecenta millia Persarum Marathone devicta in exilium protinus misissent, ac non in carcere, & vinculis mori coëgissent: ut puto, hactenus sævire adversus optimè meritum abunde duxerunt. Imo ne corpus quidem ejus, sic expirare coacti, sepulturæ prius mandari passi sunt, quàm filius ejus Cimon eisdem vinculis se constringendum traderet: hanc hereditatem paternam maximi ducis filius, & futurus ipse ætatis suæ dux maximus, solam se sortitum, catenas scilicet & carcerem gloriari potuit.

IN ARISTIDEM.

Aristides etiam, quo totius Græciæ justitia censetur, continentiæ quoque eximium specimen, patria jussus excedere est. Felices Athenas, quæ post illius exi-

lium

lium invenire aliquem, aut virum bonum, aut amantem sui civem potuerunt, cum quo tunc ipsa sanctitas migravit!

IN THEMISTOCLEM.

Themistocles eorum, qui ingratam patriam experti sunt, celeberrimum exemplum, cum illam incolumem, claram, opulentam, principem Græciæ reddidisset, eousque sensit inimicam, ut ad Xerxis quem paulo antè destruxerat, non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet.

IN PHOCIONEM.

Phocion verò his dotibus, quæ ad pacandum hominem potentissimæ judicantur, eloquentia, & integritate instructissimus, non tantum in eculeo ab Athenienſibus impositus est, sed certe post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus ejus injiceretur, glebulam invenit. Jussus extra fines projici, intra quos optimus civis vixerat. Quid obest igitur, quin publica dementia sit existimanda, summo consensu maximas virtutes, quasi gravissima delicta punire, beneficiaque injuriis rependere? quod cum ubique, tum præcipue Athenis intolerabile videri debet: in qua Urbe adversus ingratos actio constituta est: & recte: quia dandi, & accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum extat, perdit, & tollit, quisquis benemerito parem referre gratiam negligit. Quantam ergo reprehensionem merentur, qui cum æquissima jura, sed iniquissima haberent ingenia, moribus suis, quàm legibus uti maluerunt? Quod siqua providentia deorum effici posset, ut excellentissimi viri, quorum modo casus retuli, legem, ingratorum vindicem retinentes, patriam suam in jus ad aliam civitatem per-

traherent, nonne ingenioſum, & garrulum populum, mutum, atque elinguem hac poſtulatione reddidiſſent? diſcordes foci tui, paciſque dividua tuguria Græciæ facta ſunt columen. Lucet Marathon Perſicis tropheis, Salamis, & Arthemiſium: Xerſis naufragia numerantur: prævalidis manibus exhauſta mœnia pulchrioribus operibus conſurgunt: harum rerum autores ubi vixerunt? ubi jacent? reſponde: nempe Theſea parvulo in ſcopulo ſepeliri, & Miltiadem in carcere mori, & Cimona paternas induere catenas, & Themiſtoclem victorem victi hoſtis genua complecti, Solonemque cum Ariſtide, & Phocione penates ſuos ingrata fugere coëgiſti: cum interim cineribus noſtris fœdè ac miſerabiliter diſperſis, Oedipodis oſſa, cæde patris, nuptiis matris contaminata, inter ipſum Areopagum, divini atque humani certaminis venerabile domicilium & excelſis præſidiis Minervæ arcem honore arq decorata, quaſi ſacroſancta colis: adeo tibi aliena mala tuis bonis gratiora ſunt. Lege itaque legem, quę te jurejurando obſtrictam tenet: & quia benemeritis debita reddere pręmia noluiſti, lęſis juſta piacula exolve. Tacent mutę illorum umbræ fati neceſsitate conſtrictæ, at immemores beneficiorum Athenas omnis lingua, ſermone licenti in reprehenſionem ſoluta, non tacet. Sed omittamus ingratos, & potius de piis loquamur. Aliquanto enim ſatius eſt favorabili, quàm inviſæ rei vacare. Venite igitur in manus noſtras proſpera parentum vota, felicibus auſpiciis propagatæ ſoboles, quæ efficitis, ut & genuiſſe juvet, & generare libeat.

DE PIETATE IN PARENTES.

CAPUT IV.

DE CORIOLANO.

CORIOLANUS maximi vir animi, & altissimi consilii, optimeque de Republica meritus, iniquissimę damnationis ruina prostratus, ad Volscos infestos tunc Romanis confugit. Magno ubique pretio virtus ęstimatur. Itaque quò latebras quęsitum venerat, ibi brevissime summum adeptus est Imperium. Evenitque, ut quem pro se salutarem Imperatorem cives habere noluerant, penè pestiferum adversus se ducem experirentur: frequenter enim fusis exercitibus nostris, victoriarum suarum gradibus, aditum juxta mœnia Urbis Volsco militi struxit. Quapropter fastidiosus ille in æstimandis bonis suis Populus, qui reo non pepercerat, exuli coactus est supplicare: missi ad eum deprecandum legati, nihil profecerunt: missi deinde sacerdotes cum infulis, ęque sine effectu redierunt: stupebat Senatus, trepidabat populus, viri pariter, & mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani mater, Volumniam uxorem ejus, & liberos secum trahens castra Volscorum petiit: quam ubi filius aspexit, properè ut amens matris complexum petiit: Illa ex precibus in iram versa ait: Sine ut prius, quam complexum accipiam, sciam, an ad hostem, an ad filium venerim: captiva ne, an mater in castris tuis sim. In hoc me longa vita, & infelix senecta traxit, ut exulem, deinde te hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quę te genuit, atque aluit? nisi te peperissem, Roma non oppugnaretur: multaque insuper addidit complorando: qui-

qui-

bus, & uxoris, ac parvulorum fletibus motus, matre m complexus, Expugnasti, inquit, & vicisti iram meam patria, precibus hujus admotis, cujus utero conceptus sum, te, quamvis merito mihi invisam, dono: continuoque agrum Romanum hostilibus armis liberavit. Ergo pectus acceptæ dolore injuriæ, spe potiundæ victoriæ, verecundia detrectandi ministerii, metu mortis refertum, totum sibi pietas vacuefecit: uniusque parentis aspectus bellum atrox salutari pace mutavit.

DE SUPERIORE *Africano.*

Eadem pietas viribus suis inflammatum Africanum superiorem, vixdum annos pubertatis ingressum, ad opem patri in acie ferendam virili robore armavit. Consulem enim eum apud Ticinum fluvium adversis auspiciis tum Annibale pugnantem saucium graviter, interceptu servavit suo: neque illum aut ætatis infirmitas, aut militiæ tyrocinium, aut infelicis prælii etiam veterano bellatori pertimescendus exitus, interpellare valuit, quo minus duplici gloria conspicuus, coronam, imperatore simul & patre ex ipsa morte rapto, mereretur. Auribus ista tam præclara exempla Rom. civitas accepit, illa vidit oculis.

DE L. MANLIO TORQUATO.

Lucio Manlio Torquato diem ad populum Pomponius Trib. Pleb. dixerat, quòd occasione benefaciendi belli ductus, obtinendi legitimum imperii tempus excessisset: quodque filium optimæ indolis juvenem, rustico opere gravatum, publicis usibus subtraheret. Id postquam Manlius adolescens cognovit, protinus urbem petiit, & se in Pomponii domum prima luce di-

direxit: qui existimans in hoc eum venisse, ut patris crimina, à quo plus justo aspere tractabatur, deferret: excedere omnes jussit cubiculo, quò licentius remotis arbitris judicium perageret: nactus occasionem opportunam proposito suo juvenis, gladium, quem tectum attulerat, distrinxit: tribunumque minis ac terrore compulsum jurare coëgit, á patris ejus accusatione recessurum: eoque effectum est, ne Torquatus causam diceret. Commendabilis est pietas, quę mansuetis parentibus præstatur: sed Manlius quò horridiorem patrem habuit, hoc periculo ejus laudabilius subvenit: quia ad eum diligendum præter naturalem amorem, nullo indulgentię blandimento invitatus fuerat.

DE MARCO COTTA.

Hanc pietatem æmulatus Marcus Cotta, eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut è Capitolio descendit, C. Carbonem, à quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit: peractumque reum judicio afflixit, & ingenium, & adolescentiam, præclaro opere auspicatus.

DE C. FLAMINIO.

Apud C. quoque Flaminium autoritas patria æquè potens fuit. Nam cum Tr. Pl. legem de Gallico agro viritim dividendo invito, & repugnante senatu promulgasset, precibus, minisque ejus acerrime resistens, ac ne exercitu quidem adversus se conscripto, si in eadem sententia perseveraret, absterritus, postquam pro Rostris ei legem jam referenti pater manum injecit: privato fractus imperio, descendit è Rostris, ne minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus.

DE

DE CLAUDIA VIRGINE VESTALI.

Magna sunt hęc virilis pietatis opera, sed nescio an his omnibus valentius, & animosius Claudiæ Vestalis virginis factum: quæ cum patrem suum triumphantem, è curru violenta Trib. Pl. manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utrique se interponendo amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ędem Vestę duxit: nec discerni potuit, utri plus laudis tribueretur: cui victoria, an cui pietas comes aderat. Ignoscite vetustissimi foci, veniamque ęterni date ignes, si à vestro sacratissimo templo ad necessarium, magisque speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit. Nulla enim acerbitate fortunæ, nullis sordibus pretium charæ pietatis evilescit: quinetiam eo cercius, quò milerius experimentum habet.

DE AMORE FILIÆ ERGA matrem.

Sanguinis ingenui mulierem, prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit: quam receptam, is, qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strangulavit: aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, nequid cibi inferret, dedit: existimans futurum, ut inedia consumeretur. Cum autem jam dies plures intercederent, secum ipse quærens, quidnam esset, quod tandiu sustentaretur, curiosius observata filia, animadvertit illam exerto ubere famem matris lactis sui subsidio lenientem: quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad Triumvirum, à

Triumviro ad Prætorem, à Prætore ad consulum judicium perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit. Quò non penetrat, aut quid non excogitat pietas? quæ in carcere servandæ genitricis novam rationem invenit. Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quàm matrem uberibus natę alitam esse putaverit aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturę lex esset.

DE FILIÆ PIETATE IN PATREM.

Idem prędicatum de pietate Ruis existimetur, quæ patrem suum Cimona consimili fortuna affectum, parique custodię traditum, jam ultimę senectutis velut infantem, pectori suo admotum aluit. Hęrent, ac stupent hominum oculi, cum hujus facti pictam imaginem vident, casusque antiqui conditionem pręsentis spectaculi admiratione renovant, in illis mutis membrorum lineamentis viva ac spirantia corpora intueri credentes: quod necesse est animo quoque evenire, aliquanto efficatiore pictura litterarum vetera pro recentibus admonito, recordari.

DE CIMONIS PIETATE ERGA PATREM.

Ne te quidem Cimon silentio involuam, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti. Nam etsi maximo tibi postea & civi, & duci evadere contigit, plus tamen aliquanto laudis in carcere, quàm in curia assecutus es: cæterę enim virtutes admirationis tantummodo multum, pietas vero etiam amoris plurimum meretur.

EX-

EXTERNA.

DE DUOBUS FRATRIBUS.

Vos quoque fratres memoria complectar, quorum animus origine fuit nobilior. Siquidem admodum humiles in Hiſpania nati, pro parentum alimentis ſpiritum erogando, ſpecioſo exitu vitæ inclaruiſtis: duodecim enim millia nummum, quę poſt mortem veſtram his darentur, à filiis Patietis pacti eſtis, ut eorum patris interfectorem Epaſtum gentis ſuæ tyrannum occideretis: nec auſi ſolum inſigne facinus eſtis: ſed etiam ſtrenuo, ac forti exitu claruiſtis. Ejuſdem enim manibus Patietis ultionem, Epaſti pœnam, genitoribus nutrimenta, vobis glorioſa fata peperiſtis. Itaque tumulis etiam nunc vivitis, quia parentum ſenectutem tueri, quàm veſtram expectare ſatius eſſe duxiſtis.

DE CLEOBE ET BITONE FRATRIBUS, & Amphinomo & Anapo.

Notiora ſunt fratrum paria, Cleobis, & Biton, Amphinomus, & Anapus: illi, quòd ad ſacra Junonis peragenda matrem vexerunt: ii quòd patrem & matrem humeris per medios ignes Ætnæ portarunt: ſed neutris pro ſpiritu parentum expirare propoſitum fuit. Nec ego Argivam detrecto laudem, aut Ætnæi montis gloriam involuerim: verum obſcuriori propter ignorantiam pietati notitiæ lumen admoveo: ſicut Scythis libenter pietatis teſtimonium reddo.

DE DARIO REGE.

Dario enim totis regni ſui viribus in eorum regionibus ſubinde impetum facienti, paulatim cedentes,

ad ultimas jam ſolitudines pervenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi eſſent: reſponderunt, ſe nec urbes ullas, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere: cęterum cum ad parentum ſuorum monimenta veniſſent, ſciturum, quemadmodum Scythæ pręliari ſolerent. Quo quidem uno tam pio dicto, immanis, & barbara gens ab omni ſe feritatis crimine redemit. Prima igitur & optima rerum natura pietatis eſt magiſtra, quæ nullo vocis miniſterio, nullo uſu litterarum indigens, propriis, ac tacitis viribus, charitatem parentum liberorum pectoribus infundit. Quid ergo doctrina proficit? ut politiora ſcilicet, non ut meliora fiant ingenia: quoniamquidem ſolida virtus naſcitur magis, quàm fingitur.

DE FILIO CROESI.

Quis enim plauſtris vagos, & ſylvarum latebris corpora ſua tegentes, in modumque ferarum laniatu pecundum viventes, ſic Dario reſpondere docuit? Illa nimirum, quæ etiam Crœſi filium loquendi uſu defectum, ad protegendam patris incolumitatem miniſterio vocis inſtruxit. Captis enim à Cyro Sardibus, cum unus è numero Perſarum, ignarus viri in cædem ejus concitato impetu ferretur: velut oblitus, quid ſibi naſcenti fortuna denegaſſet, ne Crœſum regem occideret, proclamando, penè jam impreſſum mucronem jugulo revocavit. Ita, qui ad id tempus mutus ſibi vixerat, ſaluti parentis vocalis factus eſt.

DE QUODAM JUVENE dicto Plutone.

Eadem charitas Italico bello Pinenſem juvenem, cui Plutoni erat cognomen, tanto animi, corporiſque ro-

robore armavit, ut cum obsessæ urbis suę claustris præsideret, & Romanus Imperator patrem ejus captivum, in conspectu ipsius constitutum, districtis militum gladiis circundedisset, occisurum se minitans, nisi irruptioni suæ iter prębuisset, solus è manibus eorum senem rapuerit: duplici pietate memorandus, quòd & patris servator, nec patriæ fuit proditor.

DE PIETATE ERGA FRATRES.

CAPUT V.

HAnc charitatem, proximus fraternæ benevolentię gradus excipit. Nam ut meritò primum amoris vinculum ducitur, plurima & maxima beneficia accepisse: ita proximum judicari debet simul accepisse. Quàm copiosæ enim suavitatis illa recordatio est! In eodem domicilio antè quàm nascerer, habitavi: in iisdem incunabulis infantię tempora peregi: eosdem appellavi parentes: eandem pro me vota excubuerunt: parem ex majorum imaginibus gloriam traxi. Chara est uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines: sed postea cognitis nulla benevolentia accedere debet, quę priorem exhauriat.

DE SCIPIONE MAIORE.

Atque hoc teste Scipione Africano loquor, qui tametsi arctissima familiaritate Lęlio junctus erat, attamen senatum supplex oravit, ne provincię sors fratri suo erepta, ad eum transferretur: legatumque se L. Scipioni in Asiam iturum promisit, & major natu, minori, & fortissimus imbelli, & gloria excellens laudis inopi: & quod super omnia est, nondum Asia-

tico, jam Africanus. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit: triumphique prætextam hujus excepit, illius tradidit: ministerio aliquanto major, quàm frater imperio.

DE MARCO FABIO CONSULE.

Marcus verò Fabius Consul inclyta pugna Hetruscis, & Veientibus superatis, delatum sibi summo senatus, populique studio triumphum ducere non sustinuit: quia eo prælio Qu. Fabius frater ejus consularis fortissime dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternæ charitatis habitasse existimemus, propter quam tantus amplissimi honoris fulgor extingui potuit?

DE TIBERIO CÆSARE.

Hoc exemplo vetustas, illo seculum nostrum ornatum est: cui contigit fraternum jugum Claudiæ prius, nunc & Juliæ gentis intueri decus: tantum enim amorem Princeps, parensque noster insitum animo fratris Drusi habuit, ut cum Ticini, quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, gravi illum, & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognovisset, protinus inde metu attonitus erumperet. Iter quoque quàm rapidum, & præceps velut uno spiritu corripuerit, eo patet, quòd Alpes, Rhenumque transgressus, die ac nocte, mutato subinde equo, ducentis millibus passuum, per modò devictam barbariam, Antabagio duce solo comite contentus, evasit: sed eum tunc maximo labore & periculo implicatum, mortaliumque frequentia defectum, sanctissimum pietatis numen, & Dii fautores eximiarum virtutum, & fidissimus Romani Imperii custos Jupiter comita-

tus est. Drusus quoque, quanquam fato jam suo, quàm illius officio propior erat, vigore spiritus, & corporis viribus collapsus, eo ipso tamen, quo vita, & mors distinguitur momento, legiones cum insignibus suis fratri obviam procedere jussit, & ut Imperator salutaretur, præcepit: & dextra in parte prætorium ei statui, & consulare, & imperatorium nomen obtinere voluit: eodemque tempore, & fraternę majestati cessit, & vita excessit.

DE QUODAM MILITE CN. POMPEII.

His scio equidem nullum aliud, quàm Castoris, & Pollucis specimen consanguineæ charitatis convenienter adjici posse. Sed omnis memorię clarissimis Imperatoribus profecto non erit ingratum, si militis summa erga fratrem suum pietas, huic voluminis parti adhæserit. Is nanque in castris Cn. Pompeji stipendia peragens, cum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem cominus interemisset, jacentemque spoliaret, ut fratrem germanum esse cognovit, multum, ac diu convitio deos ob donum impiæ victoriæ insecutus, propè castra transtulit, & pretiosa veste opertum, rogo imposuit, ac deinde subjecta face, protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transverberavit: seque super corpus fratris prostratum, communibus flammis eremandum tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti vivere: sed ut sua potius pietate, quàm aliena venia uteretur, comes fraternæ

neci non defuit.

DE

DE PIETATE ERGA PATRIAM.

CAPUT VI.

ARctiſsimis ſanguinis vinculis pietas ſatisfecit: reſtat nunc ut patriæ exhibeatur: cujus majeſtati, etiam illa, quæ deorum numinibus æquatur, autoritas parentum, vires ſuas ſubjecit: fraterna quoque charitas æquo animo, ac libenter cedit, ſumma quidem cum ratione: quia everſa domo, interdum Reip. ſtatus manere poteſt: urbis ruina, penates omnes ſecum trahat neceſſe eſt. Verum quid attinet verbis iſta complecti? quorum tanta vis eſt, ut aliqui ea ſalutis ſuæ impendio teſtati ſint.

DE BRUTO PRIMO CONSULE.

Brutus conſul primus cum Arunte, Tarquinii Superbi, regno expulſi filio, in acie ita equo concurrit, ut pariter illatis haſtis, uterque mortifero vulnere ictus exanimis proſterneretur. Merito adjecerim Populo Romano libertatem ſuam magno ſtetiſſe.

DE CURTIO ROMANO.

Cum autem in media parte fori, vaſto ac repentino hiatu terra ſubſideret, reſponſumque eſſet, re illum tantummodo compleri poſſe, qua Pop. Rom. plurimum valeret: Curtius & animi, & generis nobiliſsimus adoleſcens, interpretatus urbem noſtram virtute, armiſque præcipue excellere, militaribus inſignibus ornatus, equum conſcendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit: ſuper quem univerſi cives honoris gratia

tia certatim fruges injecerunt, continuoque terra priſtinum habitum recuperavit. Magna poſtea decora in foro Romano fulſerunt: nullum tamen hodie pietate Curtii erga patriam clarius obſervatur exemplum: cui principatum glorię obtinenti, conſimile factum ſubnectam.

DE GENITIO CIPPO PRÆTORE.

Genitio Cippo Prętori paludato portam egredienti, novi, & inauditi generis prodigium incidit. Nanque in capite ejus ſubito veluti cornua emerſerunt: reſponſumque eſt eum regem fore, ſi in urbem reverſiſſet Quod ne accideret, voluntarium, ac perpetuum ſibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quę quod ad ſolidam gloriam attinet, ſeptem regibus præferatur: cujus teſtandę rei gratia capitis effigies ęrea portæ, qua exceſſerat, incluſa eſt: dictaque Rauduſculana, quòd olim *æra raudera* dicebantur.

DE ÆLIO PRÆTORE.

Genitius laudis hujus ſucceſsionem Ælio Prætori tradidit, cui jus dicenti, cum in capite picus conſediſſet, aruſpexque affirmaſſet, conſervato eo fore domus ipſius ſtatum feliciſsimum, Reip. miſerrimum: occiſo, in contrarium utrunque ceſſurum: eveſtigio picum morſu ſuo in conſpectu ſenatus necavit: decem & ſeptem milites ſuę familia, eximię fortitudinis viros Cannenſi prælio amiſit: Reſpub. procedente tempore ad ſummum imperii faſtigium exceſsit. Hæc nimirum exempla, Sylla, & Marius, & Cinna tanquam ſtulta irriſerunt.

DE

DE PUBLIO DECIO.

Publius Decius, qui consulatum in familiam suam primus intulit, cum Latino bello Romanam aciem inclinatam penè jam, & prostratam videret, caput suum pro salute Reipublicę devovit, ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patrię salutem, sibi mortem petens, irrupit: factaque ingenti strage, plurimis telis obrutus, supercorruit: ex cujus vulneribus, & sanguine insperata victoria emersit.

DE FILIO P. DECII.

Unicum talis Imperatoris specimen esset, nisi animo suo respondentem filium genuisset. Is nanque in quarto consulatu patris exemplum secutus, devotione simili, ęque strenua pugna, consentaneo exitu labantes, perditasque vires urbis nostræ correxit. Itaque dignosci arduum est, utrum Romana civitas utilius habuerit Decios, an amiserit: quoniam vita eorum ne vinceretur, obstitit, mors fecit ut vinceret.

DE SCIPIONE AFRIC. SUPERIORE.

Non est extinctus pro Repub. superior Scipio Africanus, sed admirabili virtute ne Respub. extingueretur, providit: siquidem cum afflicta Cannensi clade urbs nostra, nihil aliud quàm pręda victoris esse Annibalis videretur: ideoque reliquię prostrati exercitus deferendę Italię, autore Quinto Metello, consilium agitarent: tribunus militum admodum juvenis, stricto gladio mortem unicuique minitando, jurare omnes nunquam se relicturos patriam coëgit: pietatemque non solum ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit.

DE

DE PUBLICANIS.

Age ut à singulis ad universos transgrediar, quanto, & quàm æquali amore patriæ tota civitas flagravit? nam cum secundo Punico bello exhaustum ærarium, ne deorum quidem cultui sufficeret: publicani ultrò aditos censores hortati sunt, ut omnia sic locarent, tanquam Respub. pecunia abundaret, seque præstituros cuncta, nec ullum assem, nisi bello confecto, petituros polliciti sunt.

DE DOMINIS SERVORUM, EQUITIBUS, ET centurionibus.

Domini quoque eorum servorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneventi manumiserat, pretia ab imperatore exigere supersederunt. In castris etiam non eques, non centurio stipendium sibi dari desideravit: viri, ac fœminæ, quicquid auri, argentivè habuerunt: item pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt: ac neque beneficio senatus (qui muneribus his functos, tributi onere liberaverat) quisquam uti voluit, sed insuper id omnes promptissimis animis præstiterunt. Non ignorabant enim captis Veiis, cum decimarum nomine, quas Camillus voverat, Aurum Apollini Delphico mitti oporteret, neque emendi ejus facultas esset, matronas ornamenta sua in ærarium retuliisse. Similiter audierant, mille pondo auri, quæ Gallis pro obsidione Capitolii promissa debebantur, earum cultu expleta. Itaque & proprio ingenio, & exemplo vetustatis admoniti, nulla sibi in re cessandum existimaverunt.

EXTERNA.

DE CODRO REGE ATHENIENSIUM.

Sed & externa ejuſdem propoſiti exempla attingam. Rex Athenienſium Codrus, cum ingenti hoſtium exercitu Attica regio debilitata ferro, ignique veſtaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos ſciſcitatus eſt, quonam modo illud tam grave bellum diſcuti poſſet. Reſpondit deus, ita illi finem fore, ſi ipſe hoſtili manu occidiſſet. Quod quidem non ſolum totis Athenienſium caſtris, ſed etiam contrariis percrebuit. Eoque factum eſt, ut ediceretur, nequis Codri corpus vulneraret. Id poſtquam cognovit, depoſitis inſignibus imperii, familiarem cultum induit, ac pabulantium hoſtium globo ſeſe objecit: unumque ex his falce percuſſum, in eçdem ſuam compulit: cujus interitu ne Athenę occiderent, effectum eſt.

DE THRASYBULO.

Ab eodem fonte pietatis Thraſybuli quoque animus manavit, cum Athenienſium urbem triginta tyrannorum teterrima dominatione liberare cuperet, parvaque manu maximę rei molem aggrederetur, & quidam è conſciis dixiſſet: quantas tandem tibi Athenæ, per te libertatem conſecutę, gratias debebunt? Reſpondit: Dii faciant, ut quantas ipſe illis debeo, videar retuliſſe. Quo affectu inclytum deſtructæ tyrannidis opus laude cumulavit.

DE THEMISTOCLE.

Themiſtocles autem, quem virtus ſua victorem, injuria patriæ Imperatorem Perſarum fecerat, ut ſe

ab ea oppugnanda abstineret, instituto sacrificio, exceptum patera tauri sanguinem hausit: & ante ipsam aram, quasi quædam pietatis clara victima concidit: quo quidem tam memorabili ejus excessu, ne Græciæ altero Themistocle opus esset, effectum est.

DE DUOBUS PHILENIS FRATRIBUS Carthaginiensibus.

Sequitur ejusdem generis exemplum: Cum inter Carthaginem, & Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset, ad ultimum placuit utrique eodem tempore juvenes mitti, & locum in quem ii convenissent, finem ambobus haberi populis: verum hoc pactum duo fratres Carthaginienses nomine Phileni, perfidia præcurrere, citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis: quod cum intellexissent Cyrenensium juvenes, diu de fallacia eorum questi, postremo acerbitate conditionis injuriam discutere conati sunt: dixerunt nanque, sic eum finem ratum fore, si Phileni vivos se ibi obrui passi essent: sed consilio eventus non respondit: illi enim nulla interposita mora, corpora sua his terra operienda tradiderunt: qui quoniam patriæ, quàm vitæ suæ longiores terminos esse maluerunt, bene jacent, manibus, & ossibus suis Punico dilatato imperio. Ubi sunt superbæ Carthaginis alta mœnia? ubi maritima gloria inclyti portus? ubi cunctis littoribus terribilis classis? ubi tot exercitus? ubi tantus equitatus? ubi immenso Africæ spatio non contenti spiritus? omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philenorum egregii facti memoriam, ne patriæ quidem interitus extinxit: nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali animo, ac manu, immortale queri possit.

DE

DE ARISTOTELE.

Juvenili ardore plena hęc pietas: Aristoteles verò supremæ vitæ reliquias senilibus, ac rugosis membris in summo literarum otio vix custodiens, adeo valenter pro salute patriæ incubuit, ut eam hostilibus armis solo æquatam, in lectulo Athenensi jacens, Macedonum de manibus, quibus objecta erat, eriperet. Ita non tam urbs Stagira eversa, Alexandri, quam relicta Aristotelis notum est opus. Patet ergo quàm benigne, quamque profusę pietatis erga patriam omnium ordinum, omnis ætatis homines extiterint, sanctissimisque naturæ legibus mirificorum etiam exemplorum clara mundo subscripserit veritas.

DE PARENTUM AMORE, ET INDULGENTIA in liberos.

CAP. VII.

DET nunc vela pii affectus, & placidi, parentum erga liberos indulgentia, salubrique pura provecta, gratam suavitatis secum dotem afferat. Fabius Rullianus quinque consulatibus, summa cum gloria peractis, omnibusque, & virtutibus, & vitæ meritis stupendus, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile, & periculosum conficiendum gravatus non est; penè ipso duntaxat animo sine corpore militaturus: utpote propter ultimam senectutem declinati enim, quàm labori præliorum habilior. Idem triumphantis currum equo insidens, sequi, quem ipse parvulum triumphis suis gestaverat, in maxima volup-

tate

tate posuit: nec accessor gloriosę illius pompę, sed autor spectatus est.

DE CESETIO ROMANO.

Non tam Cesetii speciosa equitis Romani: sed sors patria par indulgentia. qui à Cæsare omnium jam externorum, & domesticorum hostium victore, cum abdicare filium suum juberetur, quòd is Tr. Pl cum Marullo collega, invidiam ei tanquam regnum affectanti fecerat: in hunc modum respondere sustinuit: Celerius tu mihi Cæsar omnes filios meos eripies, quàm ex his ego unum nota pellam mea. Habebat autem duos præterea optimæ indolis filios, quibus Cæsar se incrementa benignæ dignitatis largiturum pollicebatur. Hunc patrem tametsi summa divini principis clementia tutum præstitit, quis tamen non humano ingenio majus ausum putet, quòd cui totus orbis terrarum succubuerat, non cesit?

DE OCTAVIO BALBO.

Sed nescio an Octavius Balbus concitatioris, & ardentioris erga filium benevolentiæ fuerit. Proscriptus à triumviris, cum domo postica clam esset egressus, jamque fugæ expeditum initium haberet: postquam intus filium trucidari falso clamore vicinię accepit, ei se neci, quam evaserat, obtulit, occidendumque militibus tradidit. Pluris nimirum illud momentum, quo illi præter spem videre filium incolumem contigerat, quàm salutem suam æstimans. Miseros adolescentis oculos, quibus amantissimum sui patrem ipsius opera sic expirantem intueri necesse fuit.

EXTERNA.

DE SELEUCO REGE.

Ceterum ut ad jucundiora cognitu veniamus, Seleuci Regis filius Antiochus novercę Stratonices infando amore correptus, memor quàm improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia dissimulatione contegebat. Itaque diversi affectus iisdem visceribus, ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt. Jacebat ipse Antiochus in lectulo, moribundo similis: lamentabantur necessarii: pater mœrore prostratus, de obitu unici filii, deque sua miserrima orbitate cogitabat: totius domus funebris magis, quàm regius erat vultus. Sed hanc tristitiæ nubem Leptini mathematici, vel, ut quidam tradunt, Herasistrati medici providentia discussit: juxta enim Antiochum sedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi, & spiritu increbrescere, eaque egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum subinde recuperare animadvertit, curiosiore observatione ad ipsam veritatem penetravit. Intrante enim Stratonice, & rursus abeunte, brachium adolescentis dissimulanter apprehendendo, modo vegetiore, modo languidiore pulsu venarum comperit, cujus morbi æger esset, protinusque id Seleuco exposuit. Qui charissimam sibi conjugem filio suo cedere non dubitavit: Quòd in amorem incidisset, fortunę acceptum referens: quòd dissimulare eum usque ad mortem paratus esset, ipsius pudori imputans. Subjiciatur animis senex, Rex, amans, jam patebit, quàm multa, quamque difficilia paterni affectus indulgentia superavit.

DE

DE ARIOBARZANE REGE CAPPADOCIÆ.

At Seleucus quidem uxore, Ariobarzanes filio suo Capadociæ regno cessit in conspectu Cn. Pompeji, cujus cum ipse tribunal conscendisset, invitatusque ab eo in curuli sella sedisset, postquam filium in cornu scribæ humiliorem fortuna sua locum obtinentem conspexit, non sustinuit infrà se collocatum intueri: sed protinus sella descendit, & diadema in caput ejus transtulit: hortarique cœpit, ut eò transiret, unde ipse surrexerat. Exciderunt lachrymæ juveni, cohorruit corpus, delapsum diadema est, nec quò jussus erat, progredi potuit: quodque penè fidem veritatis excedit, lætus erat qui regnum deponebat: tristis, cui dabatur: nec ullum finem tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ voluntati autoritas Pompeji affuisset. Filium enim, & regem appellavit, & diadema sumere jussit, & in curuli sella considere coëgit. Comicæ lenitatis hi patres, tragicæ asperitatis illi.

DE PARENTUM SEVERITATE ADVERSUS liberos.

CAPUT VIII.

DE LUCIO BRUTO.

BRUTUS par gloria Romulo, quia ille urbem, hic libertatem Romanam condidit: filios suos, Tarquinii dominationem à se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proque tribunali virgis cæsos, & ad palum religatos securi percuti jussit. Exuit patrem ut consulem ageret, orbusque vivere, quàm publicæ vindictæ deesse maluit.

DE CASSIO.

Hujus æmulatus exemplum Caſsius : filium, qui Trib. Pl. Agrariam legem primus tulerat, multiſque aliis rebus populariter animos hominum amore ſui devinctos tenebat, poſtquam illam poteſtatem depoſuit, adhibito propinquorum, & amicorum conſilio, affectati regni crimine domi damnavit. verberibuſque affectum, necari juſsit: ac peculium ejus Cereri conſecravit.

DE MANLIO TORQUATO.

Titus autem Manlius Torquatus, propter egregia multa raræ dignitatis, juris quoque civilis, & ſacrorum pontificalium peritiſsimus, in conſimili facto ne conſilio quidem neceſſariorum indigere ſe credidit. Nam cum ad Senatum Macedonia de filio ejus Decio Syllano, qui eam provinciam obtinuerat, querelas per legatos detuliſſet, à P. C. petiit, nequid antè de ea re ſtatuerent, quàm ipſe Macedonum, filiique ſui cauſam inſpexiſſet : ſummo deinde tum ampliſsimi ordinis, tum etiam eorum, qui queſtum venerant, conſenſu, cognitione ſuſcepta, domi conſedit, ſoluſque utrique parti per totum biduum vacavit, ac tertio de pleniſsime, diligentiſsimeque auditis teſtibus, ita pronuntiavit : Cum Syllanum filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & Reip. & domo mea indignum judico, protinuſque è conſpectu meo abire jubeo. Tam triſti patris ſententia percuſſus Syllanus, lucem ulterius intueri non ſuſtinuit, ſuſpendioque ſe proxima nocte conſumpſit. Peregerat jam Torquatus ſeveri & religioſi judicis partes, ſatisfactum erat Reip. habebat ultionem Macedonia : potuit tam verecundo obitu filii, patris in-

flec-

fecti rigor. At ille neque adolescentis exequiis interfuit, & cum maximè funus ejus duceretur, consulere se volentibus, vacuas aures accommodavit. Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat. Prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum suorum cum titulis suis idcirco in prima ędium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.

DE MARCO SCAURO.

Marcus verò Scaurus lumen, ac decus patriæ, cum apud Athesim flumen impetu Cymbrorum Romani equites pulsi, deserto consule Catulo, pavidi urbem repeterent, consternationis eorum participi filio suo misit, qui dicerent, se libentius in acie ejus interfecti ossibus occursurum, quàm ipsum tam deformis fugæ reum visurum. Itaque siquid modo reliquum in pectore verecundiæ supereset, conspectum degenerati patris vitaturum: recordatione enim juventæ suę, qualis M. Scauro aut habendus, aut spernendus esset filius, admonebatur: quo nuntio accepto, juvenis coactus est fortius adversus semetipsum gladio uti, quàm adversus hostes usus fuerat.

DE AULO FULVIO.

Nec minus animose Aulus Fulvius, vir senatorii ordinis, euntem filium in aciem retraxit, quàm Scaurus è prælio fugientem increpuit. Namque juvenem & ingenio, & litteris, & forma inter æquales nitentem, pravo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra ejus temerario impetu ruentem, in medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit: prefatus,

non ſe Catilinę illum adverſus patriam, ſed patriæ adverſus Catilinam genuiſſe. Licuit, donec civilis belli rabies præteriret, incluſum arcere: verum illud cauti patris narraretur opus, hoc ſeveri refertur. Sed ut hanc incitatam, & aſperam ſeveritatem mitiore relatu patrum mores clementiæ ſuæ miſtura temperent, exactæ pœnæ conceſſa venia jungatur.

DE PARENTUM MODERATIONE ADVERSUS ſuſceptos liberos.

CAPUT IX.

DE LUCIO GELLIO.

LUcius Gellius, omnibus honoribus ad cenſuram uſque defunctus, cum crimina graviſsima de filio, cum noverca commiſſum ſtuprum, & parricidium cogitatum, propemodum explorata haberet, non tamen ad vindictam procurrit continuò, ſed pene univerſo Senatu adhibito in conſilium, expoſitis ſuſpicionibus, defendendi ſe adoleſcenti poteſtatem fecit. Inſpectaque diligentiſsimè cauſa, abſolvit eum de concilii, tum etiam ſententia ſua: quòd ſi impetu iræ abſtractus ſævire feſtinaſſet, admiſiſſet magis ſcelus, quam vindicaſſet.

DE LUCIO HORTENSIO.

Quinti autem Hortenſii, qui ſuis temporibus ornamentum Romanę eloquentiæ fuit, admirabilis in filio patientia extitit. Cum enim eouſque impietatem ejus ſuſpectam, & nequitiam inviſam haberet, ut Meſſalam ſuæ ſororis filium, hæredem habiturus, ambitus reum defendens, judicibus diceret, ſi illum damnaſſent, nihil ſibi præter oſtulum nepotum, in quibus ac-

acquieſceret, ſuperfuturum : hęc ſcilicet ſententia, quam etiam editæ orationi inſeruit, filium potius in tormento animi, quàm in voluptatibus reponens : tamen ne naturę ordinem confunderet, non nepotes, ſed filium hęredem reliquit, moderate uſus affectibus ſuis : quia & vivus moribus ejus verum teſtimonium, & mortuus ſanguini honorem debitum reddidit.

DE FULVIO.

Idem fecit clari generis, magnęque dignitatis vir Fulvius, ſed in filio aliquantum tetriore. Nam cum auxilium ſenatus imploraſſet, ut ſuſpectus in parricidio, & ob id latens per triumvirum conquireretur, ac juſſu Patrum C. comprehenſus eſſet, non ſolum eum non notavit, ſed etiam decedens, dominum omnium eſſe voluit : quem ſibi genuerat hęredem inſtituens, non quem fuerat expertus.

DE QUODAM PATRE IGNOTO.

Magnorum virorum clementibus actis ignoti patris novę atque inuſitatæ rationis conſilium adjiciam: qui cum à filio necti ſibi inſidias comperiſſet, nec inducere in animum poſſet, ut verum ſanguinem ad hoc ſceleris progreſſum crederet : ſeductam uxorem ſuſpicans ſuppliciter rogavit, ne ſe ulterius celaret, ſive illum adoleſcentem ſubjeciſſet, ſive ex alio concepiſſet. Aſſeveratione deinde ejus, & jurejurando ſe nil tale debere ſuſpicari perſuaſus, in loçum deſertum filio perducto, gladium, quem ſecum occultum attulerat, tradidit, ac jugulum feriendum prębuit, nec veneno, nec latrone ei ad peragendum parricidium opus eſſe affirmans : quo facto non paulatim, ſed magno impetu recta cogitatio pectus juvenis occupavit; con-

tinuoque abjecto gladio, Tu verò, inquit, pater vive: & si tam obsequens es, ut hoc precari filio permittas, me quoque exupera. Sed tantum quęso, ne meus erga te amor eò sit vilior, quòd à pœnitentia oritur. O solitudinem sanguine meliorem, pacatioresque penatibus sylvas, & alimentis blandius ferrum, ac mortis oblatæ, quàm datæ vitæ felicius beneficium! Commemoratis patribus, qui injurias filiorum patienter exceperunt, referamus eos, qui mortes ęquo animo tolerarunt.

DE PARENTIBUS QUI OBITUM FILIORUM forti animo tulerunt.

CAPUT X.

DE HORATIO PULVILLO.

HOratius Pulvillus, cum in Capitolio Jovi Opt. Max. ædem pontifex dedicaret, interque nuncupationem solemnium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audisset, neque manum à poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet, neque vultum à publica religione ad privatum dolorem reflexit, ne patris magis, quàm pontificis partes egisse videretur. Tolle, inquit, cadaver.

DE ÆMILIO PAULO.

Clarum exemplum, nec minus tamen illustre, quod sequitur. Æmilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filiis formę insignis, egregiæ indolis duos jure adoptionis in Corneliam, Fabiamque gentem tralatos, sibi ipse denegavit: duos ei fortuna abstulit. Quorum alter trium-

triumphum patris funere ſuo quartum ante diem præceſſit: alter in triumphali curru conſpectus, poſt diem tertium expiravit. Itaque qui ad donandos uſque liberos abundaverat, in orbitate ſubitò deſtitutus eſt: quem caſum quo robore animi ſuſtinuerit, oratione, quam de rebus à ſe geſtis apud populum habuit, hanc adjiciendo clauſulam, nulli ambiguum reliquit: Cum in maximo proventu felicitatis veſtræ Quirites timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Jovem Opt. Max. Junonemque reginam, & Minervam precatus ſum, ut ſi adverſi quid Pop. Rom. immineret, totum in meam domum converteretur. Quapropter bene habet ſe res: annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum caſum doleatis, quàm ego veſtrum ingemiſcerem. Uno etiam nunc domeſtico exemplo adjecto, in alienis luctibus orationi meæ vagari permittam.

DE QUINTO MARTIO REGE.

Quintus Martius Rex, ſuperioris Catonis in conſulatu collega, filium ſummæ pietatis, magnæ ſpei, & quæ non parva calamitatis acceſsio fuit, unicum amiſit. Cumque ſe obitu ejus ſubrutum, & everſum videret, ita dolorem altitudine conſilii coërcuit, ut à rogo juvenis protinus curiam peteret: ſenatumque, quem eo die lege habere oportebat, evocaret: quòd niſi fortiter mœrorem ferre ſciſſet, unius diei lucem inter calamitoſum patrem & ſtrenuum conſulem, neutra in parte ceſſante officio, partiri non potuiſſet.

EX-

EXTERNA.

DE PERICLE PRINCIPE ATHENIENSIUM.

Princeps Athenienſium Pericles intra quatriduum duobus mirificis adoleſcentibus filiis ſpoliatus, his ipſis diebus, & vultu priſtinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore concionatus eſt. Ille vero caput quoque ſolito more coronatum gerere ſuſtinuit, ut nihil ex vetere ritu propter domeſticum vulnus detraheret: non ſine cauſa igitur tanti roboris animus ad Olympii Jovis cognomen aſcendit.

DE XENOPHONTE.

Xenophon autem, quod ad Socraticam diſciplinam attinet, proximus à Platone felicis, ac beatæ facundiæ gradus, cum ſolemne ſacrificium perageret, è duobus filiis majorem natu nomine Gryllum, apud Mantineam in prælio cecidiſſe cognovit: nec ideo inſtitutum deorum cultum omittendum putavit, ſed tantummodo coronam deponere contentus fuit: quam ipſam, percunctatus quonam modo occidiſſet, ut audivit fortiſsime pugnantem interiiſſe, capiti repoſuit: numina quibus ſacrificabat teſtatus, majorem ſe ex virtute filii voluptatem, quàm ex morte amaritudinem ſentire. Alius removiſſet hoſtiam, abjeciſſet altaria, lachrymis reſperſa thura disjeciſſet: Xenophontis cor pius religioni immobile ſtetit, & animus in conſilio prudentiæ ſtabilis manſit: nam dolori ſuccumbere, ipſa clade, quæ nuntiata erat, triſtius duxit.

DE ANAXAGORA.

Ne Anaxagoras quidem ſupprimendus eſt. Audi-

ta

ta namque morte filii, nihil inquit, mihi inexpectatum, aut novum nuntias: Ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Has voces utilissimis præceptis imbuta virtus mittit: Quas siquis efficaciter auribus perceperit, non ignorabit, ita liberos esse procreandos, ut meminerit his à rerum natura, & accipiendi spiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici: atque ut mori neminem solere, qui non vixerit, ita nec vivere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus.

VAL. MAXIMI

LIBER SEXTUS.

DE PUDICITIA.

CAPUT I.

UNDE TE VIRORUM PARITER, ac fœminarum præcipuum firmamentum Pudicitia evocem? tu enim prisca religione consecratos focos Vestæ incolis. Tu capitolinæ Junonis pulvinaribus incubas. Tu palatii columen augustos penates, sanctissimumque Juliæ gentis genialem thorum assidua statione celebras. Tuo præsidio puerilis ætatis insignia munita sunt. Tui numinis respectu sincerus juventę flos permanet Te custode matronalis stola censetur. Ades igitur, & cognosce, quæ fieri ipsa voluisti.

DE

DE LUCRETIA.

Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cujus virilis animus, maligno errore fortunæ, muliebre corpus sortitus est: à Sex. Tarquinii regis superbi filio per vim stuprum pati coacta, cum gravissimis verbis injuriam suam in concilio necessariorum deploraſſet, ferro se, quod veste tectum attulerat, interemit. Causamque tam animoso interitu imperium consulare pro regio permutandi Populo Rom. prębuit: atque hanc illatam injuriam non tulit

DE VIRGINIO VIRO PLEBEIO.

Virginius Plebeji generis, sed Patricii vir spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cum Appius Claudius decemvir, filiæ ejus virginis stuprum, potestatisque viribus fretus, pertinacius expeteret, deductam in forum puellam occidit, pudicęque interemptor, quàm corruptę pater esse maluit.

DE PONTIO AUFIDIANO.

Nec alio robore animi prędituſ fuit Pontius Aufidianus, eques Rom. qui postquam comperit filię suæ virginitatem à pædagogo proditam Fannio Saturnino, non contentus sceleratum servum affeciſſe supplicio, etiam ipsam puellam necavit. Ita ne turpes ejus nuptias celebraret, acerbas exequias duxit.

DE P. MAENIO.

Quid Publius Męnius, quàm severum pudicitię custodem egit! In libertum nanque gratum admodum sibi animadvertit, quia eum nubilis jam ętatis filiæ

suę

ſuę oſculum dediſſe cognoverat, preſertim cum non libidine, ſed errore lapſus videri poſſet. Cæterum amaritudine pœnæ, teneris adhuc puellæ ſenſibus, caſtitatis diſciplinam ingenerari magni æſtimavit. Eique tam triſti exemplo præcepit, ut non ſolum virginitatem illibatam, ſed etiam oſcula ad virum ſincera perferret.

DE QUINTO FABIO MAXIMO SERVILIANO.

Quintus vero Fabius Maximus Servilianus honoribus, quos ſplendiſsime geſſerat, cenſuræ gravitate conſummatis, exegit pœnas à filio unico dubiæ caſtitatis. Is eas pependit, voluntario receſſu conſpectum patris vitando.

DE P. ATTILIO PHILISCO.

Dicerem Cenſórium virium nimis acerbum extitiſſe, niſi Publium Attilium Philiſcum in pueritia corpore quæſtum à domino facere coactum, tam ſeverum poſtea patrem cernerem. Filiam enim ſuam, eò quòd ſtupri ſe crimine coinquinaverat, interemit. Quàm ſanctam igitur in civitate noſtra pudicitiam fuiſſe exiſtimare debemus, in qua etiam inſtitores libidinis, tam ſeveros ejus vindices evaſiſſe animadvertimus? Sequitur excellentis nominis, ac memorabilis facti exemplum.

DE M. CLAUDIO MARCELLO, ÆDILI, & filio ſuo.

Marcus Claudius Marcellus Ædilis curulis C. Scantinio Capitolino Trib. Pl. diem ad populum dixit, quòd filium ſuum de ſtupro appellaſſet: eoque aſſeverante ſe cogi non poſſe ut adeſſet, quia ſacroſanctam poteſta-

tem

tem haberet, & ob id tribunitium auxilium implorante totum collegium tribunorum negavit se intercedere, quo minus pudicitiæ quæstio perageretur. Citatus itaque Scantinius reus, uno teste qui tentatus erat, damnatus est. Constat juvenem productum in rostra, defixo in terram vultu, perseveranter tacuisse, verecundoque silentio plurimum in ultionem suam valuisse.

DE METELLO CELERE.

Metellus quoque Celer stuprosæ mentis acer punitor extitit, Cn. Sergio Silo promiscuorum matrifamiliæ nummorum gratia diem ad populum dicendo, eumque hoc uno crimine damnando: non enim factum tunc, sed animus in quæstione deductus est: plusque voluisse peccare nocuit, quàm non peccasse profuit.

DE TITO VETURIO FILIO VETURII.

Concionis hæc, illa curiæ gravitas. Titus Veturius filius ejus Veturii, qui in consulatu suo Samnitibus, ob turpiter ictum fœdus, deditus fuerat: cum propter domesticam ruinam, & grave æs alienum Cælio Plotio nexum se dare adolescentulus admodum coactus esset, servilibus ab eo verberibus, quia stuprum pati noluerat, affectus, querelam ad consules detulit: à quibus hac de re certior factus senatus, Plocium in carcerem duci jussit: in qualicunque enim statu positam Romano sanguini pudicitiam tutam esse voluit. Et quid mirum, si hoc universi P. C. censuerunt?

DE C. FESCENINO TRIUMVIRO.

Cajus Pescennius Triumvir C. Cornelium fortissime militiæ stipendia emeritum, virtutisque nomine qua-

quater honore primipili ab imperatoribus donatum, quòd cum ingenuo adoleſcentulo ſtupri commercium habuiſſet, publicis vinculis oneravit: à quo appellati Tribuni, cum de ſtupro nihil negaret, ſed ſponſionem ſe facere paratum diceret, quòd adoleſcens ille palàm, atque aperte corpore quæſtum factitaſſet, interceſsionem ſuam interponere noluerunt. Itaque Cornelius in carcere mori coactus eſt. Non putarunt Trib. pleb. Remp. noſtram cum fortibus viris paciſci oportere, ut externi s periculis domeſticas delitias emerent.

DE TRIBUNO PLEBIS SIVE POPULO Romano.

Libidinoſi Centurionis ſupplicum, Marci Lætorii Mergi Tribuni militaris, æque fœdus exitus ſequitur: Cui Cominius Trib.pleb. diem ad populum dixit, quòd cornicularium ſuum ſtupri cauſa appellaſſet. Nec ſuſtinuit ejus rei ſententiam Lętorius, ſed ſe ipſe ante judicii tempus fuga prius ſubtraxit, deinde etiam morte ſe punivit. Naturæ modum expleverat, fato tamen functus, univerſæ plebis ſententia crimine impudicitiæ damnatus eſt. Signa illum militaria, ſacratę aquilę, & certiſsima Romani imperii cuſtos ſevera caſtrorum diſciplina, uſque ad inferos perſecuta eſt. Quoniam cujus virtutis magiſter eſſe debuerat, ſanctitatis corruptor tentabat exiſtere.

DE CAIO MARIO.

Hoc movit C. Marium imperatorem, tum, cum Cluſium ſororis ſuę filium Tribunum militum à Cælio Plocio manipulario milite jure cæſum pronuntiavit, quia eum de ſtupro compellare auſus fuerat. Sed

ut

ut eos quoque, qui in vindicanda pudicitia dolore suo publica lege usi sunt, strictim percurram : Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit : C. Menius L. Octavium similiter deprehensum nervis contudit : Carbo Actienus à Bibieno, item Pontius à P. Cernio deprehensi castrati sunt: Cn. etiam Furius Broccum, quem deprehenderat, familiæ stuprandum obiecit : quibus iræ suæ indulsisse, fraudi non fuit.

EXTERNA.

DE HIPPONE FOEMINA.

Atque ut domesticis externa subnectam, Græca fœmina nomine Hippo, cum hostium classe esset excepta, in mare se, ut pudicitiam morte tueretur, abjecit : cujus corpus Erechteo littori appulsum, proxima undis humo sepulturæ mandatum, ad hoc tempus tumulo contegit : sanctitatis vero gloriam æternæ traditam memoriæ Græcia laudibus suis celebrando, quotidie florentiorem effecit.

DE ORIAGONTIS UXORE REGULI.

Vehementius hoc, illud consideratius exemplum pudicitiæ. Exercitu & copiis Gallogræcorum à Cn. Manlio consule in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Oriagontis Reguli uxor miræ pulchritudinis à Centurione, cui custodienda tradita erat, stuprum pati coacta : postquam ventum est in eum locum, in quem consulis jussu Centurio, misso nuncio necessarios mulieris pretium, quo eam redimerent, afferre jusserat : aurum expendente Centurione, & in ejus pondus animo, oculisque intento, Callogræcis lingua gentis suæ imperavit, ut eum occiderent : interi-

terfecti deinde caput abſciſſum manibus retinens ad conjugem venit, abjectoque ante pedes ejus, & injuriæ, & ultionis ſuæ ordinem expoſuit. Hujus fœminæ quid aliud quiſquam, quàm corpus in poteſtatem hoſtium veniſſe dicat? Nanque animus neque vinci, nec pudicitia capi potuit.

DE UXORIBUS THEUTONICORUM.

Theutonicorum verò conjuges Marium victorem orarunt ut ab eo virginibus Veſtalibus dono mitterentur, affirmantes æquæ ſe, atque illas virilis concubitus expertes futuras: eaque re non impetrata, laqueis ſibi nocte proxima ſpiritum eripuerunt. Dii melius, quòd hunc animum viris earum in acie non dederunt. Nam ſi mulierum ſuarum virtutem imitari voluiſſent, incerta Theutonicæ victoriæ tropheæa reddidiſſent.

QUÆ LIBERE DICTA, AUT FACTA SUNT.

CAPUT II.

LIBERTATEM autem vehementis ſpiritus dictis pariter & factis teſtatam, ut non invitaverim, ita ultra venientem non excluſerim, quę inter virtutem, vitiumque poſita, ſi ſalubri modo ſe temperaverit, laudem: ſi quo non debuit, profuderit, reprehenſionem meretur: ac vulgi ſic auribus gratior, quàm ſapientiſſimi cujuſque animo probabilior eſt, utpote frequentius aliena venia, quàm ſua providentia tuta: ſed quia humanę vitæ partes proſequi propoſitum eſt, noſtra fide, æſtimatione propria referatur.

DE QUODAM PRINCIPE PRIVERNATUM.

Priverno capto, interfectisque, qui id oppidum ad rebellandum incitaverant, Senatus indignatione accensus consilium agitabat, quidnam sibi de reliquis quoque Privernatibus faciendum esset. Ancipiti igitur casu eorum salus fluctuabat, eodem tempore, & victoribus, & iratis subjecta. Cæterum cum auxilium unicum in precibus restare animadverterent, ingenui & Italici sanguinis oblivisci non potuerunt. Princeps enim eorum in curia interrogatus quam pœnam mereretur: Respondit, quam merentur, qui cum se dignos libertate judicarent, arma sumpserant: exasperatos P. conscriptorum animos, verbis inflammaverat. Sed Plautius consul favens Privernatum causę, regressum animoso ejus dicto obtulit, quæsivitque qualem cum eis pacem habituri Romani essent impunitate donati: at is constantissimo vultu: si bonam dederitis, inquit, perpetuam: si malam, non diuturnam: qua voce perfectum est, ut victis non solum venia, sed etiam jus, & beneficium nostræ civitatis daretur. Sic in senatu Privernas loqui ausus est.

DE L. CRASSO.

Lucius verò Philippus consul adversus eundem ordinem libertatem exercere non dubitavit, nam segniciem pro rostris exprobrans, alio sibi senatu opus esse dixit; tantumque à pœnitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso summę dignitatis, & eloquentię viro, id in curia graviter ferenti manum injici juberet. Ille rejecto lictore, non es, inquit, mihi Philippe consuli, quia nec ego tibi senator sum.

DE

DE P. SCIPIONE AFRICANO.

Quid? populum ab incursu suo tutum libertas reliquit? imò & similiter aggressa, & æque experta patientiam est. Cn. Carbo. Tr. Ple. nuper sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus vindex, idemque orientium civilium malorum fax ardentissima, Publium Africanum à Numantiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore venientem, ab ipsa penè porta in rostra productum, quid de Tiberii Gracchi morte, cujus sororem in matrimonio habebat, sentiret, interrogavit: ut authoritate clarissimi viri, inchoato jam incendio multum incrementi adjiceret: quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem aliquid pro interfecti necessarii memoria miserabiliter esset locuturus. At is jure eum cæsum videri respondit: cujus dicto cum concio tribunitio furore instincta violenter succlamasset, Taceant inquit quibus Italia noverca est: orto deinde murmure, Non efficietis, ait, ut solutos verear, quos alligatos adduxi. Universus populus iterum ab uno contumelioſe correptus erat. Quantus est honos virtutis? tacuit actutum: recens victoria ipsius Numantina, & patris Macedonica, devictæque Carthaginis spolia avita, ac duorum Regum Siphacis & Persæ ante triumphales currus catenatæ cervices, tunc totius fori frementis ora clauserunt: nec timori datum est silentium, sed quia beneficio Æmiliæ, & Corneliæ gentis, multi metus urbis, atque Italiæ finiti erant, Plebs Romana libertatis Scipionis libera non fuit. Quapropter minus mirari debemus, quòd amplissima Cn. Pompeji autoritas toties cum libertate luctata est: nec sine magna laude, quoniam omnis generis hominum licentiæ ludibrio se esse quieta fronte tulit.

DE CN. PISONE.

Cn. Piſo, cum Manilium Criſpum reum ageret, eumque evidenter nocentem gratia Pompeji videret eripi, juvenili impetu, ac ſtudio ad accuſationem provectus, multa, & gravia crimina præpotenti defenſori objecit: interrogatus deinde ab eo, cur ſe quoque non accuſaret: Da, inquit, vades Reip. te, ſi poſtulatus fueris, civile bellum non excitaturum, & jam de tuo prius, quàm de Manilii capite in conſilium judices mittam: ita eodem judicio duos ſuſtinuit reos: accuſatione Manilium, libertate Pompejum: & eorum alterum lege peregit, alterum profeſsione, qua ſolum poterat.

DE CATONE.

Quid ergo libertas ſine Catone? non magis, quàm Cato ſine libertate. Nam cum in ſenatorem nocentem, & infamem reum judex ſediſſet, tabellæque Cn. Pampeji laudationem ejus continentes, prolatę eſſent, proculdubio efficaces futuræ protinus ſubmovit eas è quæſtione, legem recitando, qua cautum erat, ne ſenatoribus tali auxilio uti liceret. Huic facto perſona admirationem ademit. Nam quæ in alio audacia videretur, in Catone fiducia cognoſcitur.

DE CN. LENTULO MARCELLINO Conſule.

Cn. Lentulus Marcellinus Conſul, cum in concione de Magni Pompeji nimia potentia quereretur, aſſenſuſque illi clara voce univerſus populus eſſet: Acclamate, inquit, acclamate Quirites, dum licet: jam enim vobis impune facere non licebit. Pulſata eſt tunc eximii civis potentia, hinc invidioſa querela, hinc lamentatione miſerabili.

Cui candida faſcia crus alligatum habenti, Fau-

nius,

nius, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cavillatione regias ejus vires exprobrans. At is neutra in parte mutato vultu, utrunque cavit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam, aut tristi iram profiteri videretur: eaque patientia inferioris etiam generis, & fortunæ hominibus aditum adversus se dedit: è quorum turba duos retulisse abunde erit.

DE ÆLIO MANTIA FORMIANO.

Ælius Mantia Formianus, Libertini filius, ultimæ senectutis L. Libonem apud Censores accusabat: in quo certamine cum Pompejus Magnus humilitatem ei, ætatemque exprobans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset: non mentiris, inquit, Pompei: venio enim ab inferis L. Libonem accusaturus: sed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ænobarbum deflentem, quòd summo genere natus, integerrimę vitę, amantissimus patriæ, in ipso juventutis flore, tuo jussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum Brutum ferro laceratum, querentem, id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritię tuę, bonorumque patris tui defensorem, in tertio consulatu catenis, quas tu ei injici jusseras, vinctum, obtestantem te, adversus omne fas & nefas, cum in summo esset imperio, à te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu, & quiritatu prætorium virum Perpennam sævitiam tuam execrantem, omnesque eos una voce indignantes, quòd indemnati sub te adolescentula carnifice occidissent. Obducta jam vetustis cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera, municipali homini servitutem paternam redolenti, effrenata teme-

ritate, intolerabili ſpiritu, impune revocare licuit. Itaque eo tempore & fortiſsimum erat Cn. Pompejo maledicere, & tutiſsimum: ſed non patitur nos hoc longiore querela proſequi perſonæ inſequentis aliquanto ſors humilior.

DE DIPHILO TRAGOEDO.

Diphilus Tragœdus, cum Apollinaribus ludis inter actum ad eum verſum veniſſet, in quo hæc ſententia continetur, Miſeria noſtra Magnus eſt: directis in Pompejum Magnum manibus, pronuntiavit: revocatuſque aliquoties à populo ſine ulla cunctatione nimię illum, & intolerabilis potentiæ reum geſtu perſeveranti egit: eadem petulantia uſus eſt in ea quoque parte, Virtutem iſtam veniet tempus cum graviter gemas.

DE MARCO CASTRITIO.

Marci etiam Caſtritii libertate inflammatus animus, qui dum Placentiæ magiſtratum gereret, Cn. Carbone conſule jubente decretum fieri, quo ſibi obſides à Placentinis darentur, nec ſummo ejus imperio obtemperavit, nec maximis viribus ceſsit: atque etiam dicenti multos ſe gladios habere, reſpondit, & ego annos. Obſtupuerunt tot legiones tam robuſtas ſenectutis reliquias intuentes. Carbonis quoque ira, quia materiam ſæviendi perquam exiguam habebat, parvulum vitæ tempus ablatura, in ſeipſa collapſa eſt.

DE SERVIO GALBA.

Jam Servii Galbę temeritatis plena poſtulatio, quòd divum Julium conſummatis victoriis, in foro jus dicentem, in hunc modum interpellare ſuſtinuit: C. Juli Cęſar pro Cn. Pompejo Magno quondam ge-

ne-

nero tuo in tertio ejus consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor : Quid agam ? dependam? palàm, atque aperte ei bonorum Pompeji venditionem exprobrando. Ut à tribunali summoveretur, meruerat : sed ipsa illud mansuetudine mitius pectus, æs alienum Pompeji ex suo fisco solvi jussit.

DE CÆSELIO VIRO SAPIENTE.

A. Cæselius vir juris civilis scientia clarus, quàm periculose contumax ! nullius enim aut gratia, aut autoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret. Hoc animi judicio victoriarum beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem, cum multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur, amicique ne id faceret, monerent : duas res, quæ hominibus amarissimę videntur, magnam sibi licentiam præbere respondit, senectutem, & orbitatem.

EXTERNA.

DE QUADAM MULIERE.

Inserit se tantis viris mulier alienigeni sanguinis, quę à Philippo rege temulento immerenter damnata, Provocarem ad Philippum, inquit, sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, ac pręsentia animi ebrium resipiscere, causaque diligentius inspecta justiorem sententiam ferre coëgit. Igitur ęquitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit : potius præsidium à libertate, quàm ab innocentia mutuata.

DE QUADAM FOEMINA SYRACUSANA.

Jam illa non ſolum fortis, ſed etiam urbana libertas. Senectutis ultimæ quædam, Syracuſis omnibus Dionyſii tyranni exitium, propter nimiam morum acerbitatem, & intolerabilia onera votis expetentibus, ſola quotidie matutino tempore deos, ut incolumis, ac ſibi ſuperſtes eſſet, orabat. Quod ubi is cognovit, non debitam ſibi admiratus benevolentiam, accerſit eam, & quid ita hoc, aut quo ſuo merito faceret, interrogavit. Tum illa, Certa eſt, inquit, ratio propoſiti mei: puella enim, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupavit: ejus quoque finiri dominationem magni æſtimabam; tertium te ſuperioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. Itaque timens, ne ſi tu fueris abſumptus, deterior in locum tuum ſuccedat, caput meum pro tua ſalute devoveo. Tam facetam audaciam Dionyſius punire erubuit.

DE THEODORO CYRENÆO.

Inter has, & Theodorum Cyrenæum quaſi animoſi ſpiritus conjugium eſſe potuit, virtute par, felicitate diſſimile. Is enim Lyſimacho regi mortem ſibi minitanti, Enimvero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim aſſecutus es. Cumque hoc dicto accenſus cruci eum adfigi juſſiſſet, terribilis hæc (ait) ſit purpuratis tuis: mea quidem nihil intereſt, humine an ſublime putreſcam.

DE SEVERITATE.

CAPUT III.

ARMET se duritia pectus necesse est, dum horridæ, ac tristis severitatis acta narrantur, ut omni mitiori cogitatione sepositâ, rebus auditu asperis vacet. Ita enim districtæ, & inexorabiles vindictæ, & varia pœnarum genera in medium procurrent, utilia quidem legum munimenta, sed minime in placido, & quieto paginarum numero reponenda.

Marcus Manlius, unde Gallos depulerat, inde ipse præcipitatus est: quia fortiter defensam libertatem nefarie opprimere conatus fuerat: cujus justę ultionis nimirum hæc præfatio fuit, Manlius eras mihi, cum prçcipites agebas Senones: postquam mutari cœpisti, unus factus es ex Senonibus. Hujus supplicio ęternę memorię nota inserta est: propter illum enim lege sanciri placuit, nequis patritius in arce, aut in capitolio habitaret, quia domum eò loci habuerat, ubi nunc ædem Monetæ videmus.

IN SPURIUM CASSIUM.

Par indignatio adversus Spurium Cassium erupit: cui plus suspicio concupitæ dominationis nocuit, quam tres magnifici consulatus, ac duo speciosissimi triumphi profuerunt. Senatus enim, Populusque Rom. non contentus capitali eum supplicio afficere, interempto domum superjecit, ut penatium quoque strage puniretur: in solo autem ædem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium impotentis viri fuerat, nunc religiosę severitatis monumentum est.

IN

IN SPURIUM MELIUM.

Eadem auſum Spurium Melium conſimili exitu patria mulctavit : area verò domus ejus, quò juſtitia ſupplicii notior ad poſteros perveniret, Æquimelii appellationem traxit.

Quantum ergo odii adverſus hoſtes libertatis inſitum animis antiqui haberent, parietum ac tectorum, in quibus verſati fuerant, ruinis teſtantur. Ideoque & M. Flacci,& L. Saturnini ſeditioſiſſimorum civium corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti ſunt. Cæterum Flacciana area, cum diu penatibus vacua manſiſſet, à Qu. Catulo Cymbricis ſpoliis adornata eſt.

IN TIBERIUM, ET CAIUM GRACCHOS.

Viguit in noſtra civitate Tiberii & Caji Gracchorum ſumma nobilitas, ac ſpes ampliſsima : ſed quia ſtatum civitatis conati erant convellere, inſepulta cadavera jacuerunt, ſupremuſque humanæ conditionis honos filiis Gracchi, & nepotibus Africani defuit: quinetiam familiares eorum, nequis Reip. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt.

DE P. MUTIO TRIB. PLEB.

Idem ſibi licere tam P. Mutius Trib. Pleb. quàm Senatus & Pop. Rom. credidit, qui omnes collegas ſuos, qui duce Spurio Caſsio id egerant, ut magiſtratibus non ſubrogatis communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremavit. Nihil profecto hac ſeveritate fidentius : unus enim Tribunus eam pœnam novem collegis inferre auſus eſt, quam novem tribuni ab uno collega exigere exhorruiſſent.

IN M. CLODIUM.

Libertatis rigida adhuc cuſtos, & vindex ſeveritas, ſed pro dignitate etiam, ac pro diſciplina æque gravis inventa eſt. M. enim Clodium Senatus Corſis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit: quem ab hoſtibus non acceptum, in publica cuſtodia necari juſsit. Semel læſa majeſtate imperii, quot modis ira pertinax vindex? factum ejus reſcidit, libertatem ademit, ſpiritum extinxit, corpus contumelia carceris, & deteſtanda Gemoniarum ſcalarum notâ fœdavit. Atque hic quidem ſenatus animadverſionem meruerat.

DE CORNELIO SCIPIONE.

Cn. autem Cornelius Scipio Hiſpalli filius, prius quàm mereri poſſet, expertus eſt: nam cum ei Hiſpania provincia ſorte obveniſſet, ne illuc iret, decrevit, adjecta cauſa, quòd recte facere neſciret. Itaque Cornelius propter vitæ inhoneſtum actum ſine ullo provinciali miniſterio, tamen repetundarum lege damnatus eſt.

DE CAIO VATIENO.

Ne in C. quidem Vatieno, qui ſiniſtræ manus digitos ne bello Italico militaret, abſciderat, ſeveritas ſenatus ceſſavit: publicatis enim bonis ejus, ipſum æternis vinculis puniendum cenſuit: effecitque, ut quem honeſte ſpiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis conſumeret.

DE M. CURIO CONSULE.

Id factum imitatus M. Curius conſul, cum delectum ſubitum educere coactus eſſet, & juniorum nemo reſpondiſſet, conjectis in ſortem omnibus tribubus,

& ſanè quęcumque fœmina vini uſum immoderate appetit, & virtutibus januam claudit, & delictis aperit.

DE C. SULPITIO GALLO.

Horridum C. quoque Sulpitii Galli maritale ſupplicium: nam uxorem dimiſit, quòd eam capite aperto foris verſatam cognoverat: abſciſſa ſententia, ſed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere deſideres: his decoris inſtrumenta compara, his eſto ſpecioſa, horum te certiori crede notitiæ: ulterior tui conſpectus ſupervacua irritatione accerſitus, in ſuſpicione, & crimine hęreat neceſſe eſt.

DE Q. ANTISTIO VETERE.

Nec aliter ſenſit Quintus Antiſtius Vetus repudiando uxorem, quòd illam in publico cum quadam libertina vulgari ſecretò loquentem viderat: nam (ut ita dicam) incunabulis culpæ & nutrimentis, non ipſa commotus culpa, citeriorem delicto prębuit ultionem, ut potius caveret injuriam, quàm vindicaret.

DE P. SEMPRONIO SOPHO.

Jungendus eſt his P. Sempronius Sophus, qui conjugem repudii nota affecit, nihil aliud, quàm ſe ignorante ludos auſam ſpectare. Ergo dum ſic olim fœminis occurritur, mens earum à delictis aberat. Cęterum etſi Romanæ ſeveritatis exemplis totus orbis terrarum inſtrui poteſt, tamen externa ſummatim cognoſcere faſtidio non ſit.

EX-

EXTERNA.

DE ARCHILOCHO POETA.

Lacedæmonii libros Archilochi è civitate ſua exportari juſſerunt, quòd eorum parum verecundam, ac pudicam lectionem arbitrabantur: noluerunt enim ea liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodeſſet. Itaque maximum poetam, aut certe ſummo proximum, quia domum ſibi inviſam obſcœnis maledictis laceraverat, carminum exilio multarunt.

DE ATHENIENSIBUS.

Athenienſes autem Timagoram inter officium ſalutationis Darium Regem more gentis illius adulatum, capitali ſupplicio affecerunt: unius civis humilibus blanditiis, totius Urbis ſuę decus Perſicę dominationi ſummiſſum graviter ferentes.

DE CAMBYSE REGE.

Jam Cambyſes inuſitatę ſeveritatis, qui mali cujuſdam judicis ex corpore pellem detractam, ſellæ intendi, in eaque filium ejus judicaturum conſidere juſſit: cæterum & Rex, & barbarus, atroci, ac nova pœna judicis, nequis poſtea corrumpi judex poſſet, providit.

GRAVITER DICTA, AUT FACTA.

CAPUT IV.

MAGNAM & bonam laudis partem in claris viris etiam illa vendicant, quæ aut ab his graviter dicta, aut facta pertinax memoria viribus æternis comprehendit: quorum ex abundanti copia, nec parca nimis, nec rursus avida manu, quo magis desiderio satisfaciat, quàm satietati abundet, hauriamus.

DE MANLIO TORQUATO.

Civitate nostrâ Cannensi clade perculsa, cum admodum tenui filo suspensa Reipub. salus ex sociorum fide penderet, ut eorum animi ad Imperium Romanum tuendum constantiores essent, majori parti senatus principes Latinorum in ordinem suum sublegi placebat. Anius autem Campanus etiam consulem alterum Capuæ creari debere asseverabat. Sic contusus & æger Romani Imperii spiritus erat: tunc Manlius Torquatus filius ejus, qui Latinos apud Veserim inclyta pugna fuderat, quàm poterat clara voce denuntiavit, si quis sociorum inter Patres C. sententiam dicere ausus esset, continuo eum se interempturum. Hi unius minæ, & Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt, & Italiam ad jus civitatis nobiscum exequendum consurgere passæ non sunt: nanque ut patris armis, ita verbis filii fracta cessit.

DE MANLIO.

Par illius quoque Manlii gravitas, cui cum consulatus omnium consensu deferretur, eumque sub ex-

cu-

cusatione adversæ valetudinis oculorum recusaret: instantibus cunctis, Alium, inquit, Quirites quærite, ad quem hunc honorem transferatis: nam si me gerere eum coëgeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis. Si privati tam ponderosa vox, quàm graves fasces consulis extitissent!

DE SCIPIONE ÆMILIANO.

Nihilo segnior Scipionis Æmiliani aut in curia, aut in concione gravitas: qui cum haberet consortem censuræ Mumium, ut nobilem, ità enervis vitæ, pro vestris dixit, se ex majestate Reip. omnia gesturum, si sibi cives vel dedissent collegam, vel non dedissent.

DE EODEM SCIPIONE.

Idem, cum Servius Sulpitius Galba, & Aurelius consules in senatu contenderent, uter adversus Viriathum in Hispaniam mitteretur: ac magna inter P. C. dissensio esset, omnibus quonam ejus sententia inclinaretur expectantibus, Neutrum, inquit, mihi mitti placet: alter nihil habet, alteri est nihil satis: æque malam licentis imperii magistram judicans inopiam, atque avaritiam: quo dicto ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit.

DE POMPILIO LEGATO.

Cn. verò Pompilius à senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemæum lacessebat, abstineret: cum ad eum venisset, atque is prompto animo, & amicissimo vultu dextram ei porrexisset, incassum ei suam porrigere noluit, sed tabellas senatusconsultum continentes tradidit: quas ut legit Antiochus, dixit se cum amicis collocuturum: indignatus

Pompilius, quòd aliquam moram interposuisset, virga solum, quo insistebat, denotavit: & prius inquit, quàm hoc circulo excedas, da responsum, quod senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam curiam ante oculos positam crederes: continuo enim Rex affirmavit fore, ne amplius de se Ptolemæus quereretur. At tum demum Pompilius manum ejus tanquam socii apprehendit. Quàm efficax est animi, sermonisque abscissa gravitas! Eodem momento Syriæ Regnum terruit, Ægypti texit.

DE PUBLIO RUTILIO.

Publii autem Rutilii verba prius, an facta existimem, nescio: nam utrisque æque admirabile inest robur. Cum amici cujusdam injustæ rogationi resisteret: atque is per summam indignationem dixisset: Quid ergo, inquit, mihi opus est amicitia tua, si quod rogo, non facis? respondit, Imò quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum?

Huic voci consentanea illa opera, quod magis ordinum dissensione, quàm ulla culpa sua reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia senatoris deposuit, nec supplices ad genua judicum manus tetendit, nec dixit quicquam splendore præteritorum annorùm humilius, effecitque: ut periculum illud non impedimentum gravitatis ejus esset, sed experimentum: atque etiam cum ei reditum in patriam Syllana victoria præstaret: in exilio, ne quid contra leges faceret, remansit. Quapropter felicis cognomen justius quis moribus gravissimi viri, quàm impotentis armis assignaverit. Quod quidem Sylla rapuit, Rutilius meruit.

DE

DE MARCO BRUTO.

Marcus Brutus suarum potius virtutum, quàm patriæ parentis parricida (uno enim facto & illas in profundum præcipitavit, & communem sui nominis memoriam inexpiabili detestatione perfudit) ultimum prælium initurus, negantibus quibusdam id committi oportere: fidenter, inquit, in aciem descendo: hodie enim aut recte erit, aut nihil curabo. Præsumpserat videlicet neque vivere sine victoria, neque mori sine securitate posse.

EXTERNA.

DE POPULO CINANIONSI.

Hujus mentio mihi subjicit, quod adversus D. Brutum in Hispania graviter dictum est, referre: nam cum se ei tota pene Lusitania dedidisset, ac sola gentis hujus urbs Cinninia pertinaciter arma retineret, tentata redemptione, propemodum uno ore legatis Bruti respondit: Ferrum sibi à majoribus, quo urbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab imperatore avaro emerent, relictum. Melius sine dubio homines nostri sanguinis hæc dixissent, quàm audissent. Sed illos quidem natura in hæc gravitatis vestigia deduxit.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Socrates autem Græcæ doctrinæ clarissimum columen, cum Athenis causam dicturus esset, defensionemque ei Lysiæ à se compositam, quam in judicio uteretur, recitasset, demissam & supplicem, imminentique procellæ accommodatam: aufer, inquit, quæso istam: nam ego si adduci possem, ut eam in ultima Scythiæ so-

ſolitudine perorarem, tum meipſum morte multandum concederem. Spiritum contempſit, ne careret gravitate: maluitque Socrates extingui, quàm Lyſias ſuperesſe.

DE ALEXANDRO REGE.

Quantus hic in ſapientia, tantus in armis Alexander illam vocem nobiliter edidit. Dario enim uno jam & altero prælio virtutem ejus experto, atque ideo partem regni Tauro tenus monte, & filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentûm pollicente, cum Parmenion dixiſſet, ſe, ſi Alexander eſſet, uſurum ea conditione: reſpondit, & ego uterer ſi Parmenion eſſem. Vocem duabus victoriis reſpondentem, dignamque cui tertia, ſicut evenit, tribueretur.

DE LACEDÆMONIIS.

Atque hæc quidem & animi magnifici, & proſperi ſtatus: illa verò, qua legati Lacedæmoniorum apud patrem ejus miſeram fortunæ ſuæ conditionem teſtati ſunt, glorioſior, quàm optabilior. Intolerabilibus enim oneribus civitatem eorum implicanti, ſiquid morte gravius imperare perſeveraret, mortem ſe præla turos reſponderunt.

DE QUODAM SPARTANO.

Nec parum grave Spartani cujuſdam dictum: ſiquidem nobilitate, & ſanctitate præſtans, & in petitione magiſtratus victus, maximè ſibi eſſe lætitiæ prædicavit, quòd aliquos patria ſua ſe meliores viros haberet: quo ſermone repulſam honori adæquavit.

DE JUSTITIA.

CAPUT V.

TEMPUS est justitiæ quoque sancta penetralia adire, in quibus semper æqui, ac probi facti respectus religiosa cum observatione versatur : & ubi studium verecundiæ est, cupiditas rationi cedit, nihilque utile, quod parum honestum videri possit, ducitur. Ejus autem præcipuum & certissimum inter omnes gentes nostra civitas exemplum est.

DE SENATU.

Camillo Consule Phaliscos circunsedente, magister ludi plurimos, & nobilissimos inde pueros, velut ambulandi gratia eductos, in castra Romanorum perduxit : quibus interceptis, non erat dubium quin Phalisci deposita belligerandi pertinacia, traditurí se nostro imperatori essent. Ea re cognita Senatus censuit, ut pueri vinctum magistrum virgis cædentes in patriam remitterentur : qua justitia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari non poterant : nanque Phalisci beneficio magis, quàm armis victi, portas Romanis aperuerunt.

DE EODEM SENATU.

Eadem civitas aliquoties rebellando, semperque adversis contusa prœliis tandem se Qu. Luctatio. Cos. dedere coacta est : adversus quam sævire cupiens Pop. Rom. postquàm à Papyrio, cujus manu jubente Cos. verba deditionis scripta erant, doctus est, Phaliscos non potestati, sed fidei se Romanorum commisisse, om-

nem iram placida mente depoſuit, pariterque & viribus odii, non ſanè facile vinci aſſuetis, & victoriæ obſequio, quæ promptiſsime licentiam ſubminiſtrat, ne juſtitiæ ſuæ deeſſet, obſtitit.

DE EODEM POPULO ROMANO.

Idem, cum P. Claudius Camerinos ductu, atque auſpiciis ſuis captos ſub haſta vendidiſſet, etſi ærarium pecunia, fines agris auctos animadvertebat; tamen quia parum liquida fide id geſtum ab imperatore videbatur, maxima cura conquiſitos redemit, hiſque habitandi gratia locum in Aventino aſsignavit, & prædia reſtituit: pecuniam etiam non ad curiam, ſed ad ſacraria ædificanda, ſacrificiaque facienda tribuit: juſtitiæque promptiſsimo tenore effecit, ut exitio ſuo lætari poſſent, quia ſic renati erant. Mœnibus noſtris, & finitimis regionibus, quæ adhuc retuli; quod ſequitur, per totum terrarum orbem manavit.

DE EODEM SENATU, ET FABRICIO.

Timochares Ambracienſis Fabricio Cos. pollicitus eſt ſe Pyrrhum veneno per filium ſuum, qui potionibus ejus præerat, necaturum: ea res cum ad ſenatum delata eſſet, miſsis legatis Pyrrhum monuit, ut adverſus hujus generis inſidias cautius ſe gereret: memor urbem à filio Martis conditam, armis bella, non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen ſuppreſsit: utroque modo æquitatem amplexus: quia nec hoſtem malo exemplo tollere, nec eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit.

DE QUATUOR TRIBUNIS PLEBIS.

Summa juſtitia in quatuor quoque Tribunis Pleb. eo-

eodem tempore conſpecta eſt. Nam, cum Lucio Atracino (ſub quo duce aciem noſtram apud Ferruginen à Volſcis inclinatam cum cæteris equitibus correxerant) diem ad populum L. Hortenſius collega eorum dixiſſet, pro roſtris juraverunt, in ſqualore ſe eſſe, quoad imperator ipſorum reus eſſet futurus. Non ſuſtinuerunt enim egregii juvenes, cujus armati periculum vulneribus & ſanguine ſuo defenderant, ejus togati ultimum diſcrimen, poteſtatis inſignia retinentes, intueri. Qua juſtitia mota concio, actione Hortenſium deſiſtere coëgit, Nec ſe etiam aliter eo facto, quod ſequitur exhibuit.

DE TIBERIO GRACCHO, ET CAIO CLAUDIO.

Cum Tiberius Gracchus, & C. Claudius ob nimis ſevere geſtam cenſuram, majorem partem civitatis exaſperaſſent, diem his M. Pompilius Tribunus perduellionis ad populum dixit, præter communem conſternationem, privata etiam ira accenſus, quia neceſſarium ejus Rutilium ex publico loco parietem demoliri juſſerant: quo in judicio primæ claſsis permultæ centuriæ Claudium aperte damnabant: de Gracchi abſolutione univerſæ conſentire videbantur: qui clara voce juravit, ſi de collega ſuo gravius eſſet judicatum, in factis ſe paribus eandem cum illo pœnam exilii ſubiturum: eaque juſtitia tota illa tempeſtas ab utriuſque fortunis, & capite depulſa eſt. Claudium enim populus abſolvit: Gracho cauſæ dictionem Trib. Rutilius remiſit.

DE COLLEGIO TRIBUNORUM.

Magnam laudem & illud Collegium Tribunorum tulit, quod cum unus ex eo L. Cotta fiducia ſacroſanc-

tæ poteſtatis creditoribus ſuis ſatisfacere nollet, decrevit; Si neque ſolveret pecuniam, neque daret cum quo ſponſio fieret, appellantibus ſe creditoribus auxilio futurum: iniquum ratum, majeſtatem publicam, privatę perfidię obtentui eſſe. Itaque Cottam in tribunatu quaſi in aliquo ſacrario latentem, tribunitia indę juſtitia extraxit.

DE CN. DOMITIO TRIB. PLEB.

Cujus ut ad alium æque illuſtrem tranſgrediar, Cn. Domitius Tribunus Plebis M. Scaurum principem civitatis in judicium populi devocavit; ut ſi fortuna aſpiraſſet, ruinam: ſin minus, certe ipſa obtrectatione ampliſsimi viri incrementum claritatis apprehenderet. Cujus opprimendi cum ſummo ſtudio flagraret, ſervus Scauri ad eum noctu pervenit, inſtructurum ſe ejus accuſationem, multis, & gravibus domini criminibus promittens: erant in eodem pectore Domitii inimicus & dominus, diverſa æſtimatione, nefarium indicium perpendentes: juſtitia vicit odium: continuo enim & ſuis auribus obſeratis, & indicis ore clauſo, duci eum ad Scaurum juſsit: accuſatorem etiam reo ſuo, ne dicam diligendum, certe laudandum: quem populus cum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentius, & Cos. & Cenſorem, & Pont. Max. fecit.

DE LUCIO CRASSO.

Nec aliter ſe L. Craſſus in eodem juſtitiæ experimento geſsit. Cn. Carbonis nomen infeſto animo utpote inimiciſsimum ſibi detulerat: ſed tamen ſcrinium ejus à ſervo allatum ad ſe, complura continens, quibus facile opprimi poſſet: ut erat ſignatum, cum ſervo catenato ad eum remiſit. Quo pacto igitur inter ami-

amicos viguiſſe tunc juſtitiam credimus, cum inter accuſatores quoque & reos, tantum virium obtinuiſſe videamus?

DE L. SYLLA.

Jam L. Sylla non ſe tam incolumem, quàm Sulpitium Rufum perditum voluit, tribunitio furore ejus ſine ullo ſine vexatus. Cæterum cum eum proſcriptum, & in villa latentem à ſervo proditum comperiſſet, manumiſſum parricidam, ut fides edicti ſui extaret, præcipitari protinus è ſaxo Tarpejo, cum illo ſcelere parto pileo juſsit: victor alioqui inſolens, hoc imperio juſtiſsimus.

EXTERNA.

DE PITTACO MITYLENÆO.

Verum ne alienigenę juſtitiæ obliti videamur, Pittacus Mitylenæus, cujus aut meritis tantum cives debuerunt, aut moribus crediderunt, ut ſuis ſuffragiis tyrannidem deferrent, tandiu illud imperium ſuſtinuit, quandiu bellum de Sygæo cum Athenienſibus gerendum fuit. Poſtquam autem pax victoria parta eſt, continuo reclamantibus Mitylenæis depoſuit, ne dominus civium ultrà quàm Reip. neceſsitas exegerat, permaneret: atque etiam cum recuperati agri dimidia pars conſenſu omnium offerretur, avertit animum ab eo munere, deforme judicans virtutis gloriam, magnitudine prædæ minuere.

DE ARISTIDE ATHENIENSI.

Alterius nunc mihi prudentia referenda eſt, ut alterius repræſentari juſtitia poſsit. Cum ſaluberrimo conſilio Themiſtocles migrare Athenienſes in claſſem coëgiſſet, Xerxeque rege, & copiis ejus, Græcia pulſis, rui-

ruinas patriæ in priſtinum habitum reformaret,& opes clandeſtinis molitionibus ad principatum Græciæ capeſſendum nutriret, in concione dixit, habere ſe rem deliberatione ſua proviſam, quam ſi fortuna ad effectum perduci paſſa eſſet, nihil majus aut potentius Athenienſi populo futurum,ſed eam vulgari non oportere: poſtulavitque, ut aliquis ſibi, cui illam tacite exponeret, daretur: datus eſt Ariſtides. Is poſtquam cognovit claſſem illam Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gytheum ſubducta erat,velle incendere,ut ea conſumpta, dominatio maris ipſis cederet, proceſsit ad cives, & ipſis retulit, Themiſtoclem ut utile conſilium, ita minime juſtum animo volvere. Eveſtigio univerſa concio quod æquum non videretur, ne expedire quidem proclamavit, ac protinus Themiſtoclem incepto juſsit deſiſtere.

DE ZELEUCO LOCRENSI.

Nihil illis etiam juſtitiæ exemplis fortius. Zeleucus Urbe Locrenſium à ſe ſaluberrimis,atque utiliſsimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus, ſecundum jus ab ipſo conſtitutum utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris neceſsitatem pœnæ adoleſcentulo remitteret, aliquandiu repugnavit: ad ultimum precibus populi evictus, ſuo prius, deinde filii oculo eruto, uſum utrique videndi reliquit. Ita debitum ſuppliçii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, ſe inter miſericordem patrem & juſtum legislatorem partitus.

DE CHARONDA TYRIO.

Sed aliquanto Charondæ Tyrii præfractior, & abſciſsior juſtitia. Ad vim, & cruorem uſque ſeditioſas con-

conciones civium pacaverat, lege cavendo, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuò interficeretur: interjecto deinde tempore ex longinquo rure gladio accinctus, domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit, ab eoque, qui proxime constiterat, solutæ à se legis suę monitus: Idem ego illam, inquit, sanciam: ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit: cumque liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repręsentare maluit, ne qua fraus justitiæ fieret.

DE FIDE PUBLICA.

CAP. VI.

HUJUS imagine ante oculos posita, venerabile fidei numen dexteram suam, certissimum salutis humanæ pignus ostentat, quam semper in nostra civitate viguisse, & omnes gentes senserunt, & nos paucis exemplis recognoscamus.

DE SENATU POP. Q. ROM.

Cum Ptolemæus Rex tutorem Populum Rom. filio reliquisset, Senatus M. Æmilium Lepidum Pont. Max. bis Cos. ad pueri tutelam gerendam Alexandriam misit: amplissimique, & integerrimi viri sanctitatem Reip. usibus & sacris comparatam, externæ procurationi vacare voluit, ne fides civitatis nostræ frustra perita existimaretur: cujus beneficio regia incunabula conservata pariter, ac decorata, incertum Ptolemęum reddiderunt, patris ne fortuna magis, an tutoris majestate gloriari deberet.

DE

DE CIVITATE ROMANA.

Specioſa quoque illa Romana fides. Ingenti Pœnorum claſſe circa Siciliam deducta, duces ejus fractis animis conſilia petendæ pacis agitabant. Quorum dux Amilcar ire ſe ad conſules negabat audere, ne eodem modo catenæ ſibi injicerentur, quo ab ipſis Cornelio Aſiæ conſuli fuerant injectæ. Hanno autem certior Romani animi æſtimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit; apud quos cum de belli fine ageret, & Tribunus militum ei dixiſſet, poſſe illi merito evenire, quod Cornelio accidiſſet: uterque Cos. Tribuno tacere juſſo, Iſto te, inquit, metu Hanno fides civitatis noſtræ liberat: claros illos fecerat tantum hoſtium ducem vincere potuiſſe, ſed multo clariores fecit noluiſſe.

DE EODEM SENATU.

Adverſus eoſdem hoſtes parem fidem in jure legationis tuendo Patres C. exhibuere. M. enim Æmilio Lepido, L. Flaminio Coss. L. Minutium, & L. Manilium Carthaginienſium legatis, quia manus his attulerant, per feciales Culeo prætor ex S. C. dedendos curavit. Se tunc Senatus, non eos, quibus hoc præſtabatur, aſpexit.

DE SUPERIORE AFRICANO.

Hæc exempla Superior Africanus ſecutus, cum onuſtam multis, & illuſtribus Carthaginienſium viris navem in ſuam poteſtatem redegiſſet, inviolatam dimiſit, quia ſe legatos ad eum miſſos dicebant: tametſi manifeſtum erat, illos vitandi præſentis periculi gratia falſum legationis nomen amplecti, ut Romani imperatoris potius decepta fides, quàm fruſtra implorata judicaretur.

DE

DE SENATU POP. Q. ROM.

Repręſentemus etiam illud ſenatus nullo modo prætermittendum opus. Legatos ab urbe Apollonia Romam miſſos, Q. Fabius, Cn. Apronius ędiles orta contentione pulſaverunt: quod ubi comperit, continuo eos per feciales legatis dedidit, quęſtoremque cum his Brunduſium ire juſsit, ne quam in itinere à cognatis deditorum injuriam acciperent. Illam curiam mortalium quis concilium, an non templum fidei dixerit? quam ut civitas noſtra ſemper benignam præſtitit, ita etiam in ſociorum quoque animis conſtantem recognovit.

EXTERNA.

Poſt duorum in Hiſpania Scipionum totidemque Romani ſanguinis exercituum miſerabilem ſtragem, Saguntini victricibus Annibalis armis intra mœnia urbis ſuæ compulſi, cum vim Punicam ulterius nequirent arcere, collatis in forum, quæ unicuique erant chariſsima, atque undique circundatis, accenſiſque ignis nutrimentis, ne à ſocietate noſtra deficerent, publico, & communi rogo ſemetipſos ſuperjecerunt. Crediderim tunc ipſam Fidem humana negotia ſpeculantem, mœſtum geſsiſſe vultum, perſeverantiſsimum ſui cultum iniquę fortunæ judicio tam acerbo exitu damnatum cernentem.

Idem præſtando Petellini eundem laudis honorem meruerunt ab Annibale, quia deficere à noſtra amicitia noluerunt, obſeſsi: legatos ad Senatum auxilium implorantes miſerunt, quibus propter recentem cladem Cannenſem ſuccurri non potuit. Cęterum permiſſum eſt eis, ut facerent, quod utiliſsimum incolumitati

tati eorum videretur. Liberum ergo erat Carthaginiensium gratiam amplecti. Illi tamen fœminis, omnique ætate imbelli urbe egesta, quo diutius armati famem traherent, pertinacissime in muris constiterunt: expiravitque prius eorum tota civitas, quam ulla ex parte Romanæ societatis respectum depoluerit. Itaque Annibali non Petiliam, sed nidum Petiliæ sepulchrum capere contigit.

DE FIDE UXORUM ERGA VIROS.

CAPUT VII.

DE TERTIA ÆMILIA.

ATQUE ut uxoriam quoque fidem attingamus: Tertia Æmilia Africani prioris uxor, mater Corneliæ matris C. & T. Gracchorum, tantæ fuit comitatis, & patientiæ, ut cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit: ne domitorem orbis Africanum, fœmina magnum virum impudicitiæ reum ageret: tantumque mens ejus a vindicta abfuit, ut post mortem Africani manumissam ancillulam in matrimonium liberto suo daret.

DE TURIA UXORE QUINTI LUCRETII.

Quintum Lucretium proscriptum à triumviris uxor Turia inter cameram, & tectum cubiculo abditum, una conscia ancillula, ab imminente exitio, non sine magno periculo suo, tutum præstitit: singulariqne fide id egit, ut cum ceteri proscripti in alienis, & hostilibus regionibus per summos animi, & corporis cruciatus vix evaderent, ille in cubiculo, & in conjugis sinu salutem retineret.

DE

DE SULPITIA UXORE LENTULI.

Sulpitia autem cum à matre Julia diligentiſsime cuſtodiretur, ne Lentulum Cruſtellionem, virum ſuum proſcriptum à triumviris in Siciliam proſequeretur, nihilominus familiari veſte ſumpta, cum duabus ancillis, totidemque ſervis ad eum clandeſtina fuga pervenit: nec recuſavit ſeipſam proſcribere, ut ei fides ſua in conjuge proſcripto conſtaret.

DE FIDE SERVORUM ERGA DOMINOS.

CAPUT VIII.

RESTAT ut ſervorum etiam erga dominos, quo minus expectatam, hoc laudabiliorem fidem refera mus.

DE QUODAM SERVO M. ANTONII.

Marcus Antonius, avorum noſtrorum temporibus clariſsimus Orator, inceſti reus agebatur, cujus in judicio accuſatores ſervum in quæſtione perſeverantiſsime poſtulabant, quòd ab eo, cum ad ſtuprum iret, laternam prælatam contenderent. Erat autem is etiam tum imberbis, & ſtabat coràm, videbatque rem ad ſuos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitavit. Ille verò, ut domum ventum eſt, Antonium hoc nomine vehementius confuſum, & ſolicitum ultro eſt hortatus, ut ſe judicibus torquendum traderet, affirmans nullum ore ſuo verbum exiturum, quo cauſa ejus læderetur: ac promiſsi fidem mira patientia præſtitit, plurimis etiam laceratus verberibus, eculeoque impoſi-

situs, candentibus etiam laminis ustus, omnem vim accusationis, custodita rei salute subvertit. Argui fortuna meritò potest, quòd tam pium, & tam fortem spiritum servili nomine inclusit.

DE QUODAM SERVO CAII MARII.

Consulem autem C. Marium Prænestinæ obsidionis miserabilem exitum sortitum, cuniculi latebris frustrà evadere conatum, levique vulnere à Telesino, cum quo commori destinaverat, perstrictum, servus suus ut Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio trajectum interemit; cum magna præmia sibi proposita videret, si eum victoribus tradidisset: cujus dexteræ tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, à quibus salus dominorum protecta est: quia eo tempore Mario non vita, sed mors in beneficio reposita erat.

DE PHILOCRATE SEU EUPORO SERVO Gracchi.

Æquè illustre quod sequitur. C. Gracchus, ne in potestatem inimicorum deveniret, Philocrati servo suo cervices incidendas præbuit: quas cum celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini madentem per sua egit præcordia. Euporum alii vocitatum existimant: ego de nomine nihil disputo, familiaris autem tantummodo fidei robur admiror, cujus se præstantiam animi generosus juvenis imitatus foret, suo, non servi beneficio imminentia supplicia vitasset: nunc commisit ut Philocratis, quàm Gracchi cadaver speciosius jaceret.

DE

DE PINDARO SERVO CASSII.

Alia nobilitas: alius furor: sed fidei par exemplum. Pindarus C. Cassium Philippensi prelio victum, nuper ab eo manumissus, jussu ipsius obtruncatum insultationibus hostium subtraxit. Seque è conspectu hominum voluntaria morte abstulit, ita ut ne corpus quidem ejus ablampti inveniretur. Quis deorum gravissimi sceleris ultor illam dexteram, quæ in necem patriæ parentis exarserat, tanto torpore illigavit, ut se tremebunda Pindari genibus submitteret, ne publici paricidii, quas merebatur pœnas, arbitrio pii victoris exolveret? tu profectò, tu Dive Juli cœlestibus tuis vulneribus debitam exegisti vindictam, perfidum erga te caput sordidi auxilii supplex fieri cogendo, eo animi æstu compulsum, ut neque retinere vitam vellet, neque finire manu sua auderet.

DE SERVIS CAII PLOTINI PLANCI, ET de ipso Cajo.

Adjunxit se his cladibus Cn. Plotinus Plancus Munacii Planci consularis, & Censorii frater, qui cum à triumviris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere, & odore unguenti, occultam salutis custodiam detexit: istis enim vestigiis, eorum qui miseros persequebantur sagax inducta cura, abditum fugę ejus cubile odorata est: à quibus comprehensi servi latentes, multumque ac diu torti, negabant se scire ubi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles, tamque boni exempli servos ulterius cruciari: sed processit in medium, jugulumque gladiis militum objecit. Quòd certamen mutuæ benevolentiæ arduum dignosci facit, utrum dignior dominus

nus fuerit, qui tam constantem servorum fidem experiretur, an servi qui tam justa domini misericordia quæstionis sævitia liberarentur.

DE QUODAM SERVO PANOPIONIS.

Quid Urbinii Panopionis servus, quàm admirabilis fidei! qui cum ad dominum proscriptum occidendum domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosceret, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clàm emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, & ut Panopionem occidisse passus est. Brevis hujus facti narratio, sed non parva materia laudationis: nam siquis ante oculos ponere velit subitum militum accursum, convulsa januæ claustra, minacem vocem, truces vultus, fulgentia arma, rem vera æstimatione prosequetur: nec quàm cito dicitur aliquem pro alio mori voluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur. Panopion autem quantum servo deberet, amplum ei faciendo monimentum, ac testimonium pietatis grato titulo reddendo, confessus est. Contentus essem hujus exemplis generis: nisi unum me dicere admiratio facti cogeret.

DE SERVO ANTII RESTIONIS.

Antius Restio proscriptus à triumviris, cum omnes domesticos circa rapinam, & prædam occupatos videret, quàm maxime poterat dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit: cujus furtivum egressum servus ab eo vinculorum pœna coërcitus, inexpiabilique litterarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, atque vestigia huc, atque illuc errantia benevolo studio subse-

cu-

cutus, lateri voluntarius comes adrepsit. Quo quidem tam exquisito, tamque ancipiti officio, perfectissimum expectatę pietatis cumulum expleverat: his enim, quorum felicior in domo status fuerat, lucro intentis, ipse, cum nihil aliud, quàm umbra, & imago suppliciorum suorum maximum sibi essent emolumentum: ejus, à quo tam graviter punitus erat, salutem vendicavit: cumque abunde foret iram remittere, adjecit etiam charitatem: nec hactenus benevolentia processit, sed in eo conservando mira quoque arte usus est: nàm ut sensit cupidos sanguinis milites supervenire, amoto domino rogum extruxit, eique egentem à se comprehensum, & occisum senem superjecit. Interrogantibus deinde militibus, ubinam esset Antius, manum rogo intendens, ibi illum datis sibi crudelitatis piaculis uri respondit. Quia verisimilia loquebatur, habita est voci fides: quo evenit, ut Antius statum quærendę incolumitatis hac occasione assequeretur.

DE MUTATIONE MORUM, ET FORTUNÆ.

CAPUT IX.

MULTUM animis hominum, & fiducię adjicere, & solicitudinis detrahere potest morum ac fortunæ in claris viris recognita mutatio, sive nostros status, sive proximorum ingenia contemplemur. Nam cum aliorum fortunas spectando, ex conditione abjecta, atque contempta, claritatem emersisse videamus, quid aberit, quin & ipsi meliora de nobis semper cogitemus; memores stultum esse, perpetuæ infelicitatis se prędemnare: spemque, quæ etiam incerta ratione fovetur, interdum certam in desperationem convertere.

DE MANLIO TORQUATO FILIO LUCII MANLII Torquati.

Manlius autem Torquatus adeo hebetis, atque obtusi cordis inter initia juventæ existimatus, ut à patre Manlio amplissimo viro, quia & domesticis, & Reipub. usibus inutilis videbatur, reus relegatus, agresti opere fatigaretur, postmodum patrem reum judiciali periculo liberavit: filium victorem, quòd adversus imperium suum cum hoste manu conseruerat, securi percussit: patriam Latino tumultu fessam, speciosissimo triumpho recreavit. In hoc credo fortunę malignę nubilo contemptu adolescentiæ perfusum, quo senectutis ejus decus lucidius enitesceret.

DE SCIPIONE AFRICANO SUPERIORE.

Scipio autem Africanus Superior, quem dii immortales nasci voluerunt, ut esset in quo virtus se per omnes numeros omnibus efficaciter ostenderet, solutioris vitæ primos adolescentiæ annos egisse fertur, remotos quidem à luxurię crimine, sed tamen Punicis tropheis, devictæ Carthaginis cervicibus impositò jugo, teneriores.

DE C. VALERIO FLACCO.

C. quoque Valerius Flaccus secundi Punici belli temporibus luxu perditam adolescentiam inchoavit. Cęterum à P. Licinio Pont. Max. flamen factus, quò facilius à vitiis recederet, ad curam sacrorum, & ceremoniarum converso animo, usus duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriæ fuerat exemplum, tantum postea modestię, & sanctitatis specimen evasit.

DE

DE Q. FABIO MAXIMO.

Nihil Qu. Fabio Maximo, qui Gallica victoria cognomen Allobrogici sibimet, ac posteris peperit, adolescentiæ magis infame, nil eodem sene ornatius, aut speciosius illo seculo nostra civitas habuit.

DE QU. CATULO.

Quis ignorat Qu. Catuli autoritatem maximo clarissimorum virorum proventu excelsum gradum obtinuisse? cujus si superior ætas revolvatur, multi luxus, multæ delitiæ reperientur: quæ quidem ei impedimento non fuerunt, quo minus patriæ princeps existeret, nomenque ejus in capitolino fastigio fulgeret, ac virtute civile bellum ingenti motu oriens sepeliret.

DE LUCIO SYLLA.

Lucius vero Sylla usque ad quæsturæ suæ comitia vitam libidine, vino, ludicræ artis amore perinquinatam perduxit. Quapropter C. Marium Cos. moleste tulisse traditur, quòd sibi asperrimum Africa bellum gerenti, tam delicatus quæstor sorte obvenisset: ejusdem virtus quasi præruptis, & disjectis nequitiæ, qua obsidebatur, claustris, catenas Jugurthæ manibus injecit: Mithridatem compescuit: socialis belli luctus repressit: Cinnæ dominationem fregit, eumque in Africa, qui se quæstorem fastidierat, ipsum illam provinciam proscriptum, & exulem petere coëgit: quæ tam diversa, tamque inter se contraria, siquis apud animum suum attentiore comparatione expendere velit, duos in uno homine Syllas fuisse crediderit: turpem adolescentulum, & virum dicerem fortem, nisi ipse Felicem se appellari maluisset.

DE SUBLIMITATE A STATU HUMILI.

CAPUT X.

ATQUE ut nobilitatem beneficio pœnitentię ſe ipſam admonuimus reſpicere, ita altiora modo ſuo ſperare auſos ſubtexamus.

DE TITO AUFIDIO.

Titus Aufidius cum Aſiatici publicani exiguam admodum particulam habuiſſet, poſtea totam Aſiam proconſulari imperio obtinuit: nec indignati ſunt ſocii ejus parere faſcibus, quem aliena tribunalia adulantem viderant: geſsit ſe etiam integerrimè, ac ſplendiſſimè: miroque id modo demonſtravit, priſtinum quæſtum ſuę fortunæ, præſens vero dignitatis incrementum moribus ſuis imputari debere.

DE TITO P. RUTILIO.

At P. Rutilius non Publicanum in Sicilia egit, ſed operam publicanis dedit: idem ultimam inopiam ſuam autorato ſociis officio ſuſtentavit; ab hoc poſtmodum conſule leges univerſi Siculi acceperunt: acerbiſsimoque prædonum ac fugitivorum bello liberati ſunt: portus ipſos, ſiquis modo mutis rebus ineſt ſenſus, tantam in eodem homine varietatem ſtatus admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas exigentem animadverterant, eundem jura dantem, claſſeſque, & exercitus regentem viderunt.

DE PUBLIO VENTIDIO.

Huic tanto incremento majus adjiciam. Aſculo cap-

capto, Cn. Pompeji Magni pater P. Ventidium ætate puberem in triumpho ſuo populi oculis ſubjecit. Hic eſt Ventidius, qui poſtea Romæ ex Parthis, & per Parthos de Craſſi manibus in hoſtili ſolo miſerabiliter iacentibus, triumphum duxit: itaque qui captivus carcerem exhorruerat, victor Capitolium felicitate celebravit. In eodem etiam illud eximium, quòd eodem anno Prætor, & Conſul eſt factus.

DE VARIETATE CASUUM.

CAPUT XI.

DE L. LENTULO.

CASUUM nunc contemplemur varietatem: L. Lentulus conſularis lege Cæcilia repetundarum crimine oppreſſus, Cenſor cum L. Cenſorino creatus eſt: quem quidem fortuna inter ornamenta, & dedecora alterna vice verſavit, conſulatui illius damnationem, damnationi cenſuram ſubjiciendo: & neque bonis eum perpetuis frui, nec malis æternis ingemiſcere patiendo.

DE CNEO CORNELIO SCIPIONE Aſina.

Iiſdem viribus uti voluit in Cn. Cornelio Scipione Aſina, qui Cos. à Pœnis apud Liparas captus, cum belli jure omnia perdidiſſet; lætiore ſubinde vultu ejus adjutus, cuncta recuperavit: conſul etiam iterum creatus. Quis crederet illum à duodecim ſecuribus ad Carthaginienſium pervenire catenas? quis rurſus exiſtimaret à Punicis vinculis ad ſummâ imperii perventurum faſtigia? ſed tamen ex conſule captivus, & ex captivo conſul factus eſt.

DE CRASSO DICTO DIVITE.

Quid craſſo? non ne pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit? ſed eidem poſtea inopia turpem decoctoris ſuperlationem injunxit. Siquidem bona ejus à creditoribus, quia ſolidum præſtare non poterat, venierunt. Itaque amara ſugillatione non caruit, cum egens ambularet, dives ab occurrentibus ſalutabatur.

DE QUINTO CEPIONE.

Craſſum caſus acerbitate Qu. Cepio præcurrit: is nanque præturæ ſplendore, triumphi claritate, conſulatus decore, Maximi Pontificis ſacerdotio, ut ſenatus patronus diceretur, aſſecutus, in publicis vinculis ſpiritum depoſuit, corpuſque ejus funeſti carnificis manibus laceratum, in ſcalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori Romani conſpectum eſt.

DE CAIO MARIO CANDIDATO.

Jam C. Marius maxima fortunæ luctatio eſt: omnes enim ejus impetus tàm corporis, quàm animi robore fortiſsime ſuſtinuit: Arpinatibus honoribus judicatus inferior, quæſturam Romæ petere auſus eſt: patientia deinde repulſarum, irrupit magis in curiam, quàm venit. In tribunatus quoque, & ædilitatis petitione conſimilem campi notam expertus: Prætura candidatus ſupremo loco inhæſit, quam tamen non ſine periculo obtinuit: ambitus enim accuſatus, vix, atque ægre abſolutionem à judicibus impetravit. Ex illo Mario tam humili Arpinate, tam ignobili Romæ, tamque faſtidiendo candidato, ille Marius evaſit, qui Africam ſubegit, Jugurtham regem ante currum egit, qui Theutonicorum, Cymbrorumque exercitus dele-

vit,

vit, cujus bina trophæa in urbe ſpectantur, cujus ſeptem in faſtis conſulatus leguntur, cui poſt exilium Conſulem creari, proſcriptoque facere proſcriptionem contigit. Quid hujus conditione inconſtantius, aut mutabilius? quem ſi inter miſeros poſueris, miſerrimus: inter felices, feliciſsimus reperietur.

DE CAIO CÆSARE.

Cajus autem Cęſar, cujus virtutes aditum ſibi in cœlum ſtruxerunt, inter primę juventutis initia privatus Aſiam petens, à maritimis prędonibus circa inſulam Pharmacuſſam exceptus, quinquaginta ſe talentis redemit. Parva igitur ſumma clariſsimum mundi ſidus in piratico myoparone rependi fortuna voluit. Quid eſt ergo quod amplius de ea queramur, ſi ne conſortibus quidem divinitatis ſuę parcit? Sed cœleſte numen ſe ab injuria vindicavit: continuo enim captos prędones crucibus affixit. Attento ſtudio noſtra commemoravimus, remiſsiore nunc animo aliena narrentur.

EXTERNA.

DE POLEMONE ATHENIENSI Philoſopho.

Perditę luxuriæ Athenis adoleſcens Polemon, neque illecebris ejus tantummodo, ſed etiam ipſa infamia gaudens, cum è convivio non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domumque rediens Xenocratis Philoſophi patentem januam vidiſſet, vino gravis, unguentis delibutus, ſertis capite redimito, pellucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominum ſcholam ejus intravit, nec contentus tam de-

deformi introitu, conſedit etiam, ut clariſsimum eloquium, & prudentiſsima prȩcepta temulentiȩ laſciviis elevaret: orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omiſſaque re, quam diſſerebat, de modeſtia, ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemon, primum coronam capite detractam projecit, paulo pòſt brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem depoſuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, uniuſque orationis ſaluberrima medicina ſenatus, ex infami ganeone, maximus philoſophus evaſit. Peregrinatus eſt hujus animus in nequitia, non habitavit.

DE THEMISTOCLE.

Piget Themiſtocles adoleſcentiam attingere, ſive patrem aſpiciam, abdicationis inurentem notam, ſive matrem ſuſpendio finire vitam propter filii turpitudinem coactam, cùm omnium poſtea Graji ſanguinis virorum clariſsimus extiterit, mediumque Europæ & Aſiȩ, vel ſpei vel deſperationis pignus fuerit: hȩc enim ſalutis eum ſuȩ patronum habuit, illa vadem victoriȩ aſſumpſit.

DE CIMONE ATHENIENSI.

Cimonis verò incunabula opinione ſtultitiæ fuerunt referta: ejuſdem ſtultitiȩ imperia ſalutaria Athenienſes ſenſerunt: itaque coëgit eos ſtuporis ſemetipſos damnare, qui eum ſtolidum crediderant.

DE ALCIBIADE,

Jam Alcibiadem quaſi duæ fortunȩ partitæ ſunt: altera, quæ ei nobilitatem eximiam, abundan

tes

tes divitias, formam præstantissimam, favorem civium propensum, summa imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantissimum ingenium assignaret. Altera quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret: nec aut hæc, aut illa simul universa, sed varia, perplexa, freto, atque æstui simillima.

DE POLYCRATE TYRANNO Samiorum.

Ad invidiam usque Polycratis Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excelsit: nec sine causa: omnes enim conatus ejus placido excipiebantur itinere: spes certum cupitæ rei fructum apprehendebat: vota nuncupabantur simul & solvebantur: velle ac posse in æquo positum erat. Semel duntaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiæ salebra succussum: tunc cum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abjecit: quem tamen continuo recuperavit, capto pisce, qui eum devoraverat. Sed hunc felicitatis semper plenis velis prosperum cursum tenere non potuit. Comprehensum enim Orontes Darii regis præfectus, in excelsissimo Micalensis montis vertice cruci affixit: ex qua putres ejus artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam lævam, cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam, Samos amara servitute aliquandiu pressa, liberis, ac lætis oculis aspexit.

DE DIONYSIO TYRANNO.

Dionysius autem cum hæreditatis nomine à patre Syracusanorum, ac pene totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, re-

rector classium, equitatuum potens, propter inopiam, litteras puerulos Corinthi docuit: eodemque tempore, tanta mutatione majores natu, nequis nimis fortunæ crederet, magister ludi factus ex tyranno, monuit,

De Siphace Rege.

Sequitur hunc Siphax Rex, consimilem fortunæ iniquitatem expertus, quem amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Hasdrubalem ultro petitum ad penates deos ejus venerat. Cæterum eò claritatis evectus, ut validissimorum populorum non tantum arbiter, sed & victor victoriæ existeret: parvi temporis interjecta mora, catenatus à Lælio legato ad Scipionem Imperatorem pertractus est: cujusque dexteram regio insidens solio arroganti manu attigerat, ad ejus genua supplex procubuit. Caduca nimirum & fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt illa, quæ vires, atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt: itaque neque existimari, neque dici debent bona, quæ ut inflictorum malorum amaritudine desiderium sui. dupliceut, propensiore favore primò delinitos, majore postea majorum cumulo opprimere solent.

* * *
* * *

* * *
* * *

* * *
* * *

VAL. MAXIMI

LIBER SEPTIMUS.

DE FELICITATE.

CAPUT I.

VOLUBILIS fortunæ complura exempla retulimus: constantis & propitiæ admodum pauca narrari possunt: quo patet, eam adversas res cupido animo infligere, secundas parco tribuere: eadem ubi malignitatis oblivisci sibi imperavit, non solum plurima, ac maxima, sed etiam perpetua bona congerit.

DE Q. METELLO.

Videamus ergo quot gradibus beneficiorum Qu. Metellum à primo originis die, ad ultimum usque fati tempus nunquam cessante indulgentia, ad summum beatæ vitæ cumulum perduxerit. Nasci enim in urbe terrarum principe voluit: parentes ei nobilissimos dedit: adjecit animi rarissimas dotes, & corporis vires, ut sufficere laboribus posset: uxorem pudicitia, & fœcunditate conspicuam conciliavit. Consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextam largita est: fecit, ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium, duos triumphales, & quartum prætorium videret: ut tres filias nuptum da-

daret, earumque sobolem sinu suo exciperet: tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia, cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla cauta tristitiæ. Cœlum contemplare: vix tamen ibi talem statum reperies: quoniam quidem luctus, & dolores, deorum quoque pectoribus à maximis vatibus assignari videmus: hunc autem vitæ actum ejus consentaneus finis excepit: nam Qu. Metellum ultimæ senectutis spatio defunctum, lenique genere mortis inter oscula, complexusque charissimorum pignorum extinctum, filii & generi humeris suis per urbem latum rogo imposuerunt.

DE GYGE.

Clara hæc felicitas: obscurior illa, sed divino splendore proposita: cum enim Gyges regno Lydiæ, armis & divitiis abundantissimo inflatus animo, Apollinem Pythium scisciatum venisset, an aliquis mortalium se esset felicior: deus ex abdito sacrarii specu, voce missa, Aglaum Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate jam senior: terminos agelli sui nunquam excesserat, parvuli ruris fructibus, ac voluptatibus contentus. Verum profecto beatæ vitæ finem Apollo non adumbratum, oraculi sagacitate complexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quàm tristem curis, & solicitudinibus aulam: paucasque glebas pavoris expertes, quàm pinguissima Lydiæ arva metu referta: & unum aut alterum jugum boum facilis tutelæ, quam exercitus, & arma & equitatum, voracibus impensis onerosum: & usui necessarii horreolum nulli nimis appetendum, quam

thesauros omnium insidiis, & cupiditatibus expositos. Ita Gyges dum astipulatorem vanę opinionis deum habere concupiscit, ubinam solida, & sincera esset felicitas, didicit.

SAPIENTER DICTA, AUT FACTA.

CAPUT II.

NUNC id genus felicitatis explicabo, quod totum in habitu animi est: nec votis petitur, sed in pectoribus sapientia prędita natum, dictis, factisque prudentibus enitescit.

DE APPIO CLAUDIO.

Appium Claudium crebro solitum dicere accepimus, negotium Pop. Rom. melius, quàm otium committi: non quòd ignoraret quàm jucundus tranquillitatis status esset, sed quòd animadverteret, prępotentia imperia agitatione rerum, ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolvi. Et sanè negotium, nomine horridum, civitatis nostræ mores in suo statu continuit, blandę appellationis quies plurimis vitiis respersit.

DE SCIPIONE AFRICANO.

Scipio verò Africanus turpe esse ajebat in re militari dicere, non putaram. Videlicet quia explorato, & excusso consilio, quæ ferro aguntur, administrari opertere arbitrabatur summa ratione. Inemendabilis enim est error, qui violentiæ Martis committitur. Idem negabat aliter cum hoste confligi debere, quàm aut si occasio obvenisset, aut necessitas incidisset: ęquè pruden-

denter: nam & prosperam gerendę rei facultatem omittere, maxima dementia est: & in angustias utique pugnandi compulsum abstinere se prælio, pestiferæ ignaviæ affert exitium: eorumque qui ista committunt, alter beneficio fortunę uti, alter injuriæ nescit resistere.

DE Q. METELLO.

Quinti quoque Metelli cum gravis, tum etiam alta in senatu sententia: qui devicta Carthagine, nescire se, illa victoria boni ne plus, an mali Reip. attulisset, asseveravit: quoniam ut pacem restituendo profuisset, ita Annibalem submovendo, nonnihil nocuisset: ejus enim transitu in Italiam, dormientem populi Rom. virtutem excitatam, metuique debere, ne acri æmulo liberata, in eundem somnum revolveretur: in quo igitur malorum posuit, uri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium, & prisci roboris nervos hebetari.

DE LICINIO FIMBRIA CONSULARI.

Quid illud factum Licinii Fimbriæ consularis, quàm sapiens! à M. Luctatio Pinthia splendido equite Rom. judex additus de sponsione, quam is cum adversario, quòd vir bonus esset, fecerat: nunquam id judicium pronuntiatione sua finire voluit: ne aut probatum virum, si contra eum judicasset, fama spoliaret: aut juraret virum bonum esse, cum ea res innumerabilibus laudibus contineatur. Forensibus hęc, illa militaribus stipendiis prudentia exhibita est.

DE PAPYRIO CURSOREM CONSULE.

Papyrius Cursor consul cum Aquiloniam oppugnans prælium vellet committere, pullariusque non prosperantibus avibus ementitus optimum ei auspicium renuntia-

tiaſſet : de fallacia illius factus certior, ſibi quidem, & exercitui bonum omen datum credidit, ac pugnam iniit. Cęterum mendacem ante ipſam aciem conſtituit: ut haberent dii, cujus capite, ſiquid iræ conceperant, expiarent. Directum eſt autem ſive caſu, ſive cœleſtis numinis providentia, quod primum è contraria parte miſſum erat telum, in ipſum pullarii pectus, eumque exanimem proſtravit : id ut cognovit Conſul, fidente animo & invaſit Aquiloniam, & cepit. Tam cito animadvertit, quo pacto injuria imperatoris vindicari deberet : quemadmodum violata religio expianda foret, & qua ratione victoria apprehendi poſſet. Egit virum ſeverum, conſulem, religioſum, imperatorem ſtrenuum : timoris modum, pœnę genus, ſpei viam, uno mentis impetu rapiendo. Nunc ad ſenatus acta tranſgrediar.

DE SENATU.

Cum adverſus Annibalem Senatus Claudium Neronem & L. Salinatorem Conſules mitteret, eoſque ut virtutibus pares, ita inimicitiis acerrime inter ſe diſſidentes videret : ſummo ſtudio in gratiam reduxit, ne propter privatas diſſenſiones, Remp. parum utiliter adminiſtrarent. Quia conſimili imperio ubi concordia non ineſt, major aliena opera interpellandi, quàm ſua edendi cupiditas naſcitur: ubi verò etiam pertinax intercedit odium, alter alteri, quàm è contrariis caſtris utrique certior hoſtis proficiſcitur. Eoſdem ſenatus, cum ob nimis aſperè actam cenſuram à Cn. Bebio Tr. Pl. pro roſtris agerentur rei; cauſę dictione decreto ſuo liberavit. Vacuum omnis judicii metu eum honorem reddendo, qui exigere deberet rationem, non reddere. Par illa ſapientia ſenatus, qua Tiberium Gracchum Tr. Pl. agrariam legem promulgare auſum, mor-

te multavit. Idem ut secundum legem ejus per Triumviros ager populo viritim divideretur egregiè censuit. Siquidem gravissimæ seditionis eodem tempore & autorem, & causam sustulit.

Quàm deinde se prudenter in rege Masinissa gesserit! nam cum promptissima, & fidelissima ejus opera adversus Carthaginienses usus esset, eumque in dilatando regno avidiorem cerneret, legem ferri jussit, qua Masinissæ ab imperio Populi Rom. solutam libertatem tribueret. Quo facto tum optime meriti benevolentiam retinuit, tum Mauritaniæ, & Numidiæ, cæterarumque illius tractus gentium nunquam fida pace quiescentem feritatem, à valuis suis repulit. Tempus deficiet domestica narrantem: quoniam imperium nostrum non tàm robore corporum, quàm animorum vigore incrementum, ac tutelam sui comprehendit. Majori itaque ex parte Romana prudentia admiratione tacita reponatur, alienigenisque hujus generis exemplis detur aditus.

EXTERNA.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultrà petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent: quia illi demum scirent, quid unicuique esset utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quàm late patentes errores cæcas precationes tuas spargis! Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessundederunt: regna tecum ipsa voluis, quorum exitu sæpe numero miserabiles cernuntur: splendidis con-

ju-

jugiis injicis manus: at hæc ut aliquando illustrant, ita nonnumquam funditus domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, teque totum cœlestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.

Idem expedita & compendiaria via eos ad gloriam pervenire dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent, tales etiam essent. Qua quidem prædicatione aperte monebat, ut homines ipsam potius virtutem haurirent, quam umbram ejus consectarentur.

Idem ab adolescentulo quodam consultus, utrum uxorem duceret, an se omnino matrimonio abstineret: Respondit utrum eorum feciisset, acturum pœnitentiam. Hic te, inquit, solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic hæres alienus excipiet: illic perpetua solicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium grave supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. Non passus est juvenem in contextu rerum asperarum, quasi lætæ materiæ facete delectum.

Idem cum Athenienſium scelerata dementia tristem de capite ejus sententiam tulisset, fortique animo, & constanti vultu potionem veneni è manu carnificis accepisset, admoto jam labris poculo, uxori Xanthippæ inter fletum & lamentationem vociferanti innocentem eum perimi, Quid ergo, inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti? O immensam illam sapientiam, quæ ne in ipso quidem vitę excessu obliviscì sui potuit!

DE SOLONE.

Age quàm prudenter Solon neminem, dum adhuc viveret, beatum dici debere arbitrabatur: quòd ad

ultimum usque fati diem ancipiti fortunæ subjecti essemus. Felicitatis igitur humanæ appellationem rogus consummat, qui se incursui malorum objicit. Idem, cum ex amicis quendam graviter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret: quod ut factum animadvertit, Cogita nunc tecum, inquit, quàm multi luctus sub his tectis & olim fuerint, hodieque versentur, in sequentibusque seculis sint habitaturi: ac mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Qua consolatione demonstravit urbes esse humanarum claudium consepta miseranda. Idem ajebat, si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum acervo portionem suam ferre mallent. Quo colligebat non oportere nos, quæ fortuitò patimur, præcipuè, & intolerabilis amaritudinis judicare.

DE BIA PRIENENSI.

Bias autem, cum patriam ejus Prienen hostes invasissent, omnibus, quos modo lævitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarum rerum ponderi onustis fugientibus, interrogatus, quid ita nihil ex bonis suis secum ferret? Ego vero (inquit) bona mea mecum porto. Pectore enim illa gestabat; non humeris, non oculis visenda, sed æstimanda animo: quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt: & ut manentibus præstò sunt, ita fugientes non deserunt.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Jam Platonis verbis adstricta, sed sensu prævalet sen-

ſententia. Qui tum demum beatum terrarum orbem futurum prædicavit, cum aut ſapientes regnare, aut reges ſapere cœpiſſent.

DE QUODAM REGE.

Rex etiam ille ſubtilis judicii: quem ferunt traditum ſibi diadema priuſquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe, ac dixiſſe: O nobilem magis, quàm felicem pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat, quàm multis ſolicitudinibus, & periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.

DE XENOCRATE PHILOSOPHO.

Quid Xenocratis reſponſum, quàm laudabile! Cum maledico ſermoni quorundam ſummo ſilentio intereſſet, uno ex his quærente cur ſolus linguam ſuam cohiberet? Quia dixiſſe me, inquit, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.

DE ARISTOPHANE.

Ariſtophanis quoque altioris eſt prudentiæ præceptum, qui in comœdia introduxit remiſſum ab inferis Athenienſem Periclem, vaticinantem, non oportere in urbe nutriri leonem: ſin autem ſit alitus, obſequi ei convenire. Monet enim, ut præcipuæ nobilitatis, & concitati ingenii juvenes refrænentur. Nimio vero favore, ac profuſa indulgentia paſti, quo minus potentiam obtineant, ne impediantur; quòd ſtultum, & inutile ſit eas obtrectare vires, quas ipſe foveris.

DE THALETE PHILOSOPHO.

Mirifice etiam Thales: nam interrogatus, an facta ho-

hominum deos fallerent ? Nec cogitata, inquit : ne non ſolum manus, ſed etiam mentes puras habere vellemus, cum ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte numen adeſſe credidiſſemus.

DE THEMISTOCLE.

Ac ne quod ſequitur quidem minus ſapiens: unicæ filiæ pater Themiſtoclem conſulebat, utrum eam pauperi, ſed ornato : an locupleti, ſed parum probato collocaret. Cui is, Malo, inquit, virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentem. Quo dicto ſtultum monuit, ut generum potius, quàm divitias generi legeret.

DE REGE PHILIPPO PATRE ALEXANDRI.

Age Philippi quàm probabilis epiſtola, in qua Alexandrum quorundam Macedonum benevolentiam largitione ad ſe attrahere conatum, ſic increpuit : Quę te fili ratio in hanc tam vanam ſpem induxit, ut eos fideles tibi futuros exiſtimares, quos pecunia ad amorem tui compuliſſes ? à charitate iſtud præſtatur. At verò antè Philippus majore ex parte mercator Græciæ, quàm victor.

DE ARISTOTELE PHILOSOPHO.

Ariſtoteles autem, Calliſthenem auditorem ſuum ad Alexandrum mittens monuit, ut cum eo aut quàm rariſsime, aut quàm jucundiſsime loqueretur : quę ſcilicet apud regias aurès vel ſilentio tutior, vel ſermone eſſet acceptior. At ille dum Alexandrum Perſica Macedonum ſalutatione gaudentem objurgat, & ad majorum mores invitum revocare perſeverat, ſpiritu carere juſſus, ſeram neglecti ſalubris conſilii pœnitentiam egit.

Idem Aristoteles de semetipso in neutram partem loqui debere prædicabat : quoniam laudare se, vanis videri, vituperare, stulti esset. Ejusdem est utilissimum præceptum, ut voluptates abeuntes consideremus : Quas quidem sic ostendendo minuit : fessas enim, pœnitentiæque plenas animis nostris subjecit, quò minus cupide repetantur.

DE ANAXAGORA PHILOSOPHO.

Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus ? Nemo, inquit, ex iis quos tu felices existimas : sed eum in eo numero reperies, qui à te ex miseris constare creditur. Non erit ille divitiis, & honoribus abundans : sed aut exigui ruris, aut non ambitiosę doctrinæ fidelis, ac pertinax cultor : in secessu, quàm in fronte beatior.

DE DEMADE.

Demadis quoque dictum sapiens. Nolentibns enim Athenienſibus divinos honores Alexandro decernere, Videte (inquit) ne dum cœlum custoditis, terram amittatis.

DE ANACHARSI.

Quàm porro subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat : nam ut illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere : ita his humiles, & pauperes constringi, divites & præpotentes non alligari.

DE AGESILAO.

Nihil etiam Agesilai facto sapientius : siquidem cum adversus Remp. Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lycurgi conti-

nuo abrogavit, quæ de indemnatis ſupplicium ſumi vetabant: comprehenſis autem, & interfectis ſontibus, eaſdem eveſtigio reſtituit. Atque utrumque ſimul providit, ne ſalutaris animadverſio, vel injuſta eſſet, vel jure impediretur. Itaque ut ſemper eſſe poſſent, aliquando non fuerunt.

DE HANNONE.

Sed neſcio an Hannonis excellentioris prudentiæ conſilium: Magone enim Cannenſis pugnæ exitum ſenatui Pœnorum nuntiante, inque tanti ſucceſſus fidem annulos aureos trium modiorum menſuram explentes fundente, qui interfectis noſtris civibus detracti erant: quæſivit, an aliquis ſociorum poſt tantam cladem à Romanis defeciſſet; atque ut audivit, neminem ad Annibalem tranſiſſe, ſuaſit, ut protinus legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur: cujus ſi ſententia valuiſſet, neque ſecundo Punico bello devicta Carthago, neque tertio deleta foret.

DE HERENNIO PONTIO SAMNITE.

Ne Samnites quidem parvas pœnas conſimilis erroris pependerunt, quòd Herennii Pontii ſalutare conſilium negiexerunt. Qui authoritate, & prudentia ceteros præſtans, ab exercitu, & duce ejus filio ſuo conſultus, quidnam fieri de legionibus Romanis apud Furcas Caudinas incluſis deberet, inviolatas dimittendas reſpondit. Poſtero die eadem de re interrogatus, deleri eas oportere dixit: ut aut maximo beneficio gratia hoſtium emeretur, aut graviſsima jactura vires confringerétur: ſed improvida temeritas victorum, dum utranque partem ſpernit utilitatis, ſub jugum miſſas in perniciem ſuam accendit. Multis, & magnis ſapientiæ exemplis parvulum adjiciam.

DE

DE CRETENSIBUS.

Cretenſes cùm acerbiſsima execratione adverſus quos vehementer oderunt, uti volunt; ut mala conſuetudine delectentur, optant: modeſtoque voti genere efficaciſsimum ultionis eventum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiſcere, & in eo perſeveranter morari, exitio vicina dulcedo eſt.

VAFRE DICTA, AUT FACTA.

CAPUT III.

EST aliud factorum, dictorumque genus à ſapientia proximo deflexu ad Vafri nomen progreſſum: quod niſi fallacia vires aſſumpſerit, fidem propoſiti non invenit: laudemque occulto magis tramite, quam aperta via petit.

DE QUODAM ANTISTITE ROMANO.

Servio Tullo regnante cuidam patrifamiliæ in agro Sabino præcipuæ magnitudinis, & eximiæ formæ vacca nata eſt. Quam oraculorum cetiſsimi autores in hoc à Diis immortalibus editam reſponderunt, ut quiſquis eam Aventinenſi Dianæ immolaſſet, ejus patriæ totius terrarum orbis imperium obtineret. Lætus eo dominus, bovem cum ſumma feſtinatione Romam actam, mactandam in Aventino ante aram Dianæ conſtituit, ſacrificio Sabinis regimen humani generis daturus. De qua re Antiſtes templi certior factus, religionem hoſpiti inculit, ne prius victimam ederet, quam proximi amnis ſe aqua abluiſſet: eoque alveum Tiberis petente, vaccam ipſe immolavit, & urbem no-

noſtram tot civitatum, tot gentium dominam, pio ſacrificii furto reddidit.

DE JUNIO BRUTO.

Quo in genere acuminis in primis Junius Brutus referendus eſt. Nam cum à Rege Tarquinio avunculo ſuo omnem nobilitatis indolem exçerpi, interque ceteros etiam fratrem ſuum, quòd vegetioris ingenii erat, interfectum animadverteret; obtuſi ſe cordis eſſe ſimulavit, eaque fallacia maximas virtutes ſuas texit. Profectus etiam Delphos cum Tarquinii filiis, quos is ad Apollinem Pythium muneribus, ſacrificiiſque honorandum miſerat, aurum deo, nomine doni clàm cavato baculo incluſum tulit: Quia timebat, ne ſibi cœleſte numen aperta liberalitate venerari tutum non eſſet. Peractis deinde mandatis patris, Apollinem juvenes conſuluerunt, quiſnam ex ipſis Romæ regnaturus videretur. At is penes eum ſummam urbis noſtræ poteſtatem futuram reſpondit, qui ante omnes matri oſculum dediſſet. Tunc Brutus, perinde atque caſu prolapſus, de induſtria ſe abjecit, terramque communem omnium matrem exiſtimans, oſculatus eſt: quod tam vafre telluri impreſſum oſculum, urbi libertatem, Bruto primum in faſtis locum tribuit.

DE SCIPIONE SUPERIORE.

Scipio quoque ſuperior præſidium calliditatis amplexus eſt. Ex Sicilia enim petens Africam, cum ex fortiſſimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum implere vellet, neque tam ſubito poſſet eos inſtruere, quod temporis anguſtiæ negabant, ſagacitate conſilii aſſecutus eſt. Nanque ex iis juvenibus, quos ſecum ex tota Sicilia nobiliſſimos, & ditiſſimos,

ſed inermes habebat, ad ſe vocatos trecentos ſpecioſa arma, & electos equos quàm celerrime expedire juſſit, velut eos continuo ſecum ad oppugnandam Carthaginem advecturus: qui cùm imperio ut celeriter, ita longinqui, & periculoſi belli reſpectu ſolicitis animis paruiſſent, remittere ſeſe Scipio illam expeditionem, ſi arma, & equos militibus ſuis tradere voluiſſent, edixit. Rapuit conditionem imbellis ac timida juventus, inſtrumentoque ſuo cupide noſtris ceſſit. Ergo calliditas ducis providit, ut ſi quod protinus imperaretur, grave prius, deinde remiſſo militiæ metu maximum beneficium fieret. Quod ſequitur narrandum quoque eſt.

DE Q. FABIO LABEONE.

Quintus Fabius Labeo arbiter à ſenatu finium conſtituendorum inter Nolanos, & Neapolitanos datus: cum in rem preſentem veniſſet, utroſque ſeparatim monuit, ut omiſſa cupiditate, regredi modo controverſo, quàm progredi mallent: idque cum utraque pars autoritate viri mota feciſſet, aliquantum vacui in medio agri relictum eſt: conſtitutis deinde finibus ut ipſi terminaverant, quicquid reliqui ſoli fuit, Populo Roman adjudicavit. Ceterum etſi ſic circumventi Nolani ac Neapolitani queri nihil potuerunt, ſecundum ipſorum demonſtrationem dicta ſententia, improbo tamen preſtigiorum genere novum civitati noſtre vectigal acceſsit. Eundem ferunt cum à Rege Antiocho, quem bello ſuperaverat, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, ut eum tota claſſe privaret.

DE

DE MARCO ANTONIO.

Jam Marco Antonio remittendum convitium eſt, qui idcirco ſe ajebat nullam orationem ſcripſiſſe, ut ſi quid ſuperiore judicio actum, ei quem poſtea defenſurus eſſet, nociturum foret, non dictum à ſe affirmare poſſet: qui facti vix prudentis, tolerabilem cauſam habuit: pro periclitantium enim capite, non ſolum eloquentia ſua uti, ſed etiam verecundia abuti erat paratus.

DE SERTORIO.

Sertorius verò corporis robore, atque animi conſilio parem naturæ indulgentiam expertus: proſcriptione Syllana dux Luſitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non poſſet, ne cum Romanis univerſa acie confligere vellent, vafro conſilio ad ſuam ſententiam perduxit: duos enim in conſpectu eorum conſtituit equos, alterum validiſsimum, alterum infirmiſsimum: ac deinde validi caudam ab imbecillo lene paulatim carpi, infirmi à juvene eximiarum virium univerſam convelli juſsit: obtemperatum imperio eſt. Sed dum adoleſcentis dextra irrito ſe labore fatigat, ſenio confecta manus miniſterium executa eſt. Tunc barbaræ concioni, quorſum ea res tenderet cognoſcere cupienti, ſubjecit: equi caudę conſimilem eſſe Romanorum exercitum, cujus partes aliquis aggrediens opprimere poſsit: univerſum conatus proſternere, celerius tradiderit victoriam, quàm occupaverit. Ita gens barbara, aſpera, & regi difficilis, in exitium ſuum ruens, quam utilitatem auribus reſpuerat, oculis prævidit.

***

DE FABIO MAXIMO.

Fabius autem Maximus, cujus non dimicare, vincere fuit: cum præcipuæ fortitudinis Nolanum peditem dubia fide ſuſpectum, & ſtrenuę operę Lucanum equitem amore ſcorti deperditum in caſtris haberet: ut utroque potius bono milite uteretur, quàm in utrumque animadverteret, alteri ſuſpitionem ſuam diſſimulavit, in alterum diſciplinam paululum à recto tenore deflexit: nanque illum plene pro tribunali laudando, omnique genere honoris proſequendo, animum ſuum à Pœnis ad Romanos coëgit revocare: & hunc clam meretricem redimere paſſus paratiſsimum pro nobis excurſorem reddidit.

DE MARCO VOLUSIO ÆDILE.

Veniam nunc ad eos, quibus ſalus aſtutia quæſita eſt. M. Voluſius ædilis plebis proſcriptus, aſſumpto Iſiaci habitu, per itinera, viaſque publicas ſtipem petens, quiſnam revera eſſet, occurrentes dignoſcere paſſus non eſt: eoque fallaciæ genere tectus, in M. Bruti caſtra pervenit. Quid illa neceſsitate miſerius, quę magiſtratum Pop. Rom. abjecta honoris prætexta, alienigenę religionis obſcuratum inſignibus, per urbem juſsit incedere? Omnes autem hi ſuæ vitę, aut illi alienę mortis cupidi, qui talia vel ipſi ſuſtinuerunt, vel alios perpeti coëgerunt.

DE SATURNINO VETULIONE.

Aliquanto ſpecioſius ſententiis Saturnini Vetulionis in eodem genere caſus, ultimę ſortis auxilium: Qui cum à triumviris inter proſcriptos nomen ſuum propoſitum audiſſet, continuo prætoræ inſignia invaſit: præ-

ce-

cedentibusque in modum lictorum, & apparitorum publicorum servis subornatis, vehicula comprehendit, hospitia occupavit, obvios summovit, ac tam audaci usurpatione imperii, in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit. Idem ut Puteolos venit, perinde ut publicum ministerium agens, summa cum licentia correptis navibus in Siciliam, certissimum tunc proscriptorum profugium, penetravit. His uno adjecto levioris notæ exemplo, ad externa revertar.

DE AMORE CUJUSDAM PATRIS IN FILIUM.

Amantissimus quidam filii, cum eum inconcessis ac periculosis facibus accensum, ac insana cupiditate pater inhibere vellet, salubris consilii astutia patriam indulgentiam temperavit: petiit enim ut prius quàm ad eam, quam diligebat, iret, vulgari ac permissa venere uteretur: cujus precibus obsecutus adolescens, infelicis animi impetum satietate licentis concubitus resolutum, ad id quod non licebat tardiorem pigrioremque afferens, paulatim deposuit.

EXTERNA.

DE QUODAM ASINARIO.

Cum Alexander Macedonum Rex sorte monitus, ut eum qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici juberet, Asinarium forte sibi ante omnes obviam factum ad mortem arripi imperavit: eoque quærente quidnam se immerentem capitali supplicio, innocentemque addiceret, cum ad excusandum factum suum oraculi præceptum retulisset: Asinarius, Si ita est, in-

inquit, rex, alium ſors huic morti deſtinavit: nam aſellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipſe revocatus erat, occaſionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit. Summa in hoc cum calliditate manſuetudo, ſumma quoque in alterius regis equiſone calliditas.

DE DARIO REGE.

Sordida Magorum dominatione Perſide oppreſſa, Darius Rex adjutoribus ejuſdem dignitatis aſſumptis, pactum cum præclari operis conſortibus fecit, ut equis inſidentes, Solis ortu, curſum in quendam locum dirigerent, iſque regno potiretur, cujus equus in eo primus hinniſſet. Ceterum maximæ mercedis competitoribus fortunæ beneficium expectantibus, ſolus acumine equiſonis ſui Ebaris proſperum exoptatę rei effectum aſſecutus eſt: qui in equæ genitalem partem demiſſam manum, cum ad eum locum ventum eſſet, naribus equi admovit: quo odore irritatus, ante omnes hinnitum edidit: auditoque eo, ſex reliqui ſummæ poteſtatis candidati continuo equis delapſi (ut eſt mos Perſarum) humi proſtratis corporibus Darium regem ſalutaverunt. Quantum imperium, quàm parvo interceptum eſt vaframento.

DE BIA PRIENENSI.

Bias autem, cujus ſapientia diuturnior inter homines eſt, quàm patria Priene fuit (ſiquidem hic etiam nunc ſpirat, illius perinde atque extinctæ veſtigia tantummodo extant) ita ajebat: oportere homines in uſu amicitię verſari, ut meminiſſent eam ad graviſsimas inimicitias poſſe converti, quod quidem præceptum pri-

prima ſpecie nimis fortaſſe callidum videatur, inimi-cumque ſimplicitati, qua præcipue familiaritas gaudet: ſed ſi altioribus animis cogitatio demiſſa fuerit, perquam utile reperietur.

DE ANAXIMENE PRÆCEPTORE ALEXANDRI.

Lampſacenæ vero urbis ſalus unius vaframenti beneficio conſtitit: nam cum ad excidium ejus ſummo ſtudio Alexander ferretur, progreſſumque extra mœnia Anaximenem præceptorem ſuum vidiſſet, quia manifeſtum erat, futurum, ut preces ſuas iræ ejus opponeret, non facturum ſe quod petiſſet juravit: tunc Anaximenes: Peto (inquit) ut Lampſacum diruas. Hæc velocitas ſagacitatis oppidum vetuſta nobilitate inclytum exitio, cui deſtinatum erat, ſubtraxit.

DE DEMOSTHENE.

Demoſthenis quoque aſtutia mirificè cuidam ancillæ ſuccurſum eſt, quæ pecuniam depoſiti nomine à duobus hoſpitibus acceperat, ea conditione, ut illam ſimul utriuſque redderet: quorum alter interjecto tempore tanquam mortuo ſocio ſqualore obſitus, decepta ea omnes nummos abſtulit: ſupervenit deinde alter, & depoſitum petere cœpit. hærebat miſera in maxima pariter & pecuniæ, & defenſionis penuria. Jamque de laqueo, & ſuſpendio cogitabat: ſed opportunè Demoſthenes ei patronus adfuliſit: qui ut in advocationem venit, Mulier (inquit) parata eſt depoſiti ſe fide ſolvere, ſed niſi ſocium adduxeris, id facere non poteſt: quoniam, ut ipſe vociferaris, hæc dicta eſt lex, ne pecunia alteri ſinè altero numeretur.

DE

DE QUODAM VIRO ATHENIENSI.

Ac ne illud quidem parum prudenter. Quidam Athenis universo populo invisus, causam apud eum de capitali crimine dicturus, maximum honorem subito petere cœpit; non quòd speraret se illum consequi posse, sed ut haberent homines, ubi procursum iræ, qui acerrimus esse solet, effunderent. Neque eum tam callidi consilii ratio fefellit: comitii enim clamore infesto, & crebris totius concionis sibilis vexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, ejusdem plebis paulo post in discrimine vitę clementissima suffragia expertus est. Quòd si adhuc ei ultionem sitienti, capitis sui periculum objecisset, nullam partem defensionis odio obseratæ aures reciperent. Huic vaframento consimilis illa calliditas.

DE ANNIBALE.

Superior Annibal à Duillio Consule navali prælio victus, timensque classis amissæ pœnas dare, offensam astutia mirè avertit: nam ex illa infelici pugna prius quàm cladis nuntius domum perveniret, quendam ex amicis compositum, & ornatum Carthaginem misit: qui postquam civitatis ejus curiam intravit, Consulit, inquit, vos Annibal, cum dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias advenerit, an cum eo confligere debeat: acclamavit universus senatus, non esse dubium, quin oporteret: tum ille, Conflixit, inquit, & superatus est. Ita liberum his non reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse judicaverant.

DE EODEM.

Alter item Annibal Fabium Maximum invictam armorum ſuorum vim ſalubernimis cunctationibus pugnę ludificantem, ut aliqua ſuſpicione trahendi belli reſpergeret, totius Italiæ agros ferro, atque igni vaſtando, unius ejus fundum immunem ab hoc injuriæ genere reliquit. Profeciſſet aliquid tanti beneficii inſidioſa adumbratio ejus, niſi Romanæ urbi & Fabii pietas, & Annibalis vafri mores fuiſſent notiſsimi.

DE TUSCULANIS.

Tuſculanis etiam acúmine conſilii incolumitas parta eſt: Cum enim crebris rebellationibus meruiſſent, ut eorum urbem funditus Romani evertere vellent, atque ad id exequendum Furius Camillus, maximus dux, validiſsimo inſtructus exercitu veniſſet: univerſi ei togati obviam proceſſerunt, commeatuſque, & cætera pacis munia benignisſimè præſtiterunt: armatum etiam intrare mœnia paſsi ſunt, nec vultu, nec habitu mutato: qua conſtantia tranquillitatis non ſolum ad amicitiæ noſtræ jus, ſed etiam ad communionem civitatis uſque penetraverunt. Sagaci hercule uſi ſimplicitate, quoniam apertius eſſe intellexerant metum officiis diſsimulare, quam armis protegere.

DE TULLO DUCE VOLSCORUM.

At Volſcorum ducis Tulli execrabile conſilium, qui ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accenſus, cum aliquot adverſis prælis contulos animos ſuorum, & ob id paci proniores animadverteret, inſidioſa ratione quò volebat compulit: nam

cum ſpectandorum ludorum gratia magna Volſcorum multitudo Romam convenisſet, Conſulibus dixit, vehementer ſe timere, ne quid hoſtile ſubito moliren-tur: monuitque, ut eſſent cautiores, & protinus ipſe urbe egreſſus eſt. Quam rem Conſules ad ſenatum retulerunt: qui, ſametſi nulla ſuſpicio ſuberat, autoritate tamen Tulli commotus, ut ante noctem Volſci abirent, decrevit. Qua contumelia irritati, facile impelli potuerunt ad rebelliandum. Ita mendacium veluti ducis, ſimulatione benevolentiæ involutum, duos ſimul populos fefellit: Romanum, ut inſontes notaret: Volſcum, ut deceptis inſceretur.

DE STRATAGEMATIS.

CAP. IV.

ILLA verò pars calliditatis egregiæ, & ab omni prorſus reprehenſione procul remota, cujus opera, quia appellatione noſtra vix apte exprimi poſſuit, Græca pronuntiatione *Stratagemata* dicuntur.

DE TULLO HOSTILIO.

Omnibus militaribus copiis Tullo Hoſtilio Fidenas aggreſſo, quæ ſurgentes imperii noſtri incunabula crebris rebellationibus torpere paſſæ non ſunt, finitimiſque trophæis, ac triumphis alitam virtutem ejus, ſpes ſuas ulterius promovere docuerunt: Metius Suffetius dux Albanorum, dubiam & ſuſpectam ſemper ſocietatis ſuæ fidem repente in ipſa acie detexit. Detecto enim Romani exercitus latere, in proximo colle conſedit, pro adjutore ſpeculator pugnæ futurus, ut aut victis inſultaret, aut victores feſſos aggrederetur.

tur. Non erat dubium quin ea res militum noſtrorum animos debilitatura eſſet, cum eodem tempore & hoſtes confligere, & auxilia deficere cerneret. Itaque ne id fieret, Tullus providit: concitato enim equo, pugnantium globos præcurrit, prædicans ſuo juſſu ſeceſsiſſe Metium, eumque, cum ipſe ſignum dediſſet, invaſurum Fidenatium terga. Quo imperatorię artis conſilio metum fiducia mutavit, proque trepidatione, alacritate ſuorum pectora replevit.

DE SEXTO TARQUINIO.

At ne continuo à noſtris regibus recedamus, Sextus Tarquinius Tarquinii filius indigne ferens quòd patris viribus expugnari Gabii nequirent, valentiorem armis excogitavit rationem, qua interceptum id oppidum Romano Imperio adjiceret. Subito nanque ſe ad Gabios contulit, tanquam parentis ſævitiam, & verbera, quę voluntate ſua perpeſſus erat, fugiens: ac paulatim uniuſcujuſque fictis, & compoſitis blanditiis alliciendo benevolentiam, ut apud omnes plurimum poſſet, conſecutus, familiarem ſuum ad patrem miſit, indicaturum quemadmodum in ſua manu haberet univerſa; & quęſiturum quidnam fieri vellet: Juvenili calliditati ſenilis aſtutia reſpondit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuntii parum credens, nihil reſpondit, ſed ducto eo in hortum, maxima, & altiſsima papaverum capita baculo decuſsit. Cognito adoleſcens ſilentio patris, ſimul ac facto, cauſam altioris argumenti pervidit, nec ignoravit prę cipi ſibi, ut excellentiſsimum quenque Gabinorum, aut exilio ſummoveret, aut morte conſumeret: ergo ſpoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantum non vinctis manibus ei tradidit.

DE

DE ROMANIS.

Illud quoque à majoribus, & consilio prudenter, & exitu feliciter provisum: cum enim Urbe capta Galli Capitolium obsiderent, solamque potiendi ejus spem in fame obsessorum repositam animadverterent: perquam callido enim genere consilii Romani usi, unico perseverantiæ irritamento victores spoliaverunt: panes enim jacere compluribus ex locis cœperunt. Quo spectaculo obstupefacti, infinitamque frumenti abundantiam nostris supereſſe credentes, ad pactionem omittendæ obsidionis compulerunt. Misertus est tunc profecto Jupiter Romanę virtutis, pręsidium ab astutia mutuantis, cùm in summa alimentorum inopia, projici pręsidia inopiæ cerneret. Igitur ut vafro, ita periculoso consilio salutarem exitum dedit.

Idem Jupiter postea præstantissimorum ducum nostrorum sagacibus consiliis propitius aspiravit: nam cum alterum Italię latus Annibal lacerare, alterum invasisset Hasdrubal, ne duorum fratrum junctę copię intolerabili onere fessas simul res nostras urgerent, hinc Claudii Neronis vegetum consilium, illinc Livii Salinatoris inclyta providentia effecit. Nero enim compresso à se in Lucanis Annibale, pręsentiam suam (quoniam ita ratio belli desiderabat) mentitus hosti, ad opem ferendam collegæ per longum iter celeritate mira tetendit. Salinator in Umbria apud Metaurum flumen proximo die dimicaturus, summa cum dissimulatione Neronem castris noctu recepit: tribunos enim à tribunis, centuriones à centurionibus, equites ab equitibus, pedites à peditibus excipi jussit, ac sine ulla tumultuatione, solo vix unum exer-

citum capiente, alterum inferur. Quo evenit, ne Hasdrubal cum duobus se Consulibus præliaturum prius sciret, quàm utriusque virtute prosterneretur. Ita illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas, Romanam elusa prudentiam, Annibalem Neroni, Hasdrubalem Salinatori decipiendum tradidit.

DE QUINTO METELLO CONSULE.

Memorabilis etiam consilii Qu. Metellus qui cum proconsul bellum in Hispania adversus Celtiberos gereret, urbemque Contrebiam caput ejus gentis viribus, expugnare non posset, intra pectus suum multum ac diu consiliis agitatis, viam reperit, qua propositum ad exitum perduceret: itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: hos obsidebat montes, paulo post ad illos transgrediebatur: cum interim tam suis omnibus, quàm ipsis hostibus ignota erat causa inopinatæ ejus, ac subitæ fluctuationis. Interrogatus quoque à quodam amicissimo sibi, quid ita sparsum, & incertum militiæ genus sequeretur. Abstine, inquit, istud quærere: nam si hujus consilii mei interiorem tunicam conscium esse sensero, continuo eam cremari jubebo. Quorsum igitur ea dissimulatio erupit? aut quem finem habuit? Postquam verò, & exercitum suum ignorantia, & totam Celtiberiam errore implicavit, cum aliò cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam & attonitam oppressit: ergo nisi mentem suam dolos scrutari coegisset, ad ultimam ei senectutem apud mœnia Contrebiæ armato sedendum foret.

EX-

EXTERNA.

DE AGATHOCLE REGE SYRACUSARUM.

Agathocles autem Syracusarum rex audacter callidus: cum enim urbem ejus majore ex parte Carthaginienses occupassent, exercitum suum in Africam trajecit: ut metum metu, vim vi discuteret: neque sine effectu: nam repentino ejus adventu perculsi Pœni, libenter incolumitatem suam salute hostium redemerunt: pactique sunt, ut eodem tempore, & Africa Siculis, & Sicilia Punicis armis liberaretur. Agathocles autem Syracusarum mœnia si tueri perseverasset, illa belli malis urgerentur; bona pacis fruenda, securæ Carthagini reliquisset: nunc inferendo quæ patiebatur, dum alienas potius lacessit opes, quàm suas tuetur, quo æquiore animo regnum deseruit, eo tutius recepit.

DE ANNIBALE.

Quid Annibal Cannensem Populi Romani aciem speculatus? non ne, prius quàm ad dimicandum descenderet, compluribus astutiæ complicatam laqueis, ad tam miserabilem perduxit exitum? Ante omnia enim providit, ut & solem, & pulverem, qui ibi vento multus excitari solet, adversum haberet: deinde partem copiarum suarum, inter ipsum prælii tempus de industria fugere jussit, quam cum à reliquo exercitu abruptam legio Romana sequeretur, trucidandam eam ab iis, quos in insidiis collocaverat, curavit. Postremo quadrigentos equites subornavit, qui simulata transitione petierunt Consulem, à quo jussi

more transfugarum depositis armis in ultimam pugnæ partem secedere, districtis gladiis, quos inter tunicas, & loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum cecidérunt: hæc huic Punica fortitudo, dolis, & insidiis, & fallacia instructa. Quæ nunc certissima circunventæ virtutis nostræ excusatio est: quoniam decepti magis, quàm victi sumus.

DE REPULSIS.

CAPUT V.

CAMPI quoque repræsentata conditio, ambitiosam ingredientes viam, ad fortius sustinendos parum prosperos comitiorum eventus utiliter instruxerit. Ut propositis ante oculos clarissimorum virorum repulsis, non minore cum spe honoris, ac prudentiore cum animi judicio petant: meminerintque, nefas non esse, aliquid ab omnibus uni negari, cum sæpenumero singuli cunctorum voluntatibus resistere fas esse duxerint: scientes etiam, patientia quæri debere quod gratia impetrari nequiverit.

DE QUINTO ÆLIO TUBERONE.

Quintus Ælius Tubero, à Qu. Fabio Maximo, epulum Populo Romano nomine P. Africani patrui sui dante, rogatus, ut triclinium sterneret: lectulos Punicanos pellibus hœdinis stravit: & pro argenteis vasis Samia exposuit: cujus rei deformitate sic omnes offendit, ut cum alioqui vir egregius haberetur, comitiisque Prætoriis candidatus in campum L. Paulo avo, & P. Africano avunculo nixus descendisset, re-

pul-

pulsa inde abiret notatus. Nam ut privatim semper continentiam probabant, ita publicè maxima cura splendoris habita est: Quocirca urbs nostra non unius convivii numerum, sed totam se in illis pelliculis jacuisse credens, ruborem ejuli suffragiis suis vindicavit.

DE P. SCIPIONE NASICA.

P. autem Scipio Nasica, togatæ potentiæ clarum lumen, is qui Consul Jugurthæ bellum indixit, qui matrem Idæam è Phrygiis sedibus, ad nostras aras, focosque migrantem sanctissimis manibus excepit: qui multas, & pestiferas seditiones autoritatis suæ robore oppressit: quo principe senatus aliquot annos gloriatus est; cùm ædilitatem curulem adolescens peteret, manumque cujusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, joci gratia interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum à circunstantibus exceptum, ad populum manavit, causamque repulsæ Scipioni attulit. Omnes nanque rusticæ tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam judicantes, iram suam adversus contumeliosam ejus urbanitatem distrinxerunt. Igitur civitas nostra nobilium juvenum ingenia ab insolentia revocando, magnos, & utiles cives fecit, honoribusque non patiendo eos à scurris peti, debitum autoritatis pondus adjecit.

DE LUCIO ÆMILIO PAULO.

Nullus error talis in L. Æmilio P. conspectus est: sed tamen aliquoties frustra consulatum petiit. Idemque, cum jam campum repulsis suis fatigasset, bis consul

sul & Censor factus est, amplissimum etiam dignitatis gradum obtinuit: cujus virtutem injuriæ non fregerunt, sed acuerunt: quoniam quidem nota ipsa accensus, cupiditatem summi honoris ardentiorem ad comitia detulit: ut populum, quem nobilitatis splendore, & animi bonis movere non potuerat, pertinacia vinceret.

DE QUINTO CÆCILIO METELLO.

Quintum autem Cæcilium Metellum pauci, & mœsti amici, consulatus repulsa afflictum tristitia, ac rubore plenum, domum reduxerunt: quem de Pseudophilippo triumphantem universus senatus lætum, & alacrem in Capitolium prosecutus erat. Achaici etiam belli, cui summam manum L. Mumius adjecit, maxima pars ab hoc viro profligata fuerat. Ei ne ergo populus consulatum negare potuit, cui mox duas clarissimas provincias, aut debebat, aut erat debiturus, Achaiam, & Macedoniam? & quidem hoc facto, meliore eo cive usus est: intellexit enim quàm industriè sibi gerendus esset consulatus, quem tanto labore impetrari senserat.

DE LUCIO SYLLA.

Quid tam excellens, quid tam opulentum, quàm L. Sylla? divitias & imperia largitus est: leges vetustas abrogavit, novas tulit: hic quoque in eodem campo, cujus postea dominus extitit, repulsa Prætura fugillatus est: omnia loca petit honoris, siquis modo deorum formam & imaginem futuræ ejus potentiæ Populo Ro. repræsentasset, impetraturus.

DE

DE M. PORTIO CATONE.

Sed ut comitiorum maximum crimen referam, M. Portius Cato plus moribus ſuis prœturæ decoris adiecturus, quàm prætexta ejus ſplendoris ipſe laturus: conſequi illam à populo aliquando non potuit. Proxima dementiæ ſuffragia, quæ quidem ſatis graves pœnas erroris ſui perpenderunt: quoniam quem honorem Catoni negaverant, Vatinio dare coacti ſunt. Ergo ſi vere æſtimare volumus, non Catoni tunc prœtura, ſed prœturæ Cato negatus eſt.

DE NECESSITATE.

CAPUT VI.

ABominandæ quoque neceſſitatis amariſſimæ leges, & truculentiſſima imperia, tum urbem noſtram, tum etiam exteras gentes multa non intellectu tantum, ſed etiam auditu gravia, perpeti coegerunt. Nam aliquot adverſis prœliis ſecundo Punico bello exhauſta militari juventute Romana, ſenatus autore Tib. Graccho conſule cenſuit, uti publicè ſervi adverſus propulſandorum hoſtium impetum emerentur: eaque de re per Tribunos plebis apud populum lata rogatione, tres creati ſunt viri, qui quatuor & viginti millia ſervorum comparaverunt: adactoſque jurejurando, ſtrenuam ſe fortemque operam daturos, quoad Pœni eſſent in Italia, datis armis in caſtra miſerunt. Ex Apulia etiam & Fidiculis ſeptuaginta atque ducenti ad ſupplementum equitatus ſunt empti. Quanta violentia eſt caſus acerbi! Quæ civitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capite cenſos habere mi-

milites faſtidierat, eadem cellis ſervilibus extracta corpora, & à paſtoralibus caſis collecta mancipia, velut prȩcipuum firmamentum, exercitui ſuo adjecit. Cedit ergo interdum generoſus ſpiritus utilitati, & fortunę viribus ſucumbit: ubi niſi tutiora elegerit conſilia, ſpecioſa ſequenti concidendum eſt.

DE CIVITATE ROMANA.

Cannenſis autem clades adeo Urbem noſtram vehementer contudit, ut opera M. Junii dictaturam Reipub. adminiſtrantis ſpolia hoſtium affixa templis, deorum numini conſecrata, inſtrumenta militiæ futura convellerentur, ac prętextati pueri arma induerent: adjudicatorum etiam, & capitali crimine damnatorum ſex millia conſcriberentur. Quę ſi per ſe aſpiciantur, aliquid ruboris habent: ſi autem admotis neceſſitatis viribus ponderentur, ſævitiæ temporis convenientia præſidia videbuntur.

DE EADEM CIVITATE.

Propter eandem cladem Senatus Octacilio, qui Siciliam, & Cornelio Mammulæ, qui Sardiniam proprætores obtinebant, querentibus quòd neque ſtipendium, neque frumentum claſsibus eorum, & exercitibus ſocii præberent: affirmantibus etiam ne habere quidem eos, unde id præſtare poſſent: reſcripſit, erarium longinquis expenſis non ſufficere. Proinde, quo pacto tantæ inopiæ ſucurrendum eſſet, ipſi viderent. His litteris quid aliud, quàm imperii ſui gubernacula è manibus abjecit? Siciliamque, & Sardiniam, benigniſsimas urbis noſtræ nutrices, gra-

gradus, & ſtabilimenta bellorum, tam multo ſudore, & ſanguine in jus ac poteſtatem redactas, paucis verbis, ita ſcilicet neceſsitate jubente, dimiſit.

DE CASILINATIBUS.

Eadem Caſilinates obſidione Annibalis clauſos, alimentorumque facultate defectos, lora neceſſariis vinculorum uſibus ſubducta, eaque ſcutis detractas pelles ferventi reſolutas aqua, mandere voluiſti. Quid illis, ſi acerbitatem caſus intueare, miſerius? ſi conſtantiam reſpicias, fidelius? qui, ne à Romanis deſciſcerent, tali uti cibi genere ſuſtinuerunt, cum pinguiſsima arva ſua, fertiliſsimoſque campos mœnibus ſuis ſubjectos intuerentur. Itaque Campanæ urbis, quę Punicam ſeritatem delitiis ſuis cupidè fovit, in propinquo ſitum Caſilinum modo rara virtute clarum, perſeverantis amicitię pignore impios oculos verberavit.

DE PRÆNESTINIS.

In illa obſidione, & fide, cum trecenti Prænestini permanerent, evenit, ut ex his quidam murem captum ducentis potius denariis vendere, quàm ipſe leniendæ famis gratia conſumere mallet. Sed credo deorum providentia effectum, ut & venditori, & emptori, quem uterque merebatur exitum attribuerit. Avaro enim fame conſumpto, manubiis ſordium ſuarum frui non licuit: æqui animi vir, ad ſalutarem impenſam faciendam, carè quidem, verum neceſſariè comparato cibo vixit.

DE

DE CIVITATE ROMANA.

C. autem Mario & Cn. Carbone Consulibus, bello civili cum L. Sylla diu identibus, quo tempore non Reip. victoria quærebatur, sed præmium victoriæ res erat publica, senatusconsulto aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus stipendia deessent, cornata sunt: digna enim causa erat, hi ne, an illi crudelitatem suam proscriptione civium satiarent, ut Dii immortales spoliarentur: Non ergo P. conscriptorum voluntas, sed tua, teterrima necessitas, truculenta manus illi consultò stylum impressit.

DE DIVO JULIO.

Divi Julii exercitus, id est, invicti ducis invicta dextera cum armis Mundam clausisset, aggerique extruendo materia deficeret: congerie hostilium cadaverum, quam desideraverat altitudinem instruxit: eamque tragulis, & pilis, quia roboreæ sudes deerant, magistra novæ molitionis necessitate usus vallavit.

DE DIVO AUGUSTO.

Atque ut divinam filii mentionem, cœlestis patris recordationi subnectam: cum effusurus se in nostras provincias Parthorum rex Phraates videretur, vicinæque imperio ejus regiones subita inducti tumultus denuntiatione quaterentur: tanta in Bosphorano tractu commeatus penuria incessit, ut sex milibus denariis singula vasa olei, frumentique modiis totidem mancipia permutarentur: sed amarissimam tempes-

tatem Auguſti cura, tutelæ tunc terrarum vacans, diſpulit.

EXTERNA.

DE CRETENSIBUS.

Cretenſibus nihil tale præſidii affulſit: qui obſidione Metelli ad ultimam uſque penuriam compulſi, ſua jumentorumque ſuorum urina ſitim toleraverunt, juſtius dixerim, quàm ſuſtentaverunt: quia dum vinci timent, id paſsi ſunt, quod eos ne victor quidem pati coëgiſſet.

DE NUMANTINIS.

Numantini autem à Scipione vallo, & aggere circundati, cum omnia, quæ famem eorum trahere poterant, conſumpſiſſent, ad ultimum humanorum corporum dapibus uſi ſunt: qua propter capta jam urbe, complures inventi ſunt, artus & membra trucidatorum corporum ſinu ſuo geſtantes. Nulla eſt in his neceſsitatis excuſatio: nam quibus mori licuit, ſic vivere neceſſe non fuit.

DE CALAGURRITANIS.

Horum trucem pertinaciam in conſimili facinore Calagurritanorum execrabilis impietas ſupergreſſa eſt: qui quò perſeverantius interempti Sertorii cineribus, obſidionem Cn. Pompeji fruſtrantes, fidem præſtarent, quia nullum jam aliud in urbe eorum ſupererat animal, uxores ſuas, natoſque ad uſum nefariæ dapis verterunt. Quoque diutius armata juventus viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infelices cadaverum reliquias ſa-

ſalire non dubitavit. Eamne unquam aliquis in acie exhortaretur, ut pro ſalute conjugum, & liberorum fortiter dimicaret? Ex hoc nimirum hoſte, tanto duci pœna magis, quàm victoria petenda fuit quia plus vindicatus libertatis, quàm victus gloriæ afferre potuit: cum omne ſerpentum, ac ferarum genus comparatione ſui titulo feritatis ſuperarit: nam quę illis dulcia vitæ pignora proprio ſpiritu chariora ſunt, ea Callagurritanis prandia, atque cœnæ extiterunt.

DE TESTAMENTIS, QUÆ RESCISSA ſunt.

CAPUT VII.

VAcemus nunc negotio, quod actorum hominis, & præcipuę curę, & ultimi eſt temporis: conſideremuſque, quę teſtamenta aut reſciſſa ſunt legitime facta, aut cum meritò reſcindi poſſent, rata manſerunt, quæ vè ad alios, quàm qui expectabant, honorem hæreditatis tranſtulerunt.

DE QUODAM MILITE.

Atque ita, ut ea ordine quo propoſui exequar: militantis cujuſdam pater, cum de morte filii falſum è caſtris nuntium accepiſſet, aliis hæredibus ſcriptis deceſsit: peractis deinde ſtipendiis, adoleſcens domum petit: errore patris, impudentia amicorum domum ſibi clauſam reperit. Quid enim illis inverecundius? florem juventę pro Rep. ablumpſerat, maximos labores, & plurima pericula toleraverat, adverſo corpore exceptas oſtendebat cicatrices: & poſtula-

bat,

bat, ne avitos ejus lares otiosa ipsi urbi onera possiderent. Itaque depositis armis, coactus est in foro togatam ingredi militiam acerbè: cum improbissimis enim heredibus de paternis bonis apud centumviros contendit: omnibusque non solum consiliis, sed etiam sententiis superior discessit.

DE FILIO M. ANCI CARSEOLANI EQUITIS Romani.

Item M. Anci Carseolani splendidissimi equitis Romani filius, à Suffenate avunculo suo adoptatus, testamentum naturalis patris, quo præteritus erat, apud centumviros rescidit, cum in eo Tullianus Pompeji Magni familiaris, ipso quidem Pompejo signatore, heres scriptus esset: itaque illi in judicio plus cum excellentissimi viri gratia, quàm cum parentis cineribus negotii fuit: ceterum quamvis utraque hæc adversus eum nitebantur, tamen paterna bona obtinuit. Nam L. quidem Sextilius & P. Popilius, quos M. Ancus sanguine sibi conjunctos eadem ex parte, qua Tullianum hæredes fecerat, sacramento cum adolescentulo contendere ausi non sunt: tametsi præcipuis eo tempore Magni viribus ad defendendas tabulas testamenti invitari poterant. Et aliquantulum adjuvabat hæredes, quòd M. Anci filius in Suffenatis familiam, ac sacra transierat, sed arctissimum inter homines procreationis vinculum, patris simul voluntatem, & principis viri autoritatem superavit.

DE TECTIO FILIO TECTII.

C. autem Tectium infantem à patre exheredatum, Petronia matre, quam Tectius quoad vixit in matri-

monio habuerat, natum, divus Augustus in bona paterna ire decreto suo jussit: patris patriæ animo usus: quoniam Tectius in proprio jure procreato filio, summa cum iniquitate paternum nomen abrogaverat.

DE SEPTITIA.

Septitia quoque mater Trachalorum Ariminensium filiis irata, in contumeliam eorum, cum jam parere non posset, Publio seni admodum nupsit, testamento etiam utroque præterito: à quibus aditus divus Augustus, & nuptias mulieris, & suprema judicia improbavit: nam hæreditatem maternam filios habere jussit: dotem, quia non creandorum liberorum causa conjugium intercesserat, virum retinere vetuit. Si ipsa æquitas hac de re cognosceret, posset ne justius aut gravius pronuntiare? spernis quos genuisti: nubis effœta: testamenti ordinem violento animo confundis: neque erubescis ei totum patrimonium addicere, cujus polluto jam corpori marcidam senectutem tuam substravisti. Ergo dum sic te geris, ad inferos usque cœlesti fulmine afflata es.

DE C. CALPURNIO PISONE.

Egregia quoque C. Calpurnii Pisonis prefecti urbis constitutio: cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat; ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset: bonorum adolescentis possessionem ei dedit, heredesque lege agere passus non est. Monuit profecto Pisonem patria majestas, donum vitæ, beneficium educationis: sed aliquid etiam ipsum flexit circunstan-

tantium liberorum numerus, quòd cum patre septem fratres impie exhęredatos videbat.

DE GENUCIO QUODAM.

Quid Mamerci Æmilii Lepidi Consulis quàm grave decretum! Genucius quidam, matris magnę Gallus, à Cn. Oreste prætore urbis impetraverat, ut restitui se in bona Neniani juberet, quorum possessionem secundùm tabulas testamenti ab ipso acceperat: appellatus Mamercus à Surdino, cujus libertus Genutium hęredem fecerat: prætoriam jurisdictionem abrogavit, quòd diceret Genutium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere. Conveniens Mamerco, conveniens principi senatus decretum, quo provisum est, ne obscœna Genutii præsentia, inquinataque voce tribunalia magistratuum, sub specie periti juris polluerentur.

DE VECILIO LENONE.

Multo Qu. Metellus prętorem urbanum severiorem egit, quàm Orestes gesserat: qui Vecilio lenoni juveni bonorum possessionem secundum tabulas testamenti non dedit: quia vir nobilissimus & gravissimus fori ac lupanaris separandam conditionem existimavit. Nec aut factum illius comprobare voluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum projecerat: aut huic tanquàm integro civi jura reddere, qui se ab omni honesto vitæ genere abruperat.

DE TESTAMENTIS QUÆ RATA MANSERUNT.

CAPUT VIII.

HIS reſciſſorum teſtamentorum exemplis contenti, attingamus ea, quæ rata manſerunt, cum cauſas haberent, propter quas reſcindi poſſent.

Quàm certę, quam etiam notæ inſanię Tuditanus, utpote qui populo nummos ſparſerit, togamque velut tragicam veſtem in foro trahens, maximo cum hominum riſu conſpectus fuerit, ac multa his conſentanea fecerit: teſtamento is filium inſtituit hæredem: quod T. Longus, ſanguine ei proximus, haſtæ judicio ſubvertere fruſtra conatus eſt. Magis enim centumviri, quod ſcriptum eſſet in tabulis, quàm quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimaverunt.

DE EBUCIA UXORE L. MENENII Agrippæ.

Vita Tuditani demens: Ebucię autem, quæ L. Menenii Agrippę uxor fuerat, tabulæ teſtamenti plenę furoris: nam cum haberet duas ſimillimæ probitatis filias Pletoniam, & Aphraniam, animi ſui potius inclinatione provecta, quàm ullis alterius injuriis, aut officiis commota, Pletoniam tantummodo hæredem inſtituit: filiis autem Aphranię ex ſuo admodum amplo patrimonio viginti mille nummûm legavit. Aphrania tum cum ſorore ſua ſacramento contendere noluit, teſtamentumque matris, patientia honorare, quàm judicio convellere ſatius eſſe duxit: eò ſe ipſam indigniorem injuria oſtendens, quò tam æquiore animo ſuſtinebat.

DE

DE Q. METELLO.

Minus mirandum errorem muliebrem Qu. Metellus fecit. Is namque plurimis, & celeberrimis ejusdem nominis viris in urbe nostra vigentibus, Claudiorum etiam familia, quam arctissimo sanguinis vinculo contingebat, florente Carinatem solum hæredem reliquit: nec hoc testamentum ejus quisquam attentavit.

DE POMPEIO RHEGINO.

Item Pompejus Rheginus, vir transalpinæ regionis, cum testamento fratris prœteritus esset, & ad coarguendam iniquitatem ejus, binas tabulas testamentorum suorum in comitio incisas, habita utriusque ordinis maxima frequentia, recitasset; in quibus magna ex parte hœres frater erat scriptus, prælegebaturque ei centies & quinquagies sestertiûm: multum ac diu inter assentientes indignationi suę amicos questus, quod ad hastę judicium attinuit, cineres fratris quietos esse passus est: & erant ab eo instituti hæredes, neque sanguine Rhegino pares, neque proximi, sed & alieni, & humiles: ut non solum flagitiosum silentium, sed etiam prælatio contumeliosa videri posset.

Æque felicis impunitatis, sed nescio an tetrioris hæc delicti testamenta.

QUI ADVERSUS OPINIONES HOMINUM hæredes habuerunt.

CAPUT IX.

DE Q. CÆCILIO, ET LUCIO LUCULLO.

QUINTUS Cęcilius L. Luculli promptiſsimo ſtudio, maximaque liberalitate, & honeſtum dignitatis gradum, & ampliſsimum patrimonium conſecutus: cum præ ſe ſemper tuliſſet, unum illum ſibi eſſe hæredem, moriens etiam annulos ei ſuos tradidiſſet, Pomponium Atticum teſtamento adoptavit, omniumque bonorum reliquit hęredem. Sed fallacis, & inſidioſi cadaver P. R. cervicibus reſte circundatum, per viam traxit: itaque nefarius homo filium quidem, & hæredem habuit, quem voluit: funus autem, & exequias quales meruit.

DE TITO MARIO URINATE.

Neque aliis dignus fuit T. Marius Urinas, qui ab infimo militiæ loco, beneficiis divi Auguſti Imperatoris, ad ſummos caſtrenſes honores perductus, eorumque uberrimis quæſtibus locuples factus, non ſolum cęteris vitæ temporibus ei ſe fortunas ſuas relinquere, à quo acceperat, prædicavit: ſed etiam pridie quàm expiraret, idem iſtud ipſi Auguſto dixit: cum interim ne nomen quidem ejus tabulis teſtamenti adjecerit.

DE L. VALERIO, ET COR. BALBO.

L. autem Valerius, cui cognomen Heptachordo fuit togatum hoſtem Cornelium Balbum expertus, ut-

po-

pote opera ejus, & consilio, compluribus privatis vexatus litibus, ad ultimumque subjecto accusatore capitali crimine accusatus: præteritis advocatis, & patronis suis, solum hæredem reliquit: nimia consternatione quæ animum ejus transversum egit depravatus. Amavit enim sordes suas, & dilexit pericula, & damnationem votis expetivit: autorem harum rerum benevolentia, propulsatores odio insecutus.

DE TITO BARRULO, ET LENTULO.

T. Barrulus Lentulo Spintheri, cujus amantissimum animum, liberalissimamque senserat amicitiam, decedens suos annulos, perinde atque unico hæredi tradidit, quem nulla ex parte hæredem relinquebat. Quantum illo momento temporis conscientia (si modo vires, quas habere creditur, possidet) à teterrimo homine supplicium exegit! inter ipsam enim fallacis, & ingratæ culpæ cogitationem, spiritum posuit, quasi tortore aliquo mentem ejus interius cruciante: quòd animadvertebat è vita ad mortem transitum suum, & superis diis invisum esse, & inferis detestabilem futurum.

DE M. POPILIO.

M. verò Popilius senatorii ordinis Oppium Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi, moriens pro vetusto jure amicitiæ, & vultu benigno respexit, & verbis magnum præ se amorem ferentibus prosecutus est: unum etiam de multis, qui assidebant, ultimo complexu, & osculo dignum judicavit: super quæ annulos quoque suos ei tradidit: videlicet nequid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos Oppius vir diligens, sed morientes amici plenum contumeliæ ludibrium, in loculum repositos, & à præ-

sentibus assignatos, diligentissime hæredibus illius, exhæres ipse reddidit. Quid hoc loco inhonestius? aut qui intempestivius? senator P. R. curia egressus, homo vitæ fructibus continuò carituras, sanctissima jura familiaritatis morte pressis oculis, & spiritu supremos anhelitus reddente, scurrili lusu sugillanda sibi desumpsit.

VAL. MAXIMI

LIBER OCTAVUS.

INFAMES REI QUIBUS EX CAUSIS ABSOLUTI, aut damnati sunt.

CAPUT I.

DE M. HORATIO.

NUNC quoque ut æquiore animo ancipites judiciorum motus tolerentur, recordemur invidia laborantes, quibus de causis, aut absoluti sunt, aut damnati.

M. Horatius interfectæ sororis crimine à Tullo Rege damnatus, ad populum provocato judicio absolutus est: quorum alterum atrocitas necis movit, alterum causa flexit: quia immaturum virginis amorem severe magis, quam impiè punitum existimabat. Itaque forti punitione liberata fratris dextera, tantum consanguineo, quantum hostili cruore gloriæ haurire potuit. Acrem se tunc pudicitiæ custodem

Populus Romanus, poſtea plus juſto placidum judicem præſtitit.

DE SERGIO GALBA.

Cum à Libone Trib. Pleb. Sergius Galba pro roſtris vehementer increparetur, quòd Luſitanorum magnam manum, interpoſita fide, Prætor in Hiſpania interemiſſet, actionique tribunitiæ M. Cato ultimæ ſenectutis oratione ſua, quam in Originibus retulit, ſubſcriberet: reus pro ſe jam nihil recuſans, parvulos liberos ſuos, & Galli ſanguine conjunctum filium, flens commendare cœpit: eoque facto mitigata concione, qui omnium conſenſu periturus erat, penè nullum triſte ſuffragium habuit. Miſericordia ergo illam quæſtionem, non æquitas texit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequierat abſolutio, reſpectui puerorum data eſt. Conſentaneum quod ſequitur.

DE A. GABINIO.

A. Gabinius in maximo infamiæ ſuæ ardore ſuffragiis populi Memmio accuſatore ſubjectus, abruptæ eſſe ſpei videbatur: quoniam & accuſatio partes ſuas plene exhibebat, & defenſionis præſidia invalida fide nitebantur: & qui judicabant, ira perciti, pœnam hominis cupidè expectabant. Igitur lictor, & carcer ante oculos obverſabantur, cum interim omnia iſta propitiæ fortunæ interventu depulſa ſunt: filius namque Gabinii Siſenna, conſternationis impulſu, ad pedes ſe Memmii ſupplex proſtravit, indè aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempeſtatis eruperat: quem truci vultu à ſe victor inſolens repulſum, excuſſo è manu annulo humi jacere aliquan-

quandiu paſſus eſt. Quod ſpectaculum fecit, ut Lęlius Trib.Pleb.approbantibus cunctis Gabinium dimitti juberet, ac documentum daretur, neque ſecundarum rerum proventu inſolenter abuti, neque adverſis propere quemquam debilitari oportere. Idque proximo exemplo æque patet.

DE APPIO CLAUDIO.

Appius Claudius neſcio religionis major, an patriæ injuria (ſiquidem illius vetuſtiſsimum morem neglexit, hujus pulcherrimam claſſem amiſit) infeſto populo objectus, cum effugere debitam pœnam nullo modo poſſe crederetur, ſubito coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione: diſcuſſa enim quæſtione, aliam velut Diis interpellantibus, de integro inſtaurari non placuit. Ita cui maritima tempeſtas cauſę dictionem contraxerat, cœliſtis ſalutem attulit.

DE TUCIA VIRGINE DEÆ VESTÆ.

Eodem auxilii genere Tucię virginis Veſtalis inceſti criminis reæ caſtitas infamię nube obſcurata emerſit: quæ conſcia certæ ſinceritatis ſuæ, ſpem ſalutis ancipiti argumento petere auſa eſt: arrepto enim cribro, Veſta, inquit, ſi ſacris tuis caſtas ſemper admovi manus, effice ut hoc hauriam ex Tiberi aquam, & in ędem tuam perferam: audacter, & temere jactis votis ſacerdotis, rerum ipſa natura ceſsit.

DE LUCIO PISONE.

Item L. Piſo à L.Claudio pulchro accuſatus, quòd graves & intolerabiles injurias ſociis intuliſſet: haud dubiæ ruinę metum fortuito auxilio vitavit. Nanque per id ipſum tempus, quo triſtes de eo ſententię ferebantur

bantur, repentina vis nimbi incidit: cumque prostratus humi pedes judicum oscularetur, os suum cœno replevit. Quod conspectum, totam quæstionem à severitate ad clementiam & mansuetudinem transtulit: quia satis tam graves eum pœnas sociis dedisse arbitrati sunt, huc deductum necessitatis, ut abjicere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur. Subnectam duos accusatorum suorum culpa absolutos.

DE Q. FLAVIO.

Quintus Flavius Augur à C. Valerio ædili apud populum reus actus, cum quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset, proclamavit se innocentem opprimi. Cui Valerius æquè clara voce respondit, nihil sua interesse, nocens ne, an innoxius periret, dummodo periret. Qua violentia dicti, reliquas tribus adversario donavit. Abjecerat inimicum: eundem, dum pro certo pessundatum credidit, erexit: victoriamque in ipsa victoria perdidit.

DE CAIO COSCONIO.

Cajum etiam Cosconium Servilia lege reum, propter plurima, & evidentissima facinora, sine ulla dubitatione nocentem, Valerii Valentini accusatoris ejus recitatum in judicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuam virginem à se corruptum poëtico joco significaverat, erexit. Siquidem judices iniquum rati sunt, eum victorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se date merebatur. Magis ergo Valerius in Cosconii absolutione damnatus, quàm Cosconius in causa sua liberatus est.

DE

DE A. ATTILIO CALATINO.

Attingam eos quoque quorum ſalus propriis obrutа criminibus, proximorum claritati donata eſt. A. Attilium Calatinum Soranorum oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis damnationis periculo, Qu. Maximi ſoceri pauca verba ſubtraxerunt: quibus affirmavit, ſi in eo crimine ſontem illum ipſe comperiſſet, direpturum ſe fuiſſe affinitatem: continuo enim populus penè jam exploratam ſententiam ſuam, unius judicio conceſsit: indignum ratus ejus teſtimonio non credere, cui difficillimis Reipublicæ temporibus, bene ſe exercitus credidiſſe meminerat.

DE M. ÆMILIO SCAURO.

M. quoque Æmilius Scaurus repetundarum reus adeo perditam, & comploratam defenſionem in judicium attulit, ut cùm accuſator diceret, lege ſibi centum atque viginti hominibus denuntiare teſtimonium licere: ſeque non recuſare, quo minus abſolveretur, ſi totidem nominaſſet, quibus in provincia nihil abſtuliſſet: tam bona conditione uti non potuit: tamen propter vetuſtiſsimam nobilitatem, & recentem memoriam patris, abſolutus eſt.

DE COTTA.

Sed quemadmodum ſplendor ampliſsimorum virorum in protegendis reis plurimum valuit, ita in opprimendis non ſanè multum potuit: quinetiam evidenter noxiis, dum eos acriùs impugnat, profuit. L. Scipio Æmilianus Cottam apud populum accuſavit, cujus cauſa quamvis graviſsimis criminibus erat con-

fossa, septies ampliata, & ad ultimum octavo judicio absoluta est: quia homines verebantur, ne præcipuæ accusatoris amplitudini damnatio ejus donata existimaretur. Quos hæc secum locutos crediderim: Nolumus caput alterius petentem, in judicium triumphos, & trophæa, spoliaque, ac devictarum navium rostra deferre: terribilis sit is adversus hostem: civis vero salutem, tanto fulgore gloriæ subnixus, ne insequatur. Tam vehementes hi judices adversus excellentissimum accusatorem, quam illi mites in longe inferioris fortunæ reo.

DE CALLIDIO BONONIENSI.

Callidius Bononiensis in cubiculo mariti nocte deprehensus, cum ob id causam adulterii diceret, inter maximos & gravissimos infamiæ fluctus emersit, tanquam fragmentum naufragii, leve admodum genus defensionis amplexus: affirmavit enim se ob amorem pueri sui eò esse perductum. Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matrisfamiliæ persona, suspecta etiam adolescentia ipsius, sed crimen adulterii libidinis intemperantis confessio liberavit.

DE CABLIIS FRATRIBUS, ET FILIIS Titi Cœlii.

Remissioris hoc, illud aliquanto gravioris materiæ exemplum. Cum parricidii causam duo fratres Cœlii dicerent, splendido Terracinæ loco nati, quorum pater Titus Cælius in cubiculo quiescens, filiis altero cubantibus lecto, erat interemptus: neque aut servus quisquam, aut liber inveniretur, ad quem suspicio cædis pertineret: hoc uno nomine absoluti sunt, quia ju-

judicibus planum factum est, illos aperto ostio inventos esse dormientes: somnus innoxiæ securitatis certissimus index miseris opem tulit. Judicatum est enim rerum naturam non recipere, ut occiso patre supra vulnera, & cruorem ejus, quietem capere potuerint.

DE LUCIO SCIPIONE.

Percurremus nunc eos, quibus in causæ dictione magis quæ extra quæstionem erant, nocuerunt, quam sua innocentia opem tulit. L. Scipio post speciosissimum triumphum de Rege Antiocho ductum, perinde ac si pecuniam ab eo accepisset, damnatus est: non puto quòd pretio corruptus fuerat, ut illum totius Asiæ dominum, & jam Europæ victrices manus injicientem, ultra Taurum montem summoveret: sed alioqui vir sinceriſsimæ vitæ, & ab hac suspicione procul remotus, invidiæ, quæ tunc in duorum fratrum inclytis cognominibus habitabat, resistere non potuit.

DE PUBLIO FURIO.

At Scipioni quidem maximus fortunæ fulgor, C. autem Deciano spectatæ integritatis viro, vox sua exitium attulit. Nam cum P. Furium inquinatissimæ vitæ pro rostris accusaret, quia quadam in parte actionis de morte Lucii Saturnini queri ausus fuerat: nec reum damnavit, & insuper ei pœnas addictas pependit.

DE TITIO SEXTO.

Sextum quoque Titium similis casus prostravit: erat innocens agraria lege lata gratiosus apud populum: tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota concio oppressit.

DE

DE CLAUDIA.

Adjiciatur his Claudia, quam insontem crimine quo accusabatur, votum impium subvertit: quia cum à ludis domum rediens turba elideretur, optaverat, ut frater suus maritimarum virium nostrarum præcipua jactura reviviscceret, sæpiusque Consul factus, infelici ductu nimis magnam urbis frequentiam minueret.

DE M. MILITIO, CN. LOLIO, ET L. SEXTILIO.

Possumus & ad illos brevi diverticulo transgredi, quos leves ob causas damnationis incursus abripuit. M. Militius, Cneus Lolius, L. Sextilius triumviri, quòd ad incendium in sacra via ortum extinguendum tardius venerant, à Trib. Pleb. die dicta ad populum damnati sunt.

DE PUB. BILIO TRIUMVIRO.

Item P. Bilius triumvir nocturnus à P. Aquilio Trib. Pleb. accusatus, populi judicio concidit: quia vigilias negligentius circumierat.

DE M. ÆMILIO PORCINA.

Admodum severę notę & illud populi judicium, cum M. Æmilium Porcinam à L. Cassio accusatum crimine nimis sublimè extructæ villę in Allienſi agro, gravi multa affecit.

DE QUODAM INDULGENTE IN PUERUM.

Non supprimenda illius quoque damnatio, qui puerili sui nimio amore corruptus, rogatus ab eo ruri ut omasum in cœnam fieri juberet: cum bubulę car-

carnis in propinquo emendæ nulla facultas esset: domito bove occiso, desiderium ejus explevit: eoque nomine publica quæstione afflictus est: innocens, nisi tam prisco seculo natus esset.

DE QUADAM MULIERE, QUÆ MATREM interfecit.

Atque ut eos quoque referamus, qui in discrimen capitis adducti, neque damnati, neque absoluti sunt: apud M. Popilium Lenatem prætorem, quædam, quòd matrem percussam fuste interemerat, causam dixit: de qua neutram in partem latę sententiæ sunt: quia abunde constabat, eandem veneno necatorum liberorum dolore commotam (quos avia filię infensa sustulerat) parricidium ultam esse parricidio: quorum alterum ultione dignum, alterum absolutione non dignum judicatum est.

DE QUADAM MULIERE, QUÆ VIRUM & filium interemit.

Eadem hæsitatione Publii quoque Dolabellæ, proconsulari imperio Asiam obtinentis, animus fluctuatus est. Materfamilias Smyrnęa virum & filium interemit, cum ab iis optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset. Quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegavit: quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam justo dolore impulsam, sustinebat. Considerantes, & mansuete populi Rom. magistratus; sed Areopagitæ quoque non minus sapienter. Qui inspecta causa, & accusatorem, & ream post centum annos adesse jusserunt: eodem affectu moti, quo Dolabella. Sed ille

transf-

transferendo quæstionem, hi differendo damnandi, atque absolvendi inexplicabilem cunctationem invitabant.

DE PRIVATIS JUDICIIS.

CAPUT II.

PUblicis judiciis adjiciam privata, quorum magis æquitas quærentium delectare, quàm immoderata turba lectorem offendere poterit.

Claudius Centumalus ab auguribus jussus altitudinem domus suæ, quam in Cælio monte habebat, summittere, quia his ex arce augurium capientibus officiebat, vendidit eam Calpurnio Lanario; nec indicavit, quòd imperatum à collegio augurum erat, à quibus Calpurnius demoliri domum coactus, M. Porcium Catonem inclyti Catonis patrem arbitrum cum Claudio adduxit, & formulam daret, QUID SIBI DE EA RE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. Cato ut est edoctus, de industria Claudium edictum sacerdotum suppressisse, continuo illum Calpurnio damnavit. Summa quidem cum æquitate: quia bonæ fidei venditorum nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet. Notum suis temporibus judicium commemoravi: sed nec quod relaturus quidem sum, obliteratum est silentio.

DE C. VISELLIO.

C. Visellius Varro gravi morbo correptus, * trecenta millia nummûm ab Otacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est: eo consilio, ut si decessisset, ab hæredi-

ribus eam ſummam peteret, quam legati genus eſſe voluit, libidinoſam liberalitatem debiti nomine colorando: evaſit deinde Viſellius ex illa tempeſtate adverſus vota Octaciliæ: quæ offenſa, quod ſpem prædæ ſuæ morte non maturaſſet, ex amica obſequenti, ſubito diſtrictam fœneratricem agere cœpit, nummos petendo, quos ut fronte inverecunda, ita inani ſtipulatione captaverat: de qua re Caius Aquilius, vir magnæ autoritatis, & ſcientia juris civilis excellens, judex adductus, adhibitis in conſilium principibus civitatis, prudentia, & religione ſua mulierem repulit. Quòd ſi eadem formula & Varro damnari, & adverſaria abſolvi potuiſſet, ejus quoque non dubito quin turpem & inconceſſum errorem libenter caſtigaturus fuerit. Nunc privatæ actionis calumniam ipſe compeſcuit, adulterii crimen publicæ quæſtioni judicandum reliquit.

DE CAIO MARIO.

Multo animoſius, & ut militari ſpiritu dignum erat, ſe in conſimili genere judicii C. Marius geſſit: nam cum Caius Ticinius Minturnenſis Fauniam uxorem, quam impudicam de induſtria duxerat, eo crimine repudiatam, dote ſpoliare conaretur: ſumptus inter eos judex, in conſpectu habita quæſtione, ſubductum Ticinium monuit, ut incepto deſiſteret, ac mulieri dotem redderet. Quod cum ſæpius fruſtra feciſſet, coactus ab eo ſententiam pronuntiare: mulierem impudicitiæ ream ſeſtertio nummo, Ticinium ſummia totius dotis damnavit: præfatus ideo ſe hunc judicandi modum ſecutum, quòd liqueret ſibi, Ticinium patrimonio Fanniæ inſidias ſtruentem, impudicæ conjugium expetiſſe. Fannia autem hæc eſt, quæ po-

postea Marium hostem a Senatu judicatum, cœnoque paludis, qua extractus erat, oblitum, etiam in domum suam custodiendum Minturnis deductum, ope quantacunque potuit, adjuvit: memor quòd impudica judicata esset suis moribus, quòd dotem servasset, illius religioni acceptum ferri debere.

DE QUODAM DAMNATO FURTI.

Multus sermo eo etiam judicio manavit, in quo quidam furti damnatus est, quòd equo, cujus usus illi usque Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivo vectus esset. Quid aliud hoc loci, quàm verecundiam illius seculi laudemus, in quo tam minuti à pudore excessus puniebantur?

QUÆ MULIERES APUD MAGISTRATUS PRO SE, aut aliis causas egerunt.

CAPUT III.

DE AMESIA.

NE de his quidem fœminis tacendum est, quas conditio naturę, & verecundię stola ut in foro & judiciis tacerent, cohibere non valuit.

Amesia prætoris sententia rea, causam suam Lucio Titio Prætore judicium cogente, populi maximo concursu egit: motusque omnes, ac nervos defensionis non solum diligenter, sed etiam fortiter executa, prima actione cunctis fere sententiis liberata est: quam, quia sub specie fœminæ virilem animum gerebat, Androgynem appellabant.

DE AFFRANIA UXORE LICINII Bructionis.

Caja Affrania verò Licinii Bructionis ſenatoris uxor prompta ad lites contrahendas, pro ſe ſemper apud prætorem verba fecit: non quòd advocatis deficiebatur, ſed quòd impudentia abundabat. Itaque inuſitatis foro latratibus aſsidue tribunalia exercendo, muliebris calumniæ evaſit exemplum: adeo ut pro crimine improbis fœminarum moribus Affraniæ nomen objiciatur: prorogavit autem ſpiritum ſuum ad C. Cæſarem tertium, itemque M. Servilium conſulem; tale enim monſtrum magis, quo tempore extinctum, quàm quo ſit ortum memoriæ tradendum eſt.

DE HORTENSIA FILIA QUINTI Hortenſii.

Hortenſia verò Qu. Hortenſii filia, cum ordo matronarum gravi tributo à triumviris eſſet oneratus, nec quiſquam virorum patrocinium eis accommodare auderet: cauſam fœminarum apud triumviros & conſtanter, & feliciter egit. Repræſentata enim patris facundia, impetravit, ut major pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Revixit cum muliembri ſtirpe Q. Hortenſius, verbiſque filiæ aſpiravit: cujus ſi virilis ſexus poſteri vim ſequi voluiſſent, Hortenſianæ eloquentiæ tanta hæreditas una fœminæ actione abſciſſa non eſſet.

DE

DE QUÆSTIONIBUS.

CAPUT IV.

ATQUE, ut omnes judiciorum numeros exequamur, quæstiones quibus aut creditum non est, aut temere habita fides est, referamus.

M. Agrii argentarii servus, Alexandrum Titi Fannii servum occidisse insimulatus est, eoque nomine tortus à domino, admisisse id facinus constantissime asseveravit. Itaque Fannio deditus, supplicio affectus est: parvulo deinde tempore interjecto, ille, cujus de nece creditum erat, domum rediit.

DE ALEXANDRO SERVO FANII.

Contrà Fannii Servus Alexander, cum in suspicionem C. Fl. equitis Romani occisi venisset, septies tortus, pernegavit ei se culpæ affinem fuisse: sed perinde atque confessus, & à judicibus damnatus, & à L. Calpurnio triumviro in crucem actus est.

DE FULVIO FLACCO.

Item Fulvio Flacco causam dicente, Philippus servus ejus, in quo tota quæstio nitebatur, octies tortus, nullum omnino verbum, quo dominus perstringeretur, emisit: & tamen reus damnatus est: cum certius argumentum innocentiæ unus octies tortus exhiberet, quàm octo semel torti præbuissent.

DE TESTIBUS.

CAP. V.

DE C. ET QU. SERVILIIS.

SEQUITUR, ut ad teſtes pertinentia exempla commemorem. C. & Qu. Serviliis Cepionibus iiſdem parentibus natis, & per omnes honorum gradus ad ſummam amplitudinem provectis: item fratribus Metellis Quinto & Lucio conſularibus, & cenſoriis, altero etiam triumphali, in Qu. Pompejum Aufidium repetundarum reum acerrime dicentibus teſtimonium, non abrogata fides, abſoluto Pompejo, ſed ne potentia inimicum oppreſsiſſe viderentur, occurſum eſt.

DE MARCO ÆMILIO SCAURO.

M. etiam Æmilius Scaurus princeps ſenatus C. Memium repetundarum reum diſtricto teſtimonio inſecutus eſt. Item C. Flavium eadem lege accuſatum teſtis proſcidit. Nam C. Norbanum majeſtatis crimine, publicæ ſubjectum quæſtioni, ex profeſſo opprimere conatus eſt: nec tamen aut autoritate, qua plurimum pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quenquam illorum affligere potuit.

DE LUCIO CRASSO.

L. quoque Craſſus tantus apud judices, quantus apud P. C. Æmilius Scaurus: namque eorum ſuffragia robuſtiſsimis & felicſsimis eloquentiæ ſtipendiis regebat, eratque ſic fori, ut ille curiæ princeps: cum vehementiſsimum teſtimonii fulmen in M. Marcellum reum injeciſſet, impetu gravis, exitu vanus apparuit.

DE

DE Q. METELLO PIO, L. MARCO, QU. Hortensio, & M. Lepido.

Age Qu. Metellus pius, L. Marcus Lucullus, Q. Hortensius, M. Lepidus, Cn. Cornelium majestatis reum, non modo testes onerarunt, sed etiam negantes illo incolumi stare Rempub. posse, depoposcerunt. Quę decora civitatis (pudet referre) umbone judiciali repulsa sunt.

DE M. CICERONE.

Quid M. Cicero forensi militia summos honores, ampliſsimumque dignitatis locum adeptus, nonne in ipsis eloquentiæ suæ castris testis abjectus est, dum P. Clodium Romę apud se fuisse juravit, illo sacrilegum flagitium uno absentię argumento tuente? siquidem judices Clodium incesti crimine, quàm Ciceronem infamia perjurii liberare maluerunt.

DE P. SERVILIO CONSULARI.

Tot elevatis testibus, unum, cujus novâ ratione judicium ingressa auctoritas confirmata est, referam. P. Servilius Consularis, Censorius, Triumphalis, qui majorum suorum titulis Isaurici cognomen adjecit; cum forum prętereiens testes in reum dari vidisset, loco testis constitit, ac per summam inter patronorum pariter & accusatorum admirationem sic orsus est: Hunc ego, judices, qui causam dicit, cujas sit, aut quam vitam egerit, quamque merito, vel injuria accusetur, ignoro: illud tantum scio, cum occurrisset mihi Laurentina via iter facienti, admodum angusto loco, equo descendere noluisse. Quod an aliquid ad religionem vestram pertineat, ipsi æstimabitis: ego id supprimen-

dum non putavi. Judices reum, vix auditis cæteris testibus, damnaverunt. Valuit enim apud eos, tum amplitudo viri, tum gravis neglectæ dignitatis ejus indignatio: eumque, qui venerari principes nesciret, in quodlibet facinus procursurum crediderunt.

QUI, QUÆ IN ALIIS VINDICARANT, IPSI commiserunt.

CAPUT VI.

NE illos quidem latere patiamur, qui quæ in aliis vindicarunt, ipsi commiserunt. C. Licinius cognomine Hoplomachus, à Prętore postulavit, ut patri suo bonis, tanquam ea dissipanti, interdiceretur. Et quidem quod petierat impetravit: Sed ipse parvo postea tempore mortuo sene, ampla ab eo relicta latifundia festinanter consumpsit. Dignus hac vicissitudine pœnæ fuit: quoniam hęreditatem absumere, quàm hęredem maluit tollere.

DE CAIO MARIO.

Cajus autem Marius, cum magnum & salutarem Reipublicæ civem in L. Saturnino opprimendo egisset, à quo in modum vexilli pileum servituti ad arma capienda ostentatum erat: L. Sylla cum exercitu in urbem irrumpente, ad auxilium servorum pileo sublato confugit. Itaque dum facinus, quod punierat, imitatur, alterum Marium, à quo affligeretur, invenit.

DE MARCO LICINIO STOLONE.

Marcus vero Licinius Stolo, cujus beneficio plebi petendi consulatum potestas facta est, cum lege san-

ſanxiſſe, nequis amplius quàm quingenta agri jugera poſſideret: ipſe mille comparavit, diſſimulandique criminis gratia, dimidiam partem filio emancipavit, quam ob cauſam à M. Popilio Lenate accuſatus primus ſua lege cecidit: ac docuit nihil aliud præcipi debere, niſi quod prius quiſque ſibi imperaverit.

DE QUINTO VARIO TRIBUNO.

Quintus autem Varius, propter obſcurum jus civitatis Ibrida cognominatus, Trib. Pleb. legem adverſus interceſsionem collegarum prorogavit: qua jubebat quæri quorum dolo malo ſocii ad arma ire coacti eſſent, magna cum clade Reipublicæ: ſociale enim prius, deinde civile bellum excitavit. Sed dum antè peſtiferum Trib. Pleb. quàm certum civem agit, ſua lex eum domeſticis laqueis conſtrictum abſumpſit.

DE STUDIO, ET INDUSTRIA.

CAPUT VII.

QUID ceſſo vires induſtriæ commemorare? cujus alacri ſpiritu militiæ ſtipendia roborantur: forenſis gloria accenditur, fido ſinu cuncta ſtudia recepta nutriuntur: quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua admirabile eſt, ad cumulum laudis perducitur: quæ cum perfectiſsima ſit virtus, eam tamen durâmento ſui confirmat.

DE CATONE SUPERIORE.

Cato ſextum & octogeſimum annum agens, dum in Rep. tuenda juvenili animo perſtat, ab inimicis capitali crimine accuſatus, cauſam ſuam egit, neque aut

aut memoriam ejus quiſquam tardiorem, aut firmitatem lateris ulla ex parte quaſſatam, aut os hęſitatione impeditum, animadvertit: quia ſcilicet omnia iſta in ſtatu ſuo æquali, ac perpetua induſtria continebat: quin etiam in ipſo diutiſsimè actæ vitæ fine diſertiſsimi oratoris Galbę accuſationi, defenſionem ſuam pro Hiſpania oppoſuit.

Idem Græcis literis erudiri concupivit: quàm ſero indè ęſtimemus, quòd etiam Latinas penè jam ſenex didicit: cumque eloquentia magnam jam gloriam partam haberet, id egit, ut juris civilis quoque eſſet peritiſsimus.

DE INFERIORE.

Cujus mirifica proles Cato, propior noſtrę ætati, ita doctrinę cupiditate flagravit, ut ne in curia quidem, dum ſenatus cogitur, temperaret ſibi, quo minus Grękos libros lectitaret. Qua quidem induſtria oſtendit, aliis tempora deeſſe, alios temporibus ſupereſſe.

DE TERENTIO VARRONE.

Terentius autem Varro humanæ vitę exemplum, ætatiſque ſpatium nominandus: non annis, quibus ſeculi tempus ęquavit, quàm ſtylo vivacior fuit. In eodem enim lectulo & ſpiritus ejus, & egregiorum operum curſus extinctus eſt.

DE LIVIO DRUSO.

Conſimilis perſeverantię Livius Druſus, qui & ętatis viribus, & acie oculorum defectus, jus civile populo benigniſsime interpretatus eſt: utiliſsimeque diſcere id cupientibus monimenta compoſuit. Nam

ut ſenem illum natura, & cæcum fortuna facere potuit; ita neutra interpellare valuit, ne non animo & videret, & vigeret.

DE P. SENATORE, ET LUCIO PONTIO equite Romano.

Publius vero Senator, & Lucius Pontius eques Romanus, ſuis temporibus celebres cauſarum actores, luminibus capti, eadem induſtria forenſia ſtipendia executi ſunt. Itaque frequentius etiam audiebantur concurrentibus aliis, quia ingenio eorum delectabantur, aliis quia conſtantiam admirabantur. Nanque tali incommodo perculſi receſſum petunt, duplicant tenebras, fortuitis voluntarias adjicientes.

DE PUBLIO CRASSO.

Jam P. Craſſus, cum in Aſiam ad Ariſtonicum regem debellandum Conſul veniſſet, tanta cura Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque diviſam genera, per omnes partes, ac numeros penitus cognoſceret. Quæ res maximum ei ſociorum amorem conciliavit, qua quis eorum lingua apud tribunal ejus poſtulaverat, eadem decreta reddenti.

DE ROSCIO.

Ne Roſcius quidem ſubtrahatur ſcenicæ induſtriæ notiſsimum exemplum, qui nullum unquam ſpectanti populo geſtum, niſi quem domi meditatus fuerat, ponere auſus eſt. Quapropter non ludicra ars Roſcium, ſed Roſcius ludicram artem commendavit: nec vulgi tantum favorem, verum etiam principum familiaritates amplexus eſt. Hæc ſunt attenti, & anxii, & nunquam ceſſantis ſtudii præmia, propter quæ tantorum virorum

rum laudibus non impudenter se persona Histrionis inseruit.

EXTERNA.

DE DEMOSTHENE.

Græca quoque industria, quoniam nostræ multum profuit, quem meretur fructum, Latina lingua recipiat. Demosthenes, cujus commemorato nomine, maximè eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur, cum inter initia juventæ, artis quam affectabat, primam litteram dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnavit, ut ea à nullo expressius referretur. Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad maturum, & gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, à labore mutuatus est. Multos enim versus uno impetu spiritus complectebatur, eosque adversa loca celeri gradu scandens, pronuntiabat. Ac vadosis littoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat: ut ad fremitus concitatarum concionum, patientia duratis auribus, in actionibus utereter. Fertur quoque ore insertis calculis multum ac diu loqui solitus, quò vacuum promptius esset, & solutius. Præliatus est contra rerum naturam, & quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est.

DE PYTHAGORA PHILOSOPHO.

Atque, ut ad vetustiorem industriæ actum transgrediar, Pythagoras perfectissimum opus sapientiæ a ju-

juventa pariter & omnis honestatis percipiendę cupiditatem ingressus (nihil enim, quod ad ultimum sui perventurum est finem, non & mature & celeriter incepit) Ægyptum petiit, ubi litteris gentis ejus assuefactus, præteriti ęvi sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium seculorum observationes cognovit. Inde ad Persas profectus, magnorum exactissimę prudentiæ se formandum tradidit, à quibus siderum motus, cursusque stellarum, & uniuscujusque rei proprietatem, & effectum benignissime demonstratum docili animo sumpsit. Cretam deinde, & Lacedęmona navigavit, quarum legibus, ac moribus inspectis, ad Olympicum certamen descendit. Cumque multiplicis scientiæ maxima totius Græciæ admiratione specimen exhibuisset, quo cognomine censeretur interrogatus, non se *sapientem* (jam enim illud septem sapientes viri occupaverant) sed *amatorem sapientiæ*, id est Græce *Philosophon* esse respondit. In Italię etiam partem, quæ tunc major Græcia appellabatur, perrexit, in qua plurimis & opulentissimis urbibus effectus suorum studiorum approbavit: cujus ardentem rogum plenum venerationis oculis Metapontus aspexit: operum Pythagoræ, quàm suorum cinerum nobilius clariusque monimentum.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Plato autem patriam Athenas, prœceptorem Socratem sortitus, & locum, & hominem doctrinæ fertilissimum, ingenii quoque divina instructus abundantia, cum omnium jam mortalium sapientissimus haberetur: eò quidem usque, ut si ipse Jupiter cœlo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundia usurus videretur: Ægyptum peragravit, ubi à sacerdoti-

dotibus ejus gentis Geometriæ multiplices numeros, cœlestium observationem rationum percepit: quoque tempore à studiosis juvenibus certatim Athenæ Platonem doctorem quærentibus petebantur: ipse Nili fluminis inexplicabiles ripas, vastissimosque campos, effusam barbariem, & flexuosos fossarum ambitus Ægyptiorum senum discipulus lustrabat. Quo minus miror in Italiam transgressum, ut ab Archyta Tarenti, à Timæo, & Arione, & Ceto, Locris Pythagoræ præcepta, & instituta acciperet. Tanta enim vis, tanta copia litterarum undique colligenda erat, ut invicem per totum terrarum orbem dispergi, & dilatari posset. Altero etiam & octogesimo anno decedens sub capite Sophronis mimos habuisse fertur: sic ne extrema quidem ejus hora agitatione studii vacua fuit.

DE DEMOCRITO PHILOSOPHO.

At Democritus, cum divitiis censeri posset, quæ tantæ fuerunt, ut pater ejus Xersis exercitui epulum dare facile potuerit: quo magis vacuo animo studiis litterarum esset operatus, parva admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donavit. Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam, & exercendam doctrinam conferens, ignotus illi urbi vixit, quod ipse quodam volumine testatur. Stupet mens admiratione tantæ industriæ, & jam transit aliò.

DE CARNEADE PHILOSOPHO.

Carneades laboriosus, & diuturnus miles sapientiæ, siquidem nonagesta expletis annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit: ita se mirificum doctrinæ operibus addixerat, ut cùm cibi capiendi causâ re-

recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur. Sed eum Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia animo, non interpellandi, sed inediæ succurrendi officio, dexteram suam necessariis usibus aptabat. Ergo animo tantummodo vita fruebatur: corpore verò quasi alieno & supervacuo circumdatus erat. Idem cum Chrysippo disputaturus helleboro se ante purgabat, ad exprimendum ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solidæ laudis cupidis effecit appetendas.

DE ANAXAGORA PHILOSOPHO.

Quali porro studio Anaxagoram flagrasse credimus? qui cum post diutinam peregrinationem patriam repetisset, possessionesque desertas vidisset, Non essem, inquit, ego salvus, nisi istæ periissent. Vocem peritæ sapientiæ compotem. Nam si prædiorum potius, quàm ingenii culturæ vacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, nec tantus Anaxagoras ad eos rediisset.

DE ARCHIMEDE PHILOSOPHO.

Archimedis quoque fructuosam industriam fuisse dicerem, nisi eadem illi & dedisset vitam, & abstulisset. Captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus ejus multum ac diu victoriam suam inhibitam senserat: eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur edixit, penè tantum gloriæ in Archimede servato, quantum in oppressis Syracusis reponens. At is dum animo & oculis in terram defixis formas describit, militi, qui prædandi gratia domum irruperat, strictoque super caput gladio, quisnam

nam esset, interrogabat: propter nimiam cupiditatem investigandi, quod requirebat, nomen suum indicare non potuit. Sed protecto manibus pulvere, noli, inquit, obsecro, istum circulum disturbare. Ac perinde quasi negligens imperii victoris, obtruncatus, sanguine suo, artis suæ lineamenta confudit. Quo accidit ut propter idem studium modò donaretur vita, modò spoliaretur.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Socratem etiam constat ætate provectum fidibus tractandis operam dare cœpisse: satius judicantem, ejus artis usum serò, quàm nunquam percipere. Et quantula Socrati accessio scientiæ erat? sed pertinax hominis industria, tantis ista futuræ doctrinæ suę divitiis etiam Musicę rationis utilissimum elementum accedere voluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit se locupletissimum.

DE ISOCRATE.

Atque ut longæ, & felicis industrię quasi in unum acervum exempla redigamus, Isocrates nobilissimum librum, qui inscribitur *Panathenaikos*, quartum & nonagesimum annum agens, ita ut ipse significat, composuit, opus ardentis spiritus plenum. Ex quo appareret, senescentibus membris eruditorum; intus animos industrię beneficio florem juventæ retinere: neque hoc stylo terminos vitæ suæ clausit: nanque admirationis ejus fructum quinquennio percepit.

DE CHRYSIPPO.

Citerioris ętatis metas, sed non parvi tamen spatii Chry-

Chryſippi vivacitas flexit: nam octogeſimo anno, cœptum ante quadrageſimum *Logikon* exactiſsimę ſubtilitatis volumen reliquit. Cujus ſtudium in tradendis ingenii ſui monimentis tantum operæ laboriſque ſuſtinuit, ut ad ea quę ſcripſit penitus cognoſcenda, longa vita ſit opus.

DE CLEANTHE PHILOSOPHO.

Te quoque Cleanthe tam laboriosè haurientem, & tam pertinaciter tradentem ſapientiam, numen ipſius induſtrię ſuſpexit: cum adoleſcentem quæſtu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam tuam ſuſtentantem, diurno Chryſippi pręceptis percipiendis vacantem, eundemque ad undecenteſimum annum attenta cura erudientem auditores tuos videret: duplici enim labore unius ſeculi ſpatium occupaſti, incertum reddendo, diſcipulus ne, an pręceptor eſſes laudabilior.

DE SOPHOCLE.

Sophocles quoque cum rerum natura glorioſum certamen habuit, tam benignè mirifica opera illa ſua exhibendo, quàm illa operibus ejus tempora liberaliter ſubminiſtrando: propè enim centeſimum annum attigit, ſub ipſum tranſitum ad mortem Oedipode Coloneo ſcripto, qua ſola fabula omnium ejuſdem ſtudii poetarum prępripere gloriam potuit. Idque ignotum eſſe poſteris filius Sophoclis Iophon noluit, ſepulchro patris, quę retuli, inſculpendo.

DE SIMONIDE POETA.

Simonides vero Poeta octogeſimo anno & docuiſſe ſe carmina, & in eorum certamen deſcendiſſe ipſe gloriatur: nec fuit iniquum illum voluptatem ex

ingenio ſuo diu percipere, cum eam omni ęvo fruendam traditurus eſſet.

DE SOLONE.

Jam Solon quanta indúſtria flagraverit, & verſibus complexus eſt: quibus ſignificat, ſe quotidie aliquid addiſcentem ſeneſcere, & ſupremo vitæ die confirmavit: quum aſſidentibus amicis, & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, fatis jam preſſum caput erigeret. Interrogatuſque quapropter id feciſſet, reſpondit, Ut cum iſtud, quicquid eſt, de quo diſputatis, percepero, moriar. Migraſſet profecto ex hominibus inertia, ſi eo animo vitam ingrederemur, quo eam Solon egreſſus eſt.

DE THEMISTOCLE.

Quàm porrò induſtrius Themiſtocles, qui maximarum rerum cura diſtrictus, omnium tamen civium ſuorum nomina memoria comprehendit: per ſummam namque iniquitatem patria pulſus, & ad Xerſem, quem paulo antè devicerat, confugere coactus: prius quàm in conſpectum ejus veniret, Perſico ſermoni ſe aſſuefecit: ut per laborem parta commendatione regiis auribus familiarem, & aſſuetum ſonum vocis adhiberet.

DE CYRO ET MITHRIDATE.

Cujus utriuſque induſtriæ laudem duo reges partiti ſunt, Cyrus omnium militum ſuorum nomina, Mithridates duarum & vinginti gentium, quæ ſub regno ejus erant, linguas ediſcendo: ille, ut ſine monitore exercitum ſalutaret: hic, ut eos, quibus imperabat, ſine interprete alloqui poſſet.

DE

DE OTIO.

CAP. VIII.

OTIUM, quod induſtriæ, & ſtudio maxime contrarium videtur, præcipue ſubnecti debet, non quo evaneſcit virtus, ſed quo recreatur. Alterum enim etiam inertibus vitandum, alterum ſtrenuis quoque interdum appetendum eſt: illis, ne proprie vitam inertem exigant: his, ut tempeſtiva laboris intermiſſione ad laborandum fiant vegetiores.

DE SCIPIONE ET LÆLIO.

Par verę amicitię clariſsimum Scipio, & Lælius, tum amoris vinculo, tum etiam omnium virtutum inter ſe junctum ſocietate, ut actuoſæ vitæ iter ęquali gradu exequebantur, ita animi quoque remiſsioni communiter acquieſcebant: conſtat namque eos Cajetę, & Laurenti vagos littoribus conchulas, & calculos lectitaſſe: idque ſe P. Craſſus ex ſocero ſuo Qu. Scævola, qui gener Lælii fuit, audiſſe ſæpenumero prędicavit.

DE SCÆVOLA.

Scævola autem quietæ remiſsionis eorum certiſsimus teſtis, optime pila luſiſſe traditur: quia videlicet ad hoc diverticulum animum ſuum forenſibus miniſteriis fatigatum, transferre ſolebat. Aleę quoque & calculis vacaſſe interdum dicitur, cum bene, ac diu jura civium, & ceremonias deorum ordinaſſet: ut enim in rebus ſeriis Scęvolam, ita & in ſcurrilibus luſibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem eſſe non ſinit.

EXTERNA.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Idque vidit, cui nulla pars ſapientię obſcura fuit, Socrates: ideoque non erubuit tunc, cum interpoſita arundine cruribus ſuis, cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade riſus eſt.

DE HOMERO POETA.

Homerus quoque ingenii cœleſtis vates, non aliud ſenſit, vehementiſsimis Achillis manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur leni pacis ſtudio relaxaret.

QUANTA SIT VIS ELOQUENTIÆ.

CAPUT IX.

POTENTIAM vero eloquentiæ etſi plurimum valere animadvertimus, tamen ſub propriis exemplis, quo ſcilicet vires ejus teſtatiores fiant, recognoſci convenit.

DE VALERIO.

Regibus exactis, plebs diſcedens à patribus, juxta ripam fluminis Anienis in colle, qui ſacer appellatur, armata conſedit. Eratque non ſolum deformis, ſed etiam miſerrimus Reip. ſtatus, à capite ejus cætera parte corporis peſtifera ſeditione diviſa: ac ni Valerii ſubveniſſet eloquentia, ſpes tanti imperii in ipſo penè ortu ſuo corruiſſet. Is nanque populum, nova & inſolita libertate temere gaudentem, oratione ad melio-

fiora, & ſaniora conſilia revocatum, Senatui ſubjecit, id eſt urbem urbi junxit. Verbis ergo facundis ira, conſternatio, arma ceſſerunt.

DE M. ANTONIO.

Quæ etiam Marianos, Cinnanoſque mucrones, civilis profundendi ſanguinis cupiditate furentes, inhibuerunt: miſsi enim à ſæviſsimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, ſermone ejus obſtupefacti, diſtrictos jam, & vibratos gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt: quibus digreſsis, P. Antonius (is enim ſolus in ambitu expers Antonianæ facundiæ ſteterat) crudele imperium truculento miniſterio peregit. Quàm diſertum igitur eum fuiſſe putemus, quem ne hoſtium quidem quiſquam occidere ſuſtinuit, qui modò vocem ejus ad aures voluit admittere?

DE JULIO CÆSARE.

Divus quoque Julius, quàm cœleſtis numinis, tam etiam humani ingenii perfectiſsimum columen, vim facundiæ propriè expreſsit, dicendo in accuſatione C. Dolabellæ, quem reum egit, extorqueri ſibi cauſam optimam L. Cottæ patrocinio: ſiquidem maxima tunc eloquentia queſta eſt: cujus facta mentione, quoniam domeſticum nullum majus adjecerim exemplum, peregrinandum eſt.

EXTERNA.

DE PISISTRATO.

Piſiſtratus dicendo tantum valuiſſe traditus eſt, ut ei Athenienſes regium imperium, oratione capti, permitterent: eum præſertim ex contraria parte amantiſ-

tiſsimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius ſalubriores erant conciones, alterius diſertiores: quo evenit, ut alioqui prudentiſsima civitas, libertati ſervitutem præferret.

DE PERICLE.

Pericles autem feliciſsimis naturæ incrementis, ſub Anaxagora præceptore ſummo ſtudio perpolitus, & inſtructus, liberis Athenarum cervicibus jugum ſervitutis impoſuit: egit enim ille urbem, & verſavit arbitrio ſuo. Cumque adverſus voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominus, & popularis ejus vox erat. Itaque veteris comœdiæ maledica lingua, quamvis potentiam viri perſtringere cupiebat, tamen in labris hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quaſi aculeos quoſdam relinqui prædicabat.

DE QUODAM SENE.

Fertur quidam, cum admodum ſenex primæ concioni Periclis adoleſcentuli intereſſet, idemque juvenis Piſiſtratum decrepitum jam concionantem audiſſet, non temperaſſe ſibi, quo minus exclamaret, caveri illum civem oportere, quòd Piſiſtrati orationi ſimillima ejus foret oratio. Nec hominem aut æſtimatio eloquii, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Piſiſtratum & Periclem interfuit: niſi quòd ille armatus, hic ſine armis tyrannidem geſsit?

DE HEGESIA PHILOSOPHO.

Quantum eloquentia valuiſſe Hegeſiam Cyrenaicum Philoſophum arbitramur? qui ſic mala vitæ repræſentabat, ut eorum miſeranda imagine audientium pectoribus inſerta, multis voluntariæ mortis appe-

ten-

tendę cupiditatem ingeneraret. Ideoque à rege Ptolæmeo ulterius hac de re disserere prohibitus est.

QUANTUM MOMENTUM SIT IN PRONUNTIATIONE, & apto motu corporis.

CAPUT X.

ELoquentię autem ornamenta in pronuntiatione apta, & convenienti motu corporis consistunt: quibus cum se instruxerit, tribus modis homines aggreditur, animos eorum ipsa invadendo, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo.

DE CAIO GRACCHO.

Sed ut propositi fides in personis illustribus exhibeatur, C. Gracchus eloquentiæ, quàm propositi felicioris adolescens, quoniam flagrantissimo ingenio cùm optimè Remp. tueri posset, perturbare impiè maluit: quoties apud populum concionatus est, servum post se musicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fistula pronuntiationis ejus modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus justo concitatos revocando: quia ipsum calor, atque impetus actionis attentum hujusce temperamenti æstimatorem esse non patiebatur.

DE Q. HORTENSIO.

Quintus autem Hortensius plurimum in corporis decoro motu repositum credens, penè plus studii in eodem laborando, quàm in ipsa eloquentia affectanda impendit. Itaque nescires, utrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur: sic verbis

oratoris aſpectus, & rurſus aſpectui verba ſerviebant. Conſtat Æſopum, Roſciumque ludicræ artis peritiſſimos, illo cauſas agente, in corona frequenter aſtitiſſe, ut foro petitos geſtus, in ſcenam referrent.

DE M. CICERONE.

Jam M. Cicero quantum in utraque re, de qua loquimur, momenti ſit, oratione quam pro Gallo habuit, ſignificavit, M. Callidio accuſatori exprobrando, quòd præparatum ſibi à reo venenum teſtibus, chirographis, quæſtionibus probaturum affirmans, remiſſo vultu, & languida voce, & ſoluto genere orationis uſus eſſet: pariterque & oratoris vitium detexit, & cauſę periclitantis argumentum adjecit: totum hunc locum ita claudendo: Tu iſtud, M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres?

EXTERNA.

DE DEMOSTHENE.

Conſentaneum huic Demoſthenis judicium, qui cùm interrogaretur, quidnam eſſet in dicendo efficaciſsimum, reſpondit, *hypòkriſis*. Iterum deinde, & tertio interpellatus, idem dixit, penè totum ſe illi debere confitendo.

DE ÆSCHINE.

Recte itaque Æchines, cum propter judicialem ignominiam, relictis Athenis, Rhodum petiſſet, atque ibi rogatu civitatis ſuam prius in Cteſiphontem, deinde Demoſthenis pro eodem orationem clariſsima, & ſuaviſsima voce recitaſſet, admirantibus cunctis utriuſque columinis eloquentiam, ſed aliquanto magis Demoſthenis, Quid ſi, inquit, ipſum audiſſetis?

tan-

tantus Orator, & modo tam infestus adversarius sic inimici vim, ardoremque dicendi suspexit, ut se scriptorum ejus parum idoneum lectorem esse prædicaret: expertus acerrimum vigorem oculorum, terribile vultus pondus accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus: Ergo etsi operi illius adjici nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest, quòd legitur potius, quam auditur.

QUAM MAGNI EFFECTUS ARTIUM SINT.

CAPUT XI.

EFFECTUS etiam artium recogniti, possunt aliquid afferre voluptatis: protinusque & quàm utiliter excogitatæ sunt, patebit: & memoratu dignæ res lucido in loco reponentur, & labor in his edendis suo fructu non carebit.

DE SULPITIO GALLO.

Sulpitii Galli maximum in omni genere literarum recipiendo studium plurimum Reip. profuit. Nam cum L. Pauli, bellum adversum regem Persen gerentis, legatus esset, ac serena nocte subitò luna defeciisset: eoque veluti diro quodam monstro perterritus exercitus noster, manus cum hoste conserendi fiduciam amisisset: de cœli ratione, & siderum natura peritissime disputando, alacrem eum in aciem misit. Itaque illi inclytæ Paulianę victoriæ liberales artes, Galli aditum dederunt: quia nisi ille metum nostrorum militum vicisset, Imperator Romanus vincere hostes non potuisset.

DE

DE SPURINA.

Spurinę quoque in consectandis deorum monitis efficacior scientia apparuit, quàm urbs Romana voluisset. Prædixerat enim C. Cęsari, ut proximos xxx. dies quasi fatales caveret, quorum ultimus erat Idus Martiæ. Eò cum forte mane uterque in domum Calvini Domitii ad officium conveniſſet, Cęsar Spurinæ, Ecquid scis, inquit, Idus Martias jam veniſſe? & is, Ecquid scis illas nondum præteriſſe? abjecerat alter timorem tanquam exacto tempore suspecto, alter ne extremam quidem ejus partem periculo vacuam esse arbitratus est. Utinàm aruspicem potius augurium, quàm patriæ parentem securitas fefelliſſet.

EXTERNA.

DE PERICLE.

Sed ut alienigena scrutemur, cùm obscurato repente Sole, inusitatis perfusæ tenebris, Athenę solicitudine agerentur, interitum sibi cœlesti denuntiatione portendi credentes, Pericles processit in medium, & quæ à præceptore suo Anaxagora, pertinentia ad Solis & Lunę cursum acceperat, disseruit: nec ulterius trepidare cives suos vano metu passus est.

DE ALEXANDRO REGE.

Quantum porrò dignitatis à Rege Alexandro tributum arti existimamus? qui se & pingi ab uno Apelle, & fingi à Lysippo tantummodo voluit.

DE

DE VULCANO ALCAMENIS.

Tenet visentes Athenas Vulcanus Alcamenis manibus fabricatus: præter cętera enim perfectissimæ artis in eo pręcurrentia indicia, etiam illud miramur, quòd stat dissimulatæ claudicationis sub veste leviter vestigium repræsentans, ut non tanquam exprobratum vitium, ita tamen certam, propriamque dei notam decôre significans.

DE VENERE PRAXITELIS.

Cujus conjugem Praxiteles in marmore quasi spirantem in templo Cnidiorum collocavit, propter pulchritudinem operis à libidinoso cujusdam complexu parum tutam. Quo excusabilior est error equi, qui visa pictura equę, hinnitum edere coactus est: & canum latratus aspectu picti canis incitatus, tauruſque ad amorem, & concubitum æneę vaccę Syracusis, nimiæ similitudinis irritamento compulsus. Quid enim vacuationis animantia arte decepta miremur? cum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis lineamentis excitatam videamus.

QUÆDAM NULLA ARTE EFFICI POSSE.

CAPUT XII.

DE EUPHRANORE.

CÆTERUM natura quemadmodum sępenumero æmulam virium suarum artem esse patitur; ita aliquando irritam fesso labore dimittit: quod summi artificis Euphranoris manus senserunt. Nam cum Athenis xii. deos pingeret, Neptuni imaginem, quàm pote-

poterat excellentiſsimis majeſtatis coloribus complexus eſt, perinde ac Jovis aliquanto auguſtiorem repræſentaturus. Sed omni impetu cogitationis in ſuperiori opere aſſumpto, poſteriores ejus conatus aſſurgere, quò tendebant, nequiverunt.

DE TIMANTE PICTORE.

Quid ille alter æque nobilis pictor, luctuoſum immolatæ Iphigeniæ ſacrificium referens, cum Calchantem triſtem, mœſtum Ulyſſem, clamantem Ajacem, lamentantem Menelaum circa aram ſtatuiſſet, caput Agamemnonis involuendo, nonnè ſummi mœroris acerbitatem arte exprimi non poſſe confeſſus eſt? Itaque pictura ejus, aruſpicis, & amici, & fratris lachrymis madet, patris fletum ſpectantis affectui æſti mandum reliquit.

DE ALIO PICTORE.

Atque ut ejuſdem ſtudii adjiciam exemplum, præcipuæ artis pictor equum ab exercitatione venientem, modo non vivum, labore induſtriæ ſuæ comprehenderat. Cujus naribus ſpumas adjicere cupiens, tantus artifex in tam parvula materia, multum ac diu fruſtra tenebatur. Indignatione deinde accenſus, ſpongiam omnibus imbutam coloribus fortè juxta ſe poſitam apprehendit, & eam veluti corrupturus opus ſuum tabulæ illiſit: quam fortuna ad ipſas equi nares directam, deſiderium pictoris coëgit explere. Itaque quod ars adumbrare non valuit, caſus imitatus eſt.

SUÆ QUENQUE ARTIS OPTIMUM ET autorem esse, & disputatorem.

CAPUT XIII.

SUÆ autem artis unumquenque & actorem & disputatorem optimum esse ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus.

DE QUINTO SCÆVOLA.

Quintus Scævola clarissimus legum vates, & certissimus, quotiescunque de jure Prætorio consulebatur, ad Furium, & Cassellium, quia huic scientiæ dediti erant, consultores rejiciebat: quo quidem facto moderationem suam magis commendabat, quàm auctoritatem minuebat: ab his negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano ejus usu callebant. Sapientissimi igitur artis suæ professores sunt, à quibus & propria studia verecundè, & aliena callidè æstimantur.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Platonis quoque eruditissimum pectus hæc cogitatio attigit: qui conductores sacræ arcis de modo, & forma ejus, secum sermonem conferre conatos, ad Euclidem Geometram ire jussit, scientiæ ejus cedens, imò professioni.

DE ATHENIENSIBUS, ET DE PHILONE.

Gloriantur Athenæ armamentario suo, nec sine causam est enim illud opus & impensa, & elegantia visendum: cujus architectum Philonem, ita facundè

ra-

rationem institutionis suæ in theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ ejus, quàm arti tribueret.

DE QUODAM ARTIFICE.

Mirifice & ille Artifex, qui in opere suo moneri se à sutore de crepida, & ansulis passus: de cruere etiam disputare incipientem, supra plantam ascendere vetuit.

DE SENECTUTE MEMORABILI.

CAPUT XIV.

SENECTUS quoque ad ultimum sui finem provecta, in hoc eodem opere, inter exempla industriæ, in aliquot claris viris conspecta est, separatum tamen & proprium titulum habeat: ne, cui deorum immortalium præcipua indulgentia affuit, & nostra ornata mentio defuisse existimetur, & simul spe diuturnioris vitæ, quasi adminicula quædam dentur: quibus insistens, alacriorem se respectu vetustæ felicitatis facere quis possit: tranquillitatemque seculi nostri, qua nulla unquam beatior fuit, subinde fiducia confirmet, salutaris principis incolumitatem ad longissimos humanæ conditionis terminos prorogando.

DE M. VALERIO CORVINO.

M. Valerius Corvinus centesimum annum complevit: cujus inter primum & sextum consulatum quadraginta sex anni intercesserunt: sufficitque integris viribus corporis, non solum speciosissimis Reipublicæ ministeriis, sed etiam exactissimæ agrorum suorum

rum culturę, & civis & patrisfamilias optabile exemplum.

DE METELLO.

Hujus vitæ ſpatium ęquavit Metellus, quartoque anno poſt conſularia imperia ſenex admodum Pont. Max. creatus, tutelam ceremoniarum per duos & viginti annos, neque ore in votis nuncupandis hæſitante, neque in ſacrificiis faciendis tremula manu geſsit.

DE QUINTO FABIO MAXIMO.

Quintus autem Fabius Max. duobus & ſexaginta annis auguratus ſacerdotium ſuſtinuit, robuſta jam ætate id adeptus, quę utraque tempora ſi in unum conferantur, facilè ſeculi modum expleverint.

DE MARCO PERPENNA.

Jam de Marco Perpenna quid loquar? omnibus quos in ſenatu rogaverat, ſuperſtes fuit: ſeptemque tantummodo, quos Cenſor collega Lucii Philippi legerat è patribus C. reliquos vidit, toto ordine ampliſsimo diuturnior.

DE APPIO.

Appii verò ævum clade metirer, quia infinitum numerum annorum orbatus luminibus exegit, nì ſi quatuor filios, quinque filias, plurimas clientelas, rem denique publicam hoc caſu gravatus fortiſsime rexiſſet. Quinetiam feſſus jam vivendo, lectica ſe in curiam deferri juſsit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc cæcum aliquis nominet, à quo patria, quod honeſtum erat, per ſe parum cernens, coacta eſt pervidere?

DE LIVIA RUTILII, DE TERENTIA CICERONIS, & Clodia filia Auli.

Muliebris etiam vitę ſpatium non minus longum in compluribus apparuit, quarum aliquas ſtrictim retuliſſe me ſatis erit. Nam & Livia Rutilii ſeptimum & nonageſimum, & Terentia Ciceronis, tertium & centeſimum, & Clodia Auli filia quindecim filiis ante enixis, quintumdecimum & centeſimum explevit annum.

EXTERNA.

DE MASINISA REGE NUMIDIÆ.

Jungam his duos Reges, quorum diuturnitas Reip. noſtrę fuit utiliſsima. Sicilię rector Hiero ad nonageſimum annum pervenit. Maſiniſſa rex Numidiæ hunc modum exceſsit, regni ſpatium ſexaginta annis emenſus, & ante omnes homines robore ſenectæ admirabilis. Conſtat eum, quemadmodum Cicero refert libro, quem de ſenectute ſcripſit, nullo unquam imbri, nullo frigore, ut caput ſuum veſte tegeret, adduci potuiſſe. Eundem ferunt aliquot horis in eodem veſtigio perſtare ſolitum, non ante moto pede, quam conſimili labore juvenes fatigaſſet: ac ſi quid agi a ſedente oporteret, toto die ſæpenumero nullam in partem converſo corpore in ſolio duraſſe: ille verò etiam exercitus equo inſidens, noctem diei plerumque jungendo duxit: nihilque omnino ex iis operibus, quæ adoleſcens ſuſtinere aſſueverat, quo minus ſenectute ageret, omiſit. Veneris etiam uſu ita ſemper viguit, ut poſt ſextum & octogeſimum annum filium generaret, cui Methymato nomen fuit: terram quoque quam vaſtam, & de-

desertam acceperat, perpetuo culturæ studio f
ram reliquit.

DE GORGIA LEONTINO PHILOSOPHO.

Gorgias etiam Leontinus Isocratis, & complurium magni ingenii virorum præceptor, sua sententia felicissimus. Nam cum centesimum & septimum ageret annum, interrogatus quapropter tandiu vellet in vita remanere: Quia nihil, inquit, habeo, quod senecturem meam accusem. Quid isto tractu ætatis aut longius, aut beatius? Jam alterum seculum ingressus, neque in hoc querelam ullam invenit, neque in illo reliquit.

DE XENOPHILO CHALCIDENSI Pythagorico.

Biennio minor Xenophilus Chalcidensis Pythagoricus, sed felicitate non inferior: siquidem (ut ait Aristoxenus musicus) omnis humani incommodi expers, in summo perfectissimę splendore doctrinę extinctus est.

DE ARGANTHONIO GADITANO.

Arganthonius autem Gaditanus tandiu regnavit, quandiu etiam ad satietatem vixisse abunde foret. Octoginta enim annis patriam suam rexit, cum ad imperium sexaginta annos natus accessisset, cujus rei certi sunt autores. Asinius etiam Pollio non minima pars Rom. styli, in tertio historiarum suarum libro, centum illum & triginta annos expleviſſe commemorat: & ipse numerosæ vivacitatis haud parvum exemplum.

DE ÆTHIOPIBUS, ET INDIS.

Hujus regis conſummationem annorum minus admirabilem faciunt Æthiopes: quos Herodotus ſcribit centeſimum & trigeſimum annum tranſgredi: & Indi, de quibus Cteſias idem tradit.

DE EPIMENI DE CNOSIO.

Et Epimenides Cnoſus: quem Theopompus dicit ſeptem & quinquaginta & centum annos vixiſſe.

DE QUIBUSDAM EPIORUM.

Hellanicus verò ait quoſdam ex gente Epiorum, quæ eſt pars Ætoliæ, ducentos explere annos, eique ſubſcribit Damiates, hoc amplius adfirmans, Litorum quendam ex his maximarum virium, ſtaturæque præcipuæ trecenteſimum annum cumulaſſe.

DE DANDONE QUODAM.

Alexander verò in eo volumine, quod de Illyrico tractu compoſuit, affirmat Danthona quendam ad quingenteſimum uſque annum ex parte ſeneſcentem proceſsiſſe. Sed multo liberalius Xenophon, cujus *peri geros*. Inſulę enim Lachmiorum regem octingentis vitæ annis donavit: ac ne pater ejus parum benigne acceptus videretur, ei quoque ſexcentos aſsignavit annos.

DE CUPIDITATE GLORIÆ.

CAPUT XV.

GLORIA verò unde oriatur, aut cujus ſit habitus, aut qua ratione debet comparari, & an meli

à virtute velut non neceſſaria, negligatur; viderint ii, quorum in contemplandis hujuſmodi rebus cura teritur, quibuſque illa quę prudenter animadverterunt, facunde contigit eloqui. Ego in hoc opere factis autores, & autoribus facta ſua reddere contentus, quanta cupiditas ejus eſſe ſoleat, propriis exemplis demonſtrare conabor.

DE SUPERIORE AFRICANO.

Superior Africanus Ennii poëtæ effigiem in monimentis Corneliæ gentis collocari voluit, quòd ingenio ejus opera ſua illuſtrata judicaret: non quidem ignarus quandiu Romanum imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus eſſet ſubjecta, totiuſque terrarum orbis ſummum culmen ars capitolina poſsideret, eorum extingui memoriam non poſſe: ſi tamen literarum quoque lumen illis acceſsiſſet, magni æſtimans. Vir Homerico, quàm rudi atque impolito pręconio dignior.

DE DECIO BRUTO.

Similiter honoratus animus erga poëtam Accium Decii Bruti ſuis temporibus clari ducis extitit: cujus familiari cultu, & prompta laudatione delectatus, cujus verſibus templorum aditus, quę ex manubiis conſecraverat, adornavit.

DE POMPEJO MAGNO.

Ne Pompejus quidem Magnus ab hoc effectu gloriæ averſus: qui Theophanem Mitylenæum ſcriptorem rerum ſuarum in concione militum civitate donavit: beneficium per ſe amplum, accurata etiam, & teſtata oratione proſecutus. Quo effectum eſt, ut nequis dubitaret, quin referret potius gratiam, quam inchoaret.

DE LUCIO SYLLA.

Lucius autem Sylla, etsi ad neminem scriptorem animum direxit, tamen Jugurthæ, à Boccho rege, ad Marium perducti, totam sibi laudem tam cupide asseruit, ut annulo, quo signatorio utebatur insculptam illam traditionem haberet. Et quantus postea! ne minimum quidem glorię vestigium contemsit.

DE SCIPIONE, ET QUODAM EQUITE.

Atque ut imperatoribus glorioſum militis ſpiritum ſubnectam, Scipionem dona militaria iis qui ſtrenuam operam ediderant, dividentem, T. Labienus, ut forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit: eoque negante ſe id facturum, ne caſtrenſis honos in eo, qui paulo antè ſerviſſet, violaretur: ipſe ex præda Gallica aurum equiti largitus eſt. Nec tacite id Scipio tulit: nam equiti, Habebis, inquit, donum viri divitis. Quod ubi ille accepit, projecto ante pedes Labieni auro, vultum demiſit. Idem ut audivit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abiit. Nulla eſt ergo tanta humilitas, quę dulcedine glorię non tangatur: illa vero & à claris viris interdum ex humillimis rebus petita eſt.

DE QUINTO FABIO.

Nam quid ſibi voluit Cajus Fabius nobiliſſimus civis? qui cum in æde Salutis, quam C. Junius Bubulcus dedicaverat, parietes pinxiſſet, nomen his ſuum inſcripſit. Id enim demum ornamenti familiæ conſulatibus, & ſacerdotiis, & triumphis celeberrimæ deerat: ceterum ſordido ſtudio deditum ingenium

qua-

qualemcumque illum laborem ſuum ſilentio oblite-rari noluit : videlicet Phidię ſecutus exemplum , qui clypeo Minervæ effigiem ſuam incluſit : qua convulſa, tota operis colligatio ſolveretur.

EXTERNA.

DE THEMISTOCLE.

Sed melius aliquanto , ſi imitatione aliena capie-batur , Themiſtoclis ardorem eſſet æmulatus : quem ferunt ſtimulis virtutum agitatum , & ob id noctes in-quietas exigentem , quærentibus quid ita eo tempore in publico verſaretur , reſpondiſſe , quia me trophæa Miltiadis de ſomno excitant. Marathon nimirum animum ejus , & Arthemiſium, & Salamis navalis glo-riię fertilia nomina illuſtranda tacitis facibus incita-bant. Idem Theatrum petens , cum interrogaretur, Cujus vox auditu illi futura eſſet gratiſsima, dixit; ejus à quo artes meę optime canerentur. Dulcediuem glo-riię penè adjecit glorioſam.

DE ALEXANDRO REGE.

Jam Alexandri pectus inſatiabile laudis , qui Ana-xarcho comiti ſuo, ex autoritate Democriti præcepto-ris innumerabiles mundos eſſe referenti, Heu me (in-quit) miſerum , quòd nec uno quidem adhuc ſum po-titus ! Anguſta homini poſſeſsio gloriæ fuit, quæ deo-rum omnium domicilio ſufficit.

DE ARISTOTELE PHILOSOPHO.

Regis & juvenis flagrantiſsimę cupiditati ſimilem Ariſtotelis in capeſſenda laude ſitim ſubnectam. Is nam-que Theodecti diſcipulo oratoriæ artis libros , quos

ederet, donaverat: moleſteque poſteà ferens titulum eorum ſic alii ceſsiſſe: proprio volumine quibuſdam rebus inſiſtens, planius ſibi de his in Theodectis libris dictum eſſe adjecit. Niſi me tantę & tam latè patentis ſcientiæ verecundia teneret, dicerem dignum philoſophum, cujus ſtabiliendi mores, altioris animi philoſopho traderentur. Ceterum gloria ne ab iis quidem, qui contemptum ejus introducere conantur, negligitur: quoniam quidem ipſis voluminibus nomina ſua diligenter adjiciunt, ut quod profeſsione elevant, uſurpatione memorię conſequantur. Sed qualiſcumque horum diſsimulatio, propoſito illorum longe tolerabilior eſt: Qui dum æternam memoriam aſſequerentur, etiam ſceleribus innoteſcere non dubitarunt.

DE PAUSANIA.

Quorum è numero neſcio an in primis Pauſania debeat referri: nam cum Hermoclem percontatus eſſet, quonam modo ſubitò clarus poſſet evadere: atque is reſpondiſſet: ſi illuſtem virum aliquem occidiſſet futurum ut gloria ejus ad ipſum redundaret: continuò Philippum interemit, & quidem quod petierat, aſſecutus eſt: tàm enim ſe parricidio, quàm Philippi virtute notum poſteris reddidit.

DE QUODAM, QUI PROPTER GLORIAM incendere voluit templum Dianæ.

Illa vero gloriæ cupiditas ſacrilega: inventus enim qui Dianæ Epheſiæ templum incendere vellet, ut opere pulcherrimo conſumpto, nomen ejus per totum terrarum orbem diffunderetur: quem quidem mentis furorem ęculeo impoſitus detexit, ac bene co-

ſul

ſaluerant Epheſii, decreto memoriam teterrimi hominis abolendo: niſi Theopompi magnæ facundiæ ingenium, in hiſtoriis eum ſuis comprehendiſſet.

QUÆ CUIQUE MAGNIFICA CONTIGERUNT.

CAPUT XVI.

CANDIDIS autem animis voluptatem prębuerint in conſpicuo poſita, quę cuique magnifica merito contigerunt: quia æque præmiorum virtus, atque honorum contemplatio judicanda eſt, ipſa Natura nobis alacritatem ſubminiſtrante, cum honorem induſtriè appeti, & exolvi gratè videmus. Verum & ſi mens hoc loco protinus ad auguſtam domum beneficentiſsimum & honoratiſsimum templum omni impetu fertur, melius cohibebitur: quoniam cui aſcenſus in cœlum patet, quamvis maxima, tamen debito minora ſunt, quæ in terris tribuuntur.

DE SUPERIORE AFRICANO.

Superiori Africano conſulatus citerior legitimo tempore datus eſt. Cui quæ in vita pręcipua aſsignata ſunt, & longum eſt referre, quia multa: & non neceſſarium, quia majore ex parte jam relata ſunt. Itaque quod hodieque eximium, capiti adjiciam. Imaginem in cella Jovis OPT. MAX. poſitam habet, quæ quotieſcunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum eſt, inde petitur, unique illi inſtar atrii Capitolium eſt.

Tàm hercle, quàm curia ſuperiori Catoni. Unde effigies illius ad ejuſdem generis officia expromitur. Gratum ordinem, qui utiliſsimum Reipublicę ſena-

corem tantum non ſemper ſecum habitare voluit: omnibus numeris virtutum divitem, magiſque ſuo merito, quàm fortunæ beneficio magnum: cujus prius conſilio, quàm minoris Scipionis imperio eſt deleta Carthago.

DE SCIPIONE NASICA.

Rarum ſpecimen honoris à Scipione quoque Naſica oboritur: ejus nanque manibus, & penatibus nondum quæſtoris, Senatus Pythii Apollinis monitu, Peſſinunte accerſitam deam excipi voluit: Quia eodem oraculo præceptum erat, ut hæc myſteria matris deûm à ſanctiſsimo viro præſtarentur. Explica totos faſtos, conſtitue omnes currus triumphales, nihil tamen in eorum principatu ſpecioſius reperies.

DE SCIPIONE ÆMILIANO.

Tradunt ſubinde nobis ornamenta ſua Scipiones commemoranda. Æmilianum enim populus ex candidato ædilitatis, Conſulem fecit: eundemque, cum quæſtoriis comitiis ſuffragator Qu. Fabii, Marci fratris filii, in campum deſcendiſſet, Conſulem iterum reduxit. Eidem ſenatus bis ſine ſorte prius Africam, deinde Hiſpaniam dedit. Atque hæc neque civi cupido, neque ſenatori ambitioſo: quemadmodum non ſolum vitæ ejus ſeveriſsimus curſus, ſed etiam mors clandeſtinis illata inſidiis declaravit.

DE M. VALERIO.

Marcum quoque Valerium duabus rebus inſignibus Dii pariter, atque cives ſpecioſum reddiderunt: illi cum quodam Gallo cominus pugnanti Corvum propugnatorem ſubjicientes: ii tertium & vigeſimum annum ingreſſo, conſulatum largiti: quorum alterum de-

decus vetuſtæ originis optimi hominis gens Coruina amplexa cognomen uſurpat, alterum ſummo ſubjungitur ornamento, tàm celeritate, quàm principio conſulatus gloriando.

DE Q. SCÆVOLA.

At ne Quinti quidem Scævolæ, quem Lucius Craſſus in Conſulatu collegam habuit, gloria parum illuſtris: qui Aſiam tam ſanctè, & tam fortiter obtinuit, ut ſenatus deinceps in eam provinciam ituris magiſtratibus, exemplum, atque formam officii Scævolam decreto ſuo proponeret.

DE CAIO MARIO.

Inhærent illi voci poſterioris Africani, ſeptem C. Marii conſulatus, ac duo ampliſsimi triumphi: ad rogum enim uſque gaudio exultavit: Qui, cum apud Numantiam ſub eo duce ſtipendia equeſtria mereret, & forte inter cœnam quidam Scipionem interrogaſſet, ſi quid illi accidiſſet, quemnam Reſp. æque magnum habitura eſſet imperatorem: reſpiciens ſe ſupra ipſum cubantem, vel hunc, dixit: quo augurio perfectiſsima virtus, maximam orientem virtutem videritne certius, an efficacius acciderit, perpendi vix poteſt. Illa nimirum cœna militaris, ſpecioſiſsimas tanta in urbe Mario futuras cœnas ominata eſt. Poſtquam Cimbros ab eo deletos initio noctis nuntius pervenit, nemo fuit, qui non illi tanquam Diis immortalibus, apud ſacra menſæ ſuæ libaverit.

DE CN. POMPEIO.

Jam quæ in Cneum Pompejum & ampla, & nova congeſta ſunt, hinc aſſenſione favoris, illinc fremitu in-

invidiæ, litterarum monimentis obſtrepuntur. Eques Romanus, Proconſul in Hiſpaniam adverſus Sertorium, pari imperio cum Pio Metello principe civitatis miſſus eſt: nondum illum honorem auſpicatus bis triumphavit: Initia magiſtratuum à ſummo imperio cepit: tertium conſulatum decreto ſenatus ſolus geſſit. De Mithridate, & Tigrane, de multis præterea regibus, & gentibus, plurimiſque civitatibus & prædonibus unum duxit triumphum.

DE Q. CATULO.

Quintum etiam Catulum Populus Romanus voce ſua tantum non ad ſidera uſque evexit. Nam cum ab eo pro roſtris interrogaretur, ſi in uno Pompejo Magno omnia reponere perſeveraſſet, abſumpto illo ſubiti caſus incurſu, in quo ſpem eſſet habiturus, ſummo conſenſu acclamavit, In te. Vim honorati judicii admirabilem: ſiquidem Magno Pompejo cum omnibus ornamentis, quæ retuli, duarum ſyllabarum ſpatio incluſum Catulum æquavit.

DE M. CATONE.

Poteſt & M. Catonis ex Cypro cum regia pecunia revertentis appulſus ad ripam Tiberis memorabilis videri: cui nave egredienti Conſules, & ceteri magiſtratus, & univerſus S. P. Q. R. officii gratia præſto fuit: non quòd magnum pondus auri & argenti, ſed quòd M. Catonem claſsis illa incolumem advexerat, lætatus.

DE LUCIO MARTIO.

Sed neſcio an præcipuum ſit L. Martii inuſitati decoris exemplum, quem equitem Romanum duo exer-

exercitus P. & Cn. Scipionem interitu, victoriaque Hasdrubalis lacerati, ducem legerunt: quo tempore salus eorum in ultimas angustias deducta, nullum ambitioni locum relinquebat.

DE SULPITIA.

Merito commemorationi virorum Sulpitia, Servii Paterculi filia, Qu. Fulvii Flacci uxor, adjicitur: quę, cum senatus libris Sibyllinis per decemviros inspectis censuisset, ut Veneris Verticordię simulacrum consecraretur, quo facilius virginum mulierumque mens à libidine ad pudicitiam converteretur, & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductę, de sanctissima fœmina judicium facerent, cunctis castitate prælata est.

EXTERNA.

DE PYTHAGORA.

Cæterum quia sine ulla diminutione Romanę majestatis, externa quoque insignia respici possunt, ad ea transgrediamur. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut quę ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent: quinetiam interpellati ad reddendam causam, hoc solum respondebant, *autòs epha* id est *ipse dixit*. Magnus honos, sed schola tenus. Illa urbium suffragiis tributa est.

DE EODEM.

Enixo Crotoniatæ studio ab eo petierunt, ut senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consiliis suis uti pateretur. Opulentissimaque civitas tam frequenter venerati post mortem domum,

Ce-

Cereris ſacrarium fecerunt: quandiuque illa urbs viguit, & dea in hominis memoria, & homo in deę religione cultus eſt.

DE GORGIA LEONTINO.

Gorgiæ verò Leontini ſtudiis litterarum ętatis ſuæ cunctos pręſtantis, adeo ut primus in conventu poſcere, qua de re quiſque audire vellet, auſus ſit, univerſa Græcia in templo Delphici Appollinis ſtatuam ſolido ex auro poſuit, cum ceterorum ad id tempus auratas collocaſſet.

DE AMPHIARAO.

Eadem gens ſummo conſenſu ad Amphiaraum decorandum incubuit, locum, in quo humatus eſt, in formam conditionemque templi redigendo, atque inde oracula capi inſtituendo: ejus cineres idem honoris poſsident, quod Pythicæ Cortinæ, quod Aheno Dodonę, quod Hammonis fronti datur.

DE BERENICE.

Berenices quoque non vulgaris honos, cui ſoli omnium fœminarum gymnico ſpectaculo intereſſe permiſſum eſt, cum ad olympia filium Euclea certamen ingreſſum adduxiſſet, Olympionico patre genita, fratribus eandem palmam aſſecutis latera ejus cingentibus.

VAL. MAXIMI

LIBER NONUS.

DE LUXURIA.

CAPUT I.

BLANDUM ETIAM MALUM LUXURIA; quam accuſare, aliquanto facilius eſt, quàm vitare, operi noſtro inſeratur: non quidem ut ullum honorem recipiat, ſed ut ſeipſam recognoſcens ad pœnitentiam impelli poſſit. Jungatur illi libido: quoniam ex iiſdem vitiorum principiis oritur: neque aut à reprehenſione, aut ab emendatione ſeparentur gemino mentis errore connexę.

DE C. SERGIO ORATA.

Cajus Sergius Orata penſilia balnea primus facere inſtituit; quæ impenſa levibus initiis cœpta, ad ſuſpenſa calidæ aquæ tantum non æquora penetravit.

Idem videlicet, ne gulam Neptuni arbitrio ſubjectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitavit, æſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumque diverſos greges ſeparatis molibus includendo, ut nulla tam ſęva tempeſtas incideret, qua non Oratę menſę varietate ferculorum abundarent. Ædificiis etiam ſpatioſis, & excelſis deſerta ad id tempus ora Lucrini lacus preſſit,

quo

quo recentiore usu conchyliorum frueretur : ubi, dum se publicæ aquę cupidius immergit cum Considio publicano judicium nactus est; in quo Lucius Crassus adversus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quòd putaret Oratam remotum à lacu, carituram ostreis : namque ea, si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum.

Huic nimirum magis Æsopus tragicus in adoptionem dare filium suum, quam bonorum suorum hęredem relinquere debuit, non solum perditæ, sed etiam furiosæ luxurię juvenem. Quem constat cantu commendabiles aviculas immanibus emptas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnæ summę uniones potionibus aspergere solitum, amplissimum patrimonium, tanquam amaram aliquam sarcinam, quam celerrime abjicere cupientem : Quorum alterius senis, alterius adolescentis sectam secuti plurimi, longius manus prorrexerunt. Neque enim ullum finitur vitium ibi, ubi oritur. Inde ab Oceani littoribus attracti pisces, inde infusę culinis arcæ. Arte censibusque edendi atque bibendi voluptas reperta est.

DE MULIERIBUS ROMANIS.

Ubi autem nostrę secundi belli Punici finis, & Philippus Rex Macedoniæ devictus, licentioris vitæ fiduciam dedit : quo tempore matronę Brutorum domum ausæ sunt obsidere, qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quam fœminę tolli cupiebant: quia his nec veste varii coloris uti, nec auri plus semuncula habere, ne juncto vehiculo propius urbem mille passibus, nisi sacrificii gratia, vehi permittebat. Et quidem obtinuerunt, ut jus per continuos vigin-

an-

annos ſervatum aboleretur. Nec enim providerunt ſeculi illius viri, ad quem cultum tenderet inſoliti cœtus pertinax ſtudium, aut quò ſe uſque effuſura eſſet legum victrix audacia. Quòd ſi animi mulibris apparatus intueri potuiſſent, quibus quotidie aliquid noviatis ſumptuoſius adjectum eſt; in ipſo introitu ruenti luxurię obſtitiſſent.

Sed quid ego de fœminis ulterius loquar? quas & imbecillitas mentis, & graviorum operum negata affectatio, omne ſtudium ad curioſiorem ſui cultum hortatur conferre: cum temporum ſuperiorum & nominis, & animi excellentes viros in hoc priſcę continentię ignotum diverticulum prolapſos videam: idque jurgio ipſorum pateat.

DE CN. DOMITIO, ET L. CRASSO.

Cneus Domitius Lucio Craſſo collegæ ſuo, altercatione orta, obiecit, quòd columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuò Craſſus, quanti ipſe domum ſuam æſtimaret, interrogavit: Atque ut reſpondit, ſexagies ſeſtertio. Quanto ergo eam, inquit, minoris fore exiſtimas, ſi decem arbuſculas inde ſuccidero? ipſo tricies ſeſtertio, inquit Domitius. Tunc Craſſus? Uter igitur luxurioſior eſt Ergo ne, qui decem columnas C. millibus nummùm emi, an tu qui decem arbuſcularum umbram tricies ſeſtertiûm ſumma compenſas? Sermonem oblitum Pyrrhi, immemorem Annibalis, jamque tranſmarinorum ſtipendiorum abundantia oſcitantem: aliquanto tamen inſequentium ſæculorum ædificiis & nemoribus anguſtiorem. Quoniam inchoatam à ſe lautitiam poſteris relinquere, quàm à majoribus acceptam continentiam retinere maluerunt.

DE

DE METELLO PIO.

Quid enim sibi voluit princeps suorum temporum Metellus Pius, tunc cum in Hispania advectus, suos ab hospitibus aris & thure excipi patiebatur? cum Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur? cum immanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat? cum palmata veste convivia celebrabat demissasque lacunaribus aureas coronas velut cœlesti capite recipiebat? Et ubi ista? non in Græcia, neque in Asia, quarum luxuria severitas ipsa corrumpi poterat, sed in horrida, & bellicosa provincia: cum præsertim acerrimus hostis Sertorius, Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret: adeo illi patris sui Numidica castra exciderant. Patet igitur, quàm celeri transitu luxuria affluxerit. Nam cujus adolescentia priscos mores vidit, senectus novos orsa est.

DE CURIONIBUS.

Consimilis mutatio in domo Curionum extitit: Siquidem forum nostrum & patris gravissimum supercilium, & filii sexcenties sestertiûm æris alieni aspexit contractum famosa injuria nobilium juvenum. Itaque eodem tempore, & in iisdem penatibus diversa sæcula habitarunt; frugalissimum alterum, alterum nequissimum.

DE PUBLIO CLODIO.

Publii autem Clodii judicium quanta luxuria, & libidine abundavit? in quo ut evidenter incesti crimine nocens reus absolveretur, noctes matronarum, & adolescentium nobilium magna summa emptæ mercedis loco judicibus erogatæ sunt. Quo in flagitio tam tetro, tamque multiplici, nescias primum quem de

tes.

teſtere, an qui iſtud corruptelę genus excogitavit, an qui ſuam pudicitiam ſequeſtrem perjurii fieri paſsi ſunt, an qui religionem ſtupro permutarunt.

DE GEMELLO TRIBUNITIO.

Æque flagitioſum illud convivium, quod Gemellus Tribunitius viator ingenui ſanguinis, ſed officii intra ſervilem habitum deformis, Metello & Scipioni Conſulibus, ac tribunis plebis, magno cum rubore civitatis comparavit. Lupanari enim domi ſuę inſtituto, Mutiam, & Fulviam tum à patre, tum à viro utranque abductam, & nobilem puerum Saturniqum in eo proſtituit. Probroſa proſapię corpora, ludibrio temulentę libidini futura: epulas Conſulibus & tribunis non celebrandas, ſed vindicandas.

DE CATILINA.

Verum præcipuè Catilinæ libido ſceleſta: nam vê-ſano amore Aurelię Oreſtillæ corruptus, cum unum impedimentum videret, quo minus nuptiis inter ſe jungerentur: filium ſuum, quem & ſolum, & ætate jam puberem habebat, veneno ſuſtulit: protinuſque ex rogo ejus maritalem facem accendit, ac novę maritę orbitatem ſuam loco muneris erogavit. Eodem deinde animo civem ſe gerens, quo patrem egerat: filii pariter manibus, & nefariè attentatę patriæ pœnas dedit.

EXTERNA.

DE ANNIBALE.

At Campana luxuria perquàm utilis civitati noſtrę fuit. Invictum enim armis Annibalem illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit.

Illa vigilantiſsimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris uſu laſciviore ad ſomnum, & delitias evocavit: ac tum demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, cum Seplaſia ei & Albana caſtra eſſe cœperunt. Quid ergo his vitiis fœdius? quid etiam damnoſius? quibus virtus atteritur, victorię langueſcunt, ſopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter, & corporis vires expugnantur: adeo, ut neſcias ab hoſtibus ne, an ab illis capi perniciosius habendum ſit.

DE VOLSINIENSIBUS.

Quæ etiam Volſinienſium urbem gravibus, & erubeſcendis cladibus implicarunt: erat opulenta, eratmoribus, & legibus ornata, Hetrurię caput habebatur: ſed poſtquàm luxuriâ prolapſa eſt, in profundum injuriarum, & turpitudinis decidit, ut ſervorum ſeinſolentiſsimæ dominationi ſubjiceret. Qui primumadmodum pauci ſenatorium ordinem intrare auſi, &mox univerſam Remp. occupaverunt: teſtamenta arbitrium ſuum ſcribi jubebant: convivia cœtuſque ingenuorum fieri vetabant filias dominorum in matrimonium ducebant: poſtremo lege ſanxerunt, ut ſtuprſua in viduis pariter, atque nuptis impunita eſſentac ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus caſtitatem noante ex numero ipſorum aliquis delibaſſet.

DE XERXE.

Age Xerxes opum regiarum oſtentatione eximiè uſque luxuria gaudebat, ut edicto prę mium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperiſſet. Quaqutâ, dum delitiis nimis capitur, ampliſsimi imperuinâ evaſit?

DE

DE ANTIOCHO REGE SYRIÆ.

Antiochus quoque Syriæ Rex nihilo contemptioris exempli: cujus cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuit: argenteaque vasa ad usum culinæ comparavit: & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Avaro potius hosti præda optabilis, quàm ulla ad vincendum strenuo mora.

DE PTOLEMÆO REGE ÆGYPTI.

Jam Ptolomæus Rex accessione vitiorum suorum vixit. Ideoque *Physcon* appellatus est, cujus nequitia quid nequius? sororem natu majorem communi fratri nuptam sibi nubere coëgit: postea deinde filia ejus per vim stuprata ipsam dimisit, ut vacuum locum nuptiis puellæ faceret.

DE POPULO ÆGYPTI.

Consentaneus igitur regibus suis, gentis Ægyptiæ populus, qui ductu Archelai adversus Aulum Gabinium mœnibus urbis egressus, cum castra vallo atque fossa cingere juberetur, universus succlamavit, ut id opus publica pecunia faciendum locaretur: quapropter delitiis tam enerves animi, spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.

DE CYPRIIS.

Sed tamen effœminatior multitudo Cypriorum, qui reginas suas mulierum corporibus velut gradibus constructis, quò mollius vestigia pedum ponerent, currus conscendere æquo animo sustinebant: viris

enim, si modo viri erant, vita carere, quàm tam delicato imperio obtemperare satius fuit. Hæc est societas vitiorum lascivi vultus, & novę cupiditati inhærentium oculorum, ac delicato cultu affluente, per varios illecebrarum motus volitantis animi.

DE CRUDELITATE.

CAPUT II.

CRUDELITATIS verò horridus habitus, truculenta species, violenti spiritus, vox terribilis, omnia minis & cruentis imperiis referta: cui silentium donare, incrementum est adjicere: etenim quem modum sibi ipsa statuet, si ne sugillationis quidem frenis fuerit revocata? ad summam, cum penes illam sit timeri, penes nos sit odisse.

DE LUCIO SYLLA.

Lucius Sylla, quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis digne potest: quia dum quęrit victorias, Scipionem se Pop. Rom. dum sęvitiam exercet, Annibalem repręsentavit: egregiè nanque autoritate nobilitatis defensa, crudeliter totam urbem, atque omnes Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit: quatuor legiones contrarię partis fidem suam secutas, in Publica villa, quæ in Martio campo erat, nequiquam fallacis dextrę misericordiam implorantes, obtruncari jussit: quarum lamentabiles quiritatus trepidę civitatis aures receperunt: lacerata ferro corpora Tiberis, impatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere coactus est. Quinque millia Prænestinorum spe salutis per P. Cethegum data, extra mœnia municipii evo-

ca-

tata; cum abjectis armis humi corpora proſtraviſſent, interficienda, protinuſque per agros diſpergenda curavit. Quatuor millia & ſeptingentos diræ proſcriptionis edicto jugulatos in tabulas publicas retulit, videlicet ne memoria tam præclarę rei diluueretur. Nec contentus in eos ſævire, qui armis à ſe diſſenſerant, etiam quieti animi cives, propter pecuniæ magnitudinem, per nomenclatorem conquiſitos, proſcriptorum numero adjecit. Adverſus mulieres quoque gladios diſtrinxit: quaſi parum cędibus virorum ſatiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium eſt, abſciſſa miſerorum capita, modo non vultum, ac ſpiritum retinentia, in conſpectum ſuum afferri voluit: ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quàm porrò crudeliter ſe in M. Mario Prætore geſsit! quem per ora vulgi ad ſepulchrum Lutatię gentis pertractum, non prius vita privavit, quàm oculos infelicis erueret, & ſingulas corporis partes confringeret. Vix mihi veriſimilia narrare videor. At ille etiam M. Plætorium, quòd ad Marii ſupplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit: novus punitor miſericordię, apud quem iniquo animo ſcelus intueri, ſcelus admittere fuit. Sed mortuorum umbris ſaltem pepercit? minime. Nam C. Marii, cujus etſi poſteà hoſtis, Quęſtor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alveum ſparſit. En, quibus actis felicis nomen aſſequendum putavit!

DE CAIO MARIO.

Cujus tamen crudelitatis C. Marius invidiam leat: nam & ille nimia cupiditate perſequendi inimios, iram ſuam nefariè diſtrinxit, L. Cæſaris Conſularis, & Cenſorii nobiliſsimum corpus ignobili ſævi-

tia trucidando, & quidem apud ſeditioſiſsimi, & abjectiſsimi hominis buſtum: id enim malorum miſerrimę tunc reipublicæ deerat, ut Vario Cæſar piaculum caderet. Penè tanti victorię ejus non fuerunt: quarum oblitus plus criminis domi, quàm laudis militię meruit. Idem caput M. Antonii abſciſſum ſuis manibus inter epulas per ſummam animi, ac verborum inſolentiam aliquandiu tenuit: clariſsimique & civis, & oratoris ſanguine contaminari menſę ſacra paſſus. Atque etiam P. Annium, qui id attulerat, in ſinum ſuum, recentis cædis veſtigiis aſperſum, recepit.

DE DAMASIPPO.

Damaſippus nihil laudis habuit, quod corrumperet: itaque memoria ejus licentiore accuſatione perſtringitur, cujus juſſu principum civitatis capita hoſtiarum capitibus permiſta ſunt. Carboniſque Arvinæ truncum corpus patibulo affixum geſtatum eſt: adeo aut flagitioſiſsimi hominis prætura multum, aut reipublicæ majeſtas nihil potuit.

DE MUNATIO FLACCO
Romano.

Munatius enim Flaccus Pompejani nominis acrior quàm probabilior defenſor, cum ab Imperatore Cæſare in Hiſpania incluſus mœnibus Atteguenſium obſideretur, efferatam crudelitatem ſuam truculentiſſimo genere veſaniæ exercuit: omnes enim ejus oppidi cives, quos ſtudioſiores Cæſaris ſenſerat, jugulato muris præcipitavit, fœminas quoque citatis nominibus virorum, qui in contrariis caſtris erant, ut cædes conjugum ſuarum cernerent, & maternis gremiis ſuperpoſitos liberos trucidavit. Infantes alios in con-

pectu

parentum humo infigi, alios superjactos pilis excipi jussit. Quę auditu etiam intolerabilia, Romano jussu Lusitanis manibus administrata sunt: cujus gentis præsidio Flaccus vallatus, divinis operibus, vecordi pertinacia resistebat.

EXTERNA.

DE CARTHAGINIENSIBUS.

Transgrediamur nunc ad illa, quibus, ut par dolor, ita nullus nostræ civitatis rubor inest. Carthaginienses Attilium regulum palpebris resectis, machina, in qua undique præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter & continuo tractu doloris necaverunt. Tormenti genus indignum passo, autoribus dignissimum. Eadem crudelitate usi in milites nostros, Martis certamine in suam potestatem redactos, navibus substraverunt, ut earum carinis, ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent: tetro facinore, pollutis classibus ipsum mare violaturi.

DE ANNIBALE.

Horum dux Annibal, cujus majore ex parte virtus sęvitia constabat: in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit: ut ęque terrestrium scelestum Carthaginiensium copiarum egressum terra, quam maritimarum Neptunus experiretur. Idem captivos nostros oneribus & itinere fessos jam prima pedum parte succisa relinquebat. Quos vero in castra perduxerat, paria ferè fratrum, & propinquorum jungens, ferro decernere cogebat: neque antè sanguine explebatur, quàm ad unum victorem, omnes redegisset. Justo ergo illum odio, veruntamen tardo sup-

plicio Senatus, Prusiæ regi factum supplicem, ad voluntariam mortem compulit.

DE REGE MITHRIDATE.

Tàm hercle, quàm Mithridatem regem qui una epistola octoginta millia civium Romanorum in Asia, per urbes negotiandi gratia dispersa, interemit: tantæque provinciæ hospitales deos, injusto, sed non inulto cruore respersit: quoniam cum maximo cruciatu, veneno repugnantem spiritum suum tandem succumbere coëgit. Simulque piacula crucibus illis dedit, quibus amicos suos autore Gauro spadone libidinosus obsequio, scelestus imperio affecerat.

DE GENTIS THRACIÆ REGINA.

Numulisintis Diogiridis filiæ Thraciæ regis, etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies sævitiæ facit: cui neque vivos homines medios secare, neque parentes liberorum vesci corporibus nefas fuit.

DE PTOLEMÆO REGE ÆGYPTI ET DE Cleopatra.

Iterum Ptolemæus Physcon emergit, paulo ante libidinosæ amentiæ terrimum exemplum: idem etiam inter præcipua crudelitatis indicia referendus. Quid enim hoc facto truculentius? filium suum nomine Memphitem, quem ex Cleopatra eadem sorore & uxore sustulerat, liberalis formæ, optimæ spei puerum in conspectu suo occidi jussit: pedes ejus pretiosos, & caput, & manus in cistam chlamyde operto pro munere natalitio matri misit: perinde quasi ipsa cladis, quam inferebat, expers, ac non infelicior quod

quòd in communi orbitate Cleopatram miserabilem, cunctis se invisum redderet. Adeò cæco furore summa quęque efferuescit crudelitas, cui munimentum ex seipsa capit. Nam cum animadverteret, quanto suo odio patria teneretur, timori remedium scelere petivit: quoque tutius plebe trucidara regnaret, frequens juventute Gymnasium armis & igni circundedit, omnesque, qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necavit.

DE OCHO DICTO DARIO:

Ochus autem, qui posteà Darius appellatus est, sanctissimo Persis jurejurando obstrictus, ne quem ex conjuratione, quę septem magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut inopia alimentorum necaret: crudeliorem mortis rationem excogitavit, qua onerosos sibi, non perrupto vinculo religionis tolleret: septum enim altis parietibus locum cinere complevit, suppositoque tigno prominente, benigno cibo, & potione exceptos in eo collocabat, è quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebant.

DE OCHO ARTAXERXE.

Apertior, & tetrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui Ocham sororem, atque eandem socrum, vivam capite defodit: & patruum cum centum & amplius filiis, ac nepotibus vacua area destitutum jaculis confixit: nulla injuria lacessitus, sed quod in his maximam apud Persas probitatis, & fortitudinis laudem consistere videbat.

DE ATHENIENSIBUS.

Consimili genere æmulationis instincta civitas Athe-

Athenienſium, indigno gloriæ ſuę decreto Æginenſium juventuti pollices abſcidit: ut claſſe potens populus, in certamen maritimarum virium ſecum deſcendere nequiret. Non agnoſco Athenas timori remedium à crudelitate mutuantes.

DE INVENTORE ÆNEI TAURI.

Sęvus etiam ille ænei tauri inventor, quo incluſi ſubditis ignibus, longo & abdito cruciatu, mugitus reſonantem ſpiritum edere cogebantur, ne ejulatus eorum humanæ ſono vocis expreſsi, Phalaridis tyranni miſericordiam implorare poſſent: quam, quia calamitoſis deeſſe voluit, teterrimum artis ſuę opus primus artifex incluſus meritò auſpicatus eſt.

DE HETRUSCIS.

At ne Hetruſci quidem parum feroces in pœna excogitanda, qui virorum corpora cadaveribus adverſa adverſis alligata, atque conſtricta, ita ut ſingulæ membrorum partes, ſingulis eſſent accommodatæ, tabeſcere ſimul patiebantur: amari vitæ pariter, ac mortis tortores.

DE BARBARIS.

Sicut illi Barbari, quos ferunt mactatarum pecudum inteſtinis, & viſceribus egeſtis, homines inſerere, ita ut capitibus tantummodo emineant, quoque diutius pœnę ſufficiant, cibo & potione infelicem ſpiritum prorogare, donec intus putrefacti laniatui ſint animalibus, quę tabidis corporibus innaſci ſolent. Queramur nunc cum natura rerum, quòd nos multis, & aſperis adverſæ valetudinis incommodis obnoxios eſſe voluerit: habitumque cœleſtis roboris humanæ con-

conditioni denegatum moleſte feramus, cum tot cruciatus ſibimetipſa mortalitas impulſu crudelitatis excogitaverit.

DE IRA, ET ODIO.

CAPUT III.

IRA quoque, & odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant: procurſu celerior illa nocendi cupidine, hoc pertinacius: uterque conſternationis plenus affectus, ac numquam ſine tormento ſui violentus: quia dolorem cum inferre vult, patitur, amara ſolicitudine, ne non contingat ultio, anxius: ſed proprietatis eorum certiſsimæ ſunt imagines, quas dii ipſi in claris perſonis, aut dicto aliquo, aut facto vehementiore conſpici voluerunt.

DE LIVIO SALINATORE.

Cum adverſus Aſdrubalem Livius Salinator bellum geſturus urbe egrederetur, monente Favio Maximo, ne antè deſcenderent in aciem, quàm hoſtium vires animumque cognoſceret: primam occaſionem puguandi non omiſſurum ſe reſpondit. Interrogatuſque ab eodem, quid ita tam feſtinanter manum conſerere vellet: Ut quam celerrime (inquit) aut gloriam ex hoſtibus victis, aut ex civibus proſtratis gaudium capiam. Ira tunc atque virtus ſermonem ejus inter ſe diviſerunt: illa injuſtæ damnationis memor: hæc triumphi gloriæ intenta. Sed neſcio an ejuſdem fuerit hoc dicere, & ſic vincere.

DE

DE FIGULO.

Ardentis ſpiritus virum, & bellicis operibus aſſuetum, huc iracundię ſtimuli egerunt. C. autem Figulum manſuetiſsimum, pacato juris civilis judicio celeberrimum, prudentiæ, moderationiſque immemorem reddiderunt. Conſulatus enim repulſæ dolore accenſus, eò quidem magis, quòd illum bis patri ſuo datum meminerat, cum ad eum poſtero comitiorum die, multi conſulendi cauſa veniſſent, omnes dimiſit: præfatus, An vos conſulere ſcitis, Conſulem facere neſcitis? Dictum graviter, & meritò, ſed tamen aliquanto melius non dictum. Nam quis populo Rom. iraſci ſapienter poteſt?

DE PATRICIIS ROMANIS.

Itaque ne illi quidem probandi, quamvis factum eorum nobilitatis ſplendore protectum ſit: qui, quòd Cn. Flavius humillimæ quondam ſortis prœturam adeptus erat, offenſi, annulos aureos ſibimetipſis, & phaleras equis ſuis detractas abjecerunt, doloris impotentiam tantum non luctum profecto teſtati. Talis irę motus aut ſingulorum, aut paucorum adverſus populum univerſum: multitudinis autem erga principes, ac duces ejuſmodi.

DE JUVENIBUS ROMANIS, ET MANLIO Torquato.

Manlio Torquato ampliſsimam, & glorioſiſsimam ex Latinis, & Campanis victoriam in urbem referenti, cum ſeniores omnes lętitia ovantes occurrerent, juniorum nemo obviam proceſsit: quòd filium adoleſcentem fortiſsimè adverſus imperium ſuum prœliatum ſecuri percuſſum occidiſſet: miſerti ſunt ęqualis ni-

nimis aſpere puniti : nec factum eorum defendo , ſed iræ vim indico , quę unius civitatis & ętates & affectus dividere valuit. Iisdem tantum potuit , ut universum Populi Romani equitatum à Fabio Conſule ad hoſtium copias perſequendas miſſum , cum & tutò & facile eas liceret delere , legis agrarię ab eo impeditæ memoria immobilem retineret.

DE APPIO CLAUDIO CONSULE.

Illa vero etiam Appio duci (cujus pater , dum pro ſenatus amplitudine nititur , commoda plebis acerrime impugnaverat) infenſum exercitum faciendo , voluntaria fuga terga hoſti , ne triumphum imperatori quęreret , dare coëgit. Quoties ergo victorię victrix ? Congratulationem ejus in Torquato ſpernendam , in Fabio pulcherrimam partem omittendam , in Appio totam fugæ poſtponendam credidit.

DE EODEM , ET POPULO ROMANO.

Age, quàm violenter ſe in pectore univerſi Pop. Rom. geſsit eodem tempore , quo ſuffragiis ejus dedicatio ædis Mercurii M. Plętorio primipili centurioni data eſt ; præteritis Conſulibus , Claudio , quòd obſtitiſſet , quo minus æri ſuo alieno ſuccurreretur ; & Servilio , quòd ſuſceptam cauſam ſuam languido patrocinio protexiſſet? Negas efficacem eſſe iram , cujus hortatu miles ſummo imperio prælatus eſt ? Non quidem proculcavit tantùm imperia , ſed etiam geſsit impotenter.

DE METELLO.

Nam Q. Metellus cum provinciam Hiſpaniam Conſul

ſul prius, deinde pro conſule penè totam ſubegiſſet, poſtquam cognovit Qu. Pomp. Conſulem inimicum ſuum ſucceſſorem ſibi mitti: omnes qui modo militiam ſuam voluerunt finiri, dimiſit: commeatus petentibus, nec cauſis excuſsis, nec conſtituto tempore, dedit: horrea cuſtodibus remotis opportuna rapinę præbuit. Arcus, ſagitaſque Cretenſium frangi, atque in amnem abjici juſsit: elephantis cibaria dari vetuit. Quibus factis, ut cupiditati ſuę indulſit, ita magnificè geſtarum rerum gloriam corrupit: meritumque honorem, triumphi hoſtium, quàm iræ, fortior victor amiſit.

DE L. SYLLA.

Quid Sylla, dum huic vitio obtemperat, nonne multo alieno ſanguine profuſo, ad ultimum & ſuum erogavit? Puteolis enim ardens indignatione, quòd Granius princeps ejus coloniæ pecuniam à decurionibus ad refectionem Capitolii promiſſam cunctatius daret: animi concitatione nimia, atque immoderatæ vocis impetu convulſo pectore, ſpiritum cruore, ac minis miſtum evomuit. Nec ſenio jam prolapſus, utpote ſexageſimum ingrediens annum, ſed alita miſeriis Populi Romani impotentia furens. Igitur in dubio eſt, Syllane prior, an iracundia Syllæ ſit extincta. Nunc ab ignotis exempla petere juvat, ſed maximis viris exprobrare vitia ſua verecundię eſt. Cæterum cum propoſiti fides excellentiſsima quæque complecti moneat, voluntas operi cedat, dum præclara libenter probando, neceſſaria narrandi conſcientia non deſit.

EX-

EXTERNA.

DE ALEXANDRO REGE.

Alexandrum iracundia ſua propemodum cœlo diripuit. Nam quid obſtitit, quo minus illuc aſſurgeret, niſi Lyſimachus leoni objectus, & Clytus haſta trajectus, & Calliſthenes mori juſſus? quia tres maximas victorias totidem amicorum injuſtis cædibus victor perdidit.

DE AMILCARE.

Quàm vehemens deinde adverſus Populum Romanum Amilcaris odium! Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, ejuſdem numeri catulos leoninos, in perniciem imperii noſtri alere ſe prædicabat. Digna nutrimenta, quę in exitium patrię ſuę, ut evenit, converterentur.

DE ANIBALE.

E quibus Annibal mature adeò patris veſtigia ſubſecutus eſt, ut eo exercitum in Hiſpaniam trajecturo, & ob id ſacrificante novem annorum natu, altaria tenens juraret, ſe cum primum per ætatem potuiſſet, acerrimum hoſtem Pop. Rom. futurum ut pertinaciſſimis precibus inſtantis belli commilitium exprimeret. Idem ſignificare cupiens, quanto inter ſe odio Carthago & Roma diſiderent; inflicto in terram pede, ſuſcitatoque pulvere, tunc inter eas fore finem belli dixit, cum alterutra urbs in habitum pulveris eſſet redacta. In puerili pectore non tantum vis odii potuit; ſed in muliebri quoque æque multum valuit.

DE

DE SEMIRAMIDE REGINA BABYLONIS.

Namque Semiramis Assyriorum Regina, cum ei circa cultum capitis sui occupatę nuntiatum esset, Babylonem defeciſſe: altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit. Nec prius decòrem capillorum in ordinem, quàm tantam urbem in potestatem suam redegit. Quocirca statua ejus Babylone posita est illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate prȩcipiti tetendit.

DE AVARITIA.

CAPUT IV.

PRotrahatur etiam in medium avaritia latens indagatrix lucrorum, manifestæ prædę avidissima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima.

DE M. CRASSO, ET Q. HORTENSIO.

Cum admodum locupleti L. Minucio Basilio falsum testamentum quidam in Græcia subjeciſſent, ejus denique confirmandi gratia potentiſsimos civitatis nostræ viros M. Crassum, & Q. Hortensium, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruerunt. Quanquam evidens fraus erat, tamen uterque pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiavit. Quantam culpam quàm leviter retuli! lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonestæ lucri captura invitati, autoritatibus suis texerunt.

DE

DE Q. CASSIO.

Verum aliquanto majores vires in Q. Caſsio exhibuit, qui in Hiſpania Silium, & Calpurnium occidendi ſui gratia cum pugionibus deprehenſos quinquagies ſeſtertiûm ab illo, ab hoc ſexagies pactus dum ſit. Atque ne dubites ſi alterum tantum daretur, jugulum quoque ſuum æquo animo illis fuiſſe præbiturum.

DE L. SEPTIMULEIO.

Ceterum avaritia ante omnes L. Septimuleji præcordia poſſedit: qui, cum C. Gracchi familiaris fuiſſet, caput ejus abſcindere, & per urbem pilo fixum ferre ſuſtinuit: quia Opimius conſul auro id ſe repenſurum edixerat. Sunt qui tradunt, liquato plumbo eum cavatam partem capitis, quò ponderoſius eſſet, expleſſe. Fuerit ille ſeditioſus, bono perierit exemplo: clientis tamen ſceleſta fames in has uſque jacentis injurias eſurire non debuit.

EXTERNA.

DE PTOLEMÆO REGE CYPRIORUM.

Odium merita eſt Septimuleji avaritia, Ptolomæi autem regis Cypriorum, riſu proſequenda. Nam cum anxiis ſordibus magnas opes corripuiſſet, propterque eas periturum ſe videret, & ideo omni pecunia impoſita navibus, in altum proceſsiſſet, ut claſſe perforata ſuo arbitrio periret, & hoſtes præda carerent; non ſuſtinuit mergere aurum, & argentum: ſed futurum ſuæ necis præmium domum revexit. Proculdubio hic non poſſedit divitias, ſed à divitiis poſſeſſus eſt: titulo rex inſulæ, animo autem pecuniæ miſerabile mancipium.

DE SUPERBIA, ET IMPOTENTIA.

CAPUT V.

DE M. FULVIO FLACCO.

ATQUE, ut ſuperbia quoque & impotentia in conſpicuo ponantur, Marcus Fulvius Flaccus Conſul, Marci Plautii Hypſæi collega, cum perniciosiſsimas Reipublicę leges introduceret, de civitate danda, & de provocatione ad populum, eorum, qui civitatem mutare voluiſſent, ægre compulſus eſt, ut in curiam veniret: deinde partim monenti, partim oranti ſenatui ut incepto deſiſteret, reſponſum non dedit. Tyrannici Conſul ſpiritus haberetur, ſi adverſus unum ſenatorem hoc modo ſe geſsiſſet, quo Fulvius in totius ampliſsimi ordinis contemnenda majeſtate verſatus eſt.

DE M. DRUSO TRIBUNO.

Quæ à M. quoque Druſo Tr. Pl. per ſummam contumeliam vexata eſt: parum enim habuit L. Philippum Conſulem, quia ſe interfari concionantem auſus fuerat, obtorta gula, & quidem non per viatorem, ſed per clientem ſuum, adeo violenter in carcerem præcipitem egiſſe, ut multus è naribus ejus cruor perfunderetur. Verumetiam cum ſenatus ad eum miſiſſet, ut in curiam veniret: Quare non potius, inquit, ipſe in Hoſtiliam propinquam Roſtris ad me venit? Piget adjicere quod ſequitur. Tribunus Senatus imperium deſpexit, Senatus Tribuni verbis paruit.

DE CN. POMPEIO.

Cn. autem Pompejus quàm inſolenter egit? qui bal-

DE PERFIDIA.

CAPUT VI.

OCCULTUM jam, & insidiosum malum perfidia, latebris suis extrahatur: cujus efficacissimæ vires sunt mentiri, ac fallere: fructus in aliquo admisso scelere consistit: tùm certus, cùm crudelitatem nefariis vinculis circundedit: tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quàm illa laudis consequitur.

DE TATIO SABINO.

Romulo regnante Spurius Tarpejus arci præerat, cujus filiam virginem aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, ut armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit; mercedis nomine pactam quæ in sinistris manibus gerebant: erant autem his armillæ, & annuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen Sabinorum, puellam præmium flagitantem, armis obrutam necavit: perinde quasi promissum (quòd ea quoque lævis gestaverant) solvens. Absit reprehensio: quia impia proditio celeri pœna vindicata est.

DE SERVIO GALBA.

Servius quoque Galba fammæ perfidiæ: trium enim Lusitaniæ civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus acturus, septem millia, in quibus flos juventutis consistebat, electa, & armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit: quo facinore maximam

cladem barbarorum, magnitudine criminis antecesſit.

DE CN. DOMITIO.

Cn. autem Domitium ſummi generis, & magni animi virum, nimię gloriæ cupiditas perfidum exiſtere coëgit. Iratus nanque Betulio regi Arvernorum, quòd tum ſuam, tum etiam Allobrogum gentem, ſ etiam tum in provincia morante, ad Qu. Fabii ſucceſſoris ſui dexteram confugere hortatus eſſet: per colloquii ſimulationem accerſitum, hoſpitioque exceptum vinxit, ac Romam nave deportandum curavit. Cujus factum Senatus neque probare potuit, neque reſcindere voluit: ne remiſſus in patriam Betulius bellum renovaret. Igitur eum Albam cuſtodiæ cauſa relegavit.

DE Q. SERVILIO CEPIONE.

Viriati etiam cædes duplicem perfidiæ accuſationem recepit: in amicis, quòd eorum manibus interemptus eſt: in Qu. Servilio Cepione Conſule, quo is ſceleris hujus autor, impunitate promiſſa, fuit: victoriamque non meruit, ſed emit.

EXTERNA.

DE CARTHAGINIENSIBUS.

Verum ut ipſum fontem perfidiæ contemplemur Carthaginienſes Xantippum Lacedæmonium, cujus optima opera primo Punico bello uſi fuerant, & qui juvante Attilium Regulum ceperant, ſimulantes ſe domum revehere, in alto merſerunt. Quid tanto facinore petentes? an, ne victoriæ eorum ſocius ſuperſtes eſſet? Extat nihilominus, & quidem cum illorum op

pro-

, ad eum, qui nullo in honore versaretur tran- cogerétur. Sed quis ferat militem scita plebis exitio legati corrigentem? Pro Consule istud tam violenter exercitus, illud adversus Consulem.

DE MILITIBUS CN. POMPEII, ET MORTE Qu. Pompeji.

Quintum enim Pompejum Syllæ collegam, senatus jussu ad exercitum Cn. Pompeji quem aliquandiu invita civitate obtinebat, contendere ausum: ambitiosi ducis illecebris corrupti milites sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactaverunt: tantumque scelus Curia castris cedere se confessa, inultum habuit.

DE QUODAM EXERCITU, ET MORTE C. Carbonis.

Ille quoque exercitus nefariè violentus, qui C. Carbonem fratrem Carbonis ter Consulis, propter bella civilia dissolutam disciplinam militarem præfractius & rigidius astringere conatum, privavit vita, latiusque duxit maximo scelere coinquinari, quam pravos, ac tetros mores mutare.

DE TEMERITATE.

CAPUT VIII.

TEMERITATIS etiam & subiti & vehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula dispicere, nec aliena facta justa æstimatione prolequi valent.

DE

DE SUPERIORE AFRICANO.

Quàm enim temere se Africanus superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Syphacem trajecit, in unius Numidę infidis præcordiis suam pariter, & patrię salutem depositurus! Itaque exiguo momento maximæ rei casus fluctuavit, utrum captivus, an victor Scipio Syphacis fieret.

DE C. CÆSARE.

Jam C. Cęsaris anceps conatus, etsi cœlestium cura protectus est, tamen vix sine horrore animi referri potest: siquidem impatiens legionum tardioris à Brundusio Apolloniam trajectus, per simulationem adversæ valetudinis convivio egressus, majestate sua servili veste occultata, naviculam conscendit è flumine, ac maris Adriatici sæva tempestate fauces petiit. Protinusque in altum dirigi jusso navigio, multum ac diu contrariis jactatus fluctibus, tandem necessitati cessit.

DE MILITIBUS ALBINI DUCIS.

Age, illa quàm execrabilis militum temeritas! fecit enim ut Aulus Albinus nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione civis eximius, propter falsas & inanes suspiciones in castris ab exercitu lapidibus obrueretur: quodque accessionem indignationis non recipit, oranti atque obsecranti duci à militibus causæ dicendę potestas negata est.

EXTERNA.

DE ANNIBALE CARTHAGINIENSI.

Itaque minus miror apud trucem, & sævum Anniba-

balis animum defenſionis locum innoxio gubernatori non fuiſſe : quem à Petilia claſſe Africam repetens freto appulſus, dum tam parvo ſpatio Italiam, Siciliamque inter ſe diviſas non credit, veluti infidioſum curſus rectorem interemit : poſteà diligentius inſpecta veritate, tunc abſolvit, cum ejus innocentię nihil ultra ſepulchri honorem dari potuit. Igitur anguſti, atque æſtuoſi maris alto è tumulo ſpeculatrix ſtatua, tam memorię Pelori, quàm Punicæ temeritatis, ultrà citraque navigantium oculis collocata, indicium eſt.

DE ATHENIENSIBUS.

Jam Athenienſium civitas ad veſaniam uſque temeraria: quę decem univerſos imperatores ſuos, & quidem à pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necavit; quòd militum corpora, ſævitia maris interpellante, ſepulturę mandare non potuiſſent : neceſsitatem puniens, cum honorare virtutem debuiſſet.

QUANTUM VALET ERROR.

CAPUT IX.

TEMERITATI proximus eſt error : quemadmodum ad lædendum par, ita cui facilius quis ignoverit : quia non ſua ſponte, ſed vanis concitatus imaginibus, culpæ ſe implicat. Qui quàm late in pectoribus hominum vagetur, ſi complecti coner, vitio, de quo loquor, ſim obnoxius. Paucos igitur ejus lapſus referemus.

DE

DE ERRORE POPULI ROMANI IN CAJUM Elvium.

Cajus Elvius Cinna Trib. Ple. ex funere C. Cęsaris domum ſuam petens, populi manibus diſcerptus eſt pro Cornelio Cinna, in quem ſęvire ſe exiſtimabat: iratus ei, quòd cum affinis eſſet Cæſaris, adverſus eum nefarie raptum, impiam pro roſtris orationem habuiſſet: eoque errore propulſus eſt, ut caput Elvii perinde atque Cornelii circa rogum Cæſaris, fixum jaculo ferret; officii ſui, & alieni erroris piaculum miſerabile.

DE C. CASSIO.

Nam C. Caſsium error à ſemetipſo pœnas exigere coëgit. Inter illum enim pugnæ quatuor exercituum apud Philippos variùm, ipſiſque ducibus ignotum eventum, juſſus ab eo Titinius centurio nocturno tempore, ut ſpecularetur, quonam in ſtatu res M. Bruti eſſent: dum crebros exceſſus vię petit, quia tenebrarum obſcuritas, hoſtes ne, an commilitones occurrerent, dignoſcere non ſinebat, tardius ad Caſsium rediit. Quem is exceptum ab hoſtibus, omniaque in eorum poteſtatem recidiſſe exiſtimans, finire vitam properavit: cum & caſtra hoſtium invicem capta, & Bruti copię magna ex parte incolumes eſſent.

Titinii verò non obliteranda ſilentio virtus, qui oculis pauliſper hęſit, inopinato jacentis ducis ſpectaculo attonitus, deinde profuſus in lachrymas, Etſi imprudens, inquit, imperator cauſa tibi mortis fui: tamen ne idipſum impunitum ſit, accipe me fati tui comitem: ſuperque exanime corpus ejus jugulo ſuo gladium capulo tenus demiſit: ac permiſto utriuſque ſanguine, duplex victima jacuit, pietatis hęc, erroris illa.

DE

DE SATELLITIBUS REGIS Vejentum.

Cæterum falsa opinatio, nescio an præcipuam injuriam Laertis Tolumnii Vejentum Regis penatibus intulerit: nam cum in tesserarum prospero jactu per jocum collusori dixisset, occide: & forte legati Romanorum interveniissent, satellites ejus errore vocis impulsi, interficiendo legatos, lusum ad impetium transtulerunt.

DE ULTIONE.

CAPUT X.

ULTIONIS autem quemadmodum acres, ita justi aculei sunt: qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes. Quos latius complecti non attinet.

DE TRIBU POLLIA.

Trib. Pleb. M. Flavius ad populum de Tusculanis retulit, quòd eorum consilio Veliternos, Privernatesque rebellaturos diceret: qui cum conjugibus, ac liberis squalore obsiti, cum supplices Romam veniissent, accidit, ut reliquis tribubus salutarem sententiam secutis, sola Pollia judicaret, oportere publicè eos verberatos securi percuti, imbellem multitudinem sub corona venire: quam ob causam Papiria tribus, in qua plurimum posteà Tusculani in civitatem recepti, potuerunt, neminem postea candidatum Pollię tribus fecit magistratum: ne ad eam ullus honor suis suffragiis pervèniret, quæ illis vitam ac li-

ber-

egerat, ut Scævola in funere C. Marii jugularetur, quem postquam ex vulnere recreatum comperit, accusare ad populum instituit. Interrogatus deinde quid de eo secus dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset: respondit se objecturum illi, quòd parcius corpore telum recepisset. O licentiam furoris ægrè Reipublicæ gemitu prosequendam!

DE L. CATILINA.

L. vero Catilina in senatu M. Cicerone incendium ab ipso excitatum dicente, Sentio, inquit: & quidem illud si aqua non potuero, ruina extinguam. Quem quid aliud existimemus, quàm conscientiæ stimulis, actum à se inchoati parricidii peregisse?

DE MAGIO CHILONE.

Consternatum etiam Magii Chilonis amentia pectus: qui M. Marcello datum à Cæsare spiritum, sua manu eripuit. Vetus etiam Pompejanæ militiæ comes, indignatus aliquem sibi amicorum ab eo præferri. Urbem enim à Mitylenis, quò se contulerat, repetentem, in Athenienſium portu pugione confodit, protinusque ad irritamenta vesaniæ luæ trucidanda tetendit; amicitiæ hostis, divini beneficii interceptor, publicæ religionis, quod ad salutem clarissimi civis recuperandam attinuit, acerba labes.

DE C. TURANIO.

Hanc crudelitatem, cui nihil adjici posse videtur, C. Turanius atrocitate parricidii superavit. Namque triumvirûm partes secutus, proscripti patris su-

præ-

prætorii & ornati viri latebras, ætatem, notas corporis, quibus agnosci posset, centurionibus edidit, qui eum persecuti sunt. Senex de filii magis vita, & incrementis, quàm de reliquo spiritu suo solicitus, an incolumis esset, & an imperatoribus satisfaceret, interrogare eos cœpit: è quibus unus, Ab illo, inquit, quem tantopere diligis, demonstratus, nostro ministerio, filii indicio occideris, protinusque pectus ejus gladio trajecit. Collapsus itaque est infelix, autore cædis, quàm ipsa cæde miserior.

DE FILIO TULLII HANNALIS.

Cujus fati acerbitatem L. Villius Hannalis sortitus; qui cum in campum ad quæstoria comitia filii descendens, proscriptum se cognosset, ad clientem suum confugit: sed ne fide ejus tutus esse posset, scelere nefarii juvenis effectum est. Siquidem per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidendum eum in conspectu suo objecit: bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo.

DE UXORE VETTII SALASSI.

Ne Vettius quidem Sallassus proscriptus parum amari exitus, quem latentem uxor interficiendum, quid dicam? tradidit, an ipsa jugulavit? Quanto enim levius est scelus, cui tantummodo manus abest? Illud autem facinus, quia externum, tranquilliore affectu narrabitur.

***

EXTERNA.

DE DUOBUS FRAT. FILIIS Regiis.

Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine nova celebrante: duo regii filii nuper patre mortuo, in arenam proceſſerunt: pollicitique ſunt ibi ſe de regno præliaturos, quò ſpectaculum illud illuſtrius pugna ſua facerent. Eos cum Scipio monuiſſet, ut verbis contendere, quàm ferro dimicare mallent, uter regnare deberet: ac jam major natu conſilio ejus obtemperaret, minor corporis viribus fretus, in amentia perſtitit: initoque certamine pertinacior impietas fortunæ judicio morte multata eſt.

DE MITHRIDATE.

Mithridates autem multo ſceleratius, qui non cum fratre de paterno regno, ſed cum ipſo patre bellum de dominatione geſsit: in quo qui aut homines ullos adjutores invenerit, aut deos invocare auſus ſit, præ admiratione hæreo.

DE SARIASTRE FILIO TIGRANIS Regis.

Quanquam quid hoc quaſi inuſitatum illis gentibus miremur? cum Sariaſtes adverſus patrem ſuum Tigranem Armeniæ regem, ita cum amicis conſenſerit, ut omnes dextris manibus ſanguinem mitterent, atque eum invicem ſorberent. Vix ferrent illi pro ſalute parentis tam cruenta conſpiratione fœdus facientem.

DE QUODAM, QUI INTERFICERE voluit Octavianum Augustum.

Sed quid ego ista consector, aut quid his immoror; cum unius parricidii cogitatione cuncta scelera superata cernam? omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis viribus, ad id lacerandum pio magis, quam valido affectu rapior. Quis enim amicitiæ fide extincta genus humanum cruentis in tenebris sepelire conatum, profundo execrationis debitæ satis efficacibus verbis adegerit? Tu videlicet efferatæ barbariæ immanitate truculentior habenas Romani Imperii, quas princeps, parensque noster salutari dextera continet, capere potuisti? Haud te compote furoris in suo statu mundus mansisset. Urbem à Gallis captam, & trecentorum inclytæ gentis virorum strage fœdam, Allienſem diem, & oppressos in Hispania Scipiones, & Trasymenum lacum, & Cannas, bellorumque civilium domestico sanguine madentem Æmathiam, ameutibus propositis furoris tui repræsentare, & vincere voluisti. Sed vigilarunt oculi deorum, sidera suum vigorem obtinuerunt: aræ, pulvinaria, templa, præsenti numine vallata sunt: Nihilque quod pro capite Augusti, ac patria excubare debuit, torpere sibi permisit. Et in primis autor, & tutela nostræ incolumitatis Jupiter, ne excellentissima merita sua totius orbis ruina collaberentur, divino consilio providit. Itaque stat pax, valent leges, sincerus privati, ac publici officii tenor servatur. Qui autem hæc violatis amicitiæ fœderibus tentavit subvertere, omni cum stirpe sua Populi Rom. pedibus obtritus, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendit.

DE MORTIBUS NON VULGARIBUS.

CAPUT XII.

HUMANÆ autem vitæ conditionem præcipuè primus & ultimus dies continet: quia plurimum interest quibus auspiciis inchoëtur, & quo fine claudatur: ideoque eum demum felicem fuisse judicamus, cui & accipere lucem prospere, & reddere placide contigit. Medii temporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modo tranquillo motu peragitur, spe semper minor, dum & cupide votis extenditur, & ferè sine ratione consumitur. Nam & si eo bene uti velis, etiam parvum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando. Alioqui quid attinet inerti mora gaudere, si magis exigis vitam, quàm approbas? sed ne longius evager, eorum mentionem faciam, qui non vulgari genere mortis absumpti sunt.

DE TULLO HOSTILIO.

Tullus Hostilius fulmine ictus, cum tota domo conflagravit. Singularem fati sortem, qua accidit, ut columen urbis, in ipsa urbe raptum, ne supremo quidem funeris honore à civibus decorari posset, cœlesti flamma in eam conditionem redactum, ut eosdem penates, & regiam, & rogum, & sepulchrum haberet.

DE DUABUS MULIERIBUS.

Vix verisimile est in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen, & tamen idem valuit.

Nun-

Nunciata enim clade, quæ ad lacum Trasimenum inciderat, altera mater sospiti filio ad ipsam portam facta obviam, in complexu ejus expiravit. Altera cum falso mortis filii nuntio mœsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Genus casus inusitatum: quas dolor non extinxerat, lętitia consumpsit.

DE M. JUVENTIO TALNA COS.

Sed minus miror, quòd mulieres. Marcus Juventius Talna Consul, collega Tiberii Gracchi consulis, cum in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis litteris, decretas ei à senatu supplicationes nuntiantibus, intento illas animo legens caligine orta ante foculum collapsus, mortuus humi jacuit. Quem quid aliud quàm nimio gaudio enectum putemus? En cui Numantia, aut Carthago excidenda traderetur!

DE Q. CATULO.

Majoris aliquanto spiritus dux Quintus Catulus, Cimbrici triumphi cum Mario particeps à senatu datus, sed exitus violentioris: nanque ab hoc eodem Mario posteà propter civiles dissensiones mori jussus, recenti calce illito, multoque igni percalfacto cubiculo, se inclusum peremit: cujus tam dira necessitas maximus Marianę gloriæ rubor extitit.

DE LUCIO CORNELIO MERULA.

Qua tempestate Reip. Lucius quoque Cornelius Merula consularis, & Flamen Dialis, ne ludibrio insolentissimis victoribus esset, in Jovis sacrario venis incisis contumelioseę mortis denuntiationem effugit:

ſacerdotiſque ſui ſanguine vetuſtiſsimi foci maduerunt.

DE HERENNIO SICULO.

Acer etiam & animoſus vitæ exitus Herennii Siculi, quo C. Gracchus, & aruſpice, & amico uſus fuerat: nam cum eo nomine in carcerem deduceretur, in ejus poſtem illiſo capite in ipſo ingreſſu aditu concidit, ac ſpiritum poſuit: uno gradu à publico ſupplicio, manuque carnificis citerior.

DE CAIO LICINIO.

Conſimili impetu mortis Cajus Licinius Macer vir Prętorius Calvi pater repetundarum reus, dum ſententiæ dicerentur, in Męnianum conſcendit: ſiquidem cum Marcum Ciceronem, qui id judicium cogebat, prętextam ponentem vidiſſet: miſit ad eum qui diceret, ſe non damnatum, ſed reum periiſſe: nec ſua bona haſtę poſſe ſubjici. Ac protinus ſudario, quod fortè in manu habebat, ore & faucibus coartatus, incluſo ſpiritu pœnam morte præcurrit: qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiavit. Igitur illuſtris ingenii orator & ab inopia rei familiaris, & à crimine domeſticę damnationis inuſitato paterni fati genere vindicatus eſt. Fortis hujus mors, illorum perridicula.

DE CORNELIO GALLO, ET TITO Ætherio.

Cornelius enim Gallus Prætorius, & Titus Ætherius eques Ro. inter uſum Veneris abſumpti ſunt: quanquam quorſum attinet eorum cavillari fata, quos non libido ſua, ſed fragilitatis humanæ ratio abſtulit? Fine nan-

nanque vitæ noſtrę variis & occultis cauſis expoſito, interdum quędam immerentia ſupremi fati titulum occupant : cum magis in tempus mortis incidant, quàm ipſam mortem accerſant.

DE COMA FRATRE CLEONIS.

Sunt & externæ mortes dignæ annotatu : qualis in primis Comę, quem ferunt maximi latronum ducis Cleonis fratrem fuiſſe. Is enim ad Rutilium Conſulem poſt Ennam quam prædones tenuerant, in poteſtatem noſtram redacta perductus, cum de viribus & conatibus fugitivorum interrogaretur, ſumpto tempore ad ſe colligendum, caput operuit, innixuſque genibus compreſſo ſpiritu, inter ipſas cuſtodum manus, inque conſpectu ſummi imperii, exoptata ſecuritate quievit. Torqueant ſe miſeri, quibus extingui, quàm ſupereſſe utilius eſt, trepido & anxio conſilio, quanam ratione vita exeant quærentes : ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vaſtas altitudines circunſpiciant, tanquam magno apparatu, aut exquiſita molitione opus ſit, ut corporis, atque animi infirmo vinculo cohęrens ſocietas dirimatur. Nihil horum Coma, ſed intra pectus incluſa anima, finem ſui reperit. Enimvero minimo ſtudio retinendum bonum, cujus caduca poſſeſsio tam levi afflatu violentiæ concuſſa dilabi potuit.

DE ESCHYLO POETA.

Eſchyli verò poëtę exceſſus, quemadmodum non voluntarius, ſic propter novitatem caſus referendus. In Sicilia mœnibus urbis, in qua morabatur egreſſus, arrico in loco reſedit, ſuper quem Aquila teſtudinem ferens, eluſa ſplendore capitis (erat enim capillis vacuum)

cuum) perinde atque lapidi eam illisit, ut fractę testudinis carne vesceretur : eoque ictu origo, & principium fortioris tragœdię extinctum est.

DE HOMERO POETA.

Non vulgaris etiam Homeri mortis causa fertur: qui in insula, quia quæstionem à piscatoribus positam solvere non potuisset, dolore absumptus creditur.

DE EURIPIDE POETA.

Sed atrocius aliquanto Euripides finitus est. Ab Archelai enim regis cœna in Macedonia domum hospitalem repetens, canum morsibus laniatus obiit. Crudelitas fati tanto ingenio non debita. Sicut illi excessus illustrium poëtarum & moribus, & operibus, indignissimi.

DE SOPHOCLE.

Sophocles ultimę jam senectutis, cum in certamine tragœdiam dixisset, ancipiti sententiarum eventu diu solicitus, aliquando tamen una sententia victor, causam mortis gaudium habuit.

DE PHILEMONE.

Philemonem autem vis risus immoderati abstulit: paratas ei ficos, atque in conspectu positas asello consumente, puerum ut illum abigeret, inclamavit. Qui cum jam comestis omnibus supervenisset, Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salębris spiritus prægravavit.

DE PINDARO.

At Pindarus, cum in Gymnasio super gremium pue-

pueri, quo unice delectabatur, capite posito quieti se dedisset, non prius decessisse cognitus est, quàm Gymnasiarcha claudere eum jam locum volente, nequicquam excitaretur. Cui quidem crediderim eadem benignitate deorum, & tantum poëticę facundię, & tam placidum vitæ finem attributum.

DE ANACREONTE.

Sicut Anacreonti quoque quanvis statum humanæ vitę modum supergresso, quem passæ unę succo tenues & exiles virium reliquias foventem, unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit. Jungam illos, quos & propositum, & exitus pares fecit.

DE MILONE CROTONIATE.

Milo Crotoniates, cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus, accessit ad eam, insertisque manibus, divellere conatus est: Quas arbor excussis cuneis, in suam naturam revocata compressit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.

DE POLYDAMANTE.

Item Polydamas athleta tempestate speluncam subire coactus, nimio & subito incursu aquæ labefactata ea, ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquam humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus: sed pondere omni corpore humano potentiore pressus, imbris causa petitam latebram, dementis fati sepulchrum habuit. Possunt ii præbere documentum, nimio robore membrorum, vigorem mentis hebescere: quasi abnuente natura utriusque boni largitionem: ne supra mortalem sit felicitatem,

tem, eundem & valentiſsimum eſſe, & ſapientiſſimum.

DE CUPIDITATE VITÆ.

CAPUT XIII.

VERUM quia exceſſus è vita & fortuitos, & viriles, quoſdam etiam temerarios oratione attigimus: ſubjiciamus nunc æſtimationi enerves, & effœminatos, ut ipſa comparatione pateat: quanto non ſolum fortior, ſed etiam ſapientior mortis interdum, quàm vitę ſit cupiditas.

DE MARCO AQUILIO.

Marcus Aquilius, cum ſibi glorioſe mortem conſciſcere poſſet, Mithridati maluit turpiter ſervire. Quem ne aliquis meritò dixerit Pontico ſupplicio, quàm Romano Imperio digniorem? quoniam commiſit ut privatum opprobrium publicus rubor exiſteret.

DE CNEO CARBONE.

Cn. quoque Carbo magnę verecundię eſt Latinis annalibus: qui tertio in conſulatu ſuo juſſu Pompeji in Ciliciam ad ſupplicium ductus, petiit à militibus demiſſe & flebiliter, ut ſibi alvum levare, priuſquam expiraret, liceret: quò miſerrimę lucis uſu diutius frueretur, eò uſque moram trahens, donec caput ejus ſordido in loco ſedentis abſcinderetur. Ipſa verba tale flagitium narrantis ſecum luctantur, nec ſilentio amica, quia occultari non merentur; neque relatione familiaria, quia dictu faſtidienda ſunt.

DE BRUTO.

Quid? Brutus exiguum & infelix momentum vitæ quan-

quanto dedecore emit? Nam à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum cervicem gladio subtraxit, sed & constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis juravit: Ita vivam, dabo. O cunctationem fati ærumnosam! O jurandi stolidam fidem! sed hos tu furores immoderata retinendi spiritus dulcedo subjicis, sanæ rationis modum expugnando, quæ vitam diligere, mortem non timere præcepit.

EXTERNA.

DE XERSE REGE.

Eadem Xersem Regem pro totius Asię armata juventute, quòd intra centum annos esset obitura, profundere lachrymas coëgisti. Qui mihi specie alienam, re vera suam conditionem deploràsse videtur: opum magnitudine, quàm altiore animi sensu felicior. Quis enim etiam mediocriter prudens mortalem se natum fleverit?

QUAM EXQUISITA CUSTODIA USI SUNT, quibus suspecti domestici fuerunt.

CAP. XIV.

REFERAM nunc eos, quibus aliquos suspectos habentibus, exquisitior sui custodia quæsita est. Nec à miserrimo, sed ab eo, qui inter paucos felicissimus fuisse creditur, incipiam.

DE MASINISSA REGE.

Masinissa Rex Numidarum, & Pop. Rom. amicissimus, parum fidei in pectoribus hominum reponens, salu-

ſalutem ſuam cuſtodia canum vallavit. Quò tam late patens imperium? quò tantus liberorum numerus? quò denique tam arcta benevolentia conſtricta Romana amicitia, ſi ad hęc tuenda nihil canino latratu, aç morſu valentius duxit?

DE REGE ALEXANDRO.

Hoc Rege infelicior Alexander, cujus præcordia hinc amor, hinc metus torſerunt: nam cum infinito ardore conjugis Thebes teneretur, ad eandem ex epulis in cubiculum veniens, barbarum compunctum notis Threiciis, ſtricto gladio jubebat anteire: nec prius ſe ibidem lecto committebat, quàm à ſtipatoribus diligenter eſſet ſervatus. Supplicium irato deorum numine compoſitum, neque libidini, neque timori poſſe imperare. Cujus timori eadem & cauſa, & finis fuit. Alexandrum enim Thebe pellicatus ira mota interemit.

DE DIONYSIO REGE SYRACUSANORUM.

Age, Dionyſius Syracuſanorum tyrannus hujuſce tormenti quàm longa fabula! Qui duo de quadraginta annorum dominationem in hunc modum peregit. Summotis amicis, in eorum locum ferociſsimarum gentium homines, & à familiis locupletum electos prævalidos ſervos, quibus latera ſua committeret, ſubſtituit: tonſorum quoque metu, tondere filias ſuas edocuit: quarum ipſarum poſtquàm adultæ ętati appropinquabant, manibus ferrum non auſus committere: inſtituit, candentium juglandium, aut nucum putaminibus barbam ſibi, & capillum adurerent. Nec ſecuriorem maritum egit, quàm patrem. Duarum enim eodem tempore Ariſtomaches Syracuſanę, & Locrenſis Doridis

ridis matrimoniis alligatus, neutrius unquam, niſi excuſſę, complexum petiit. Atque etiam cubicularem lectum perinde quaſi caſtra, lata foſſa cinxit: in quem ſe ligneo ponte recipiebat: cum forem cubili extrinſecus à cuſtodibus opertam, interiorem clauſtro ipſe diligenter obſeraſſet.

DE SIMILITUDINE FORMÆ.

CAPUT XV.

DE SIMILITUDINE autem oris, & totius corporis, altiore doctrina pręditi ſubtilius diſputant, eorumque alii in ea ſunt opinione, ut exiſtiment illam origini, & contextui ſanguinis reſpondere. Nec parvum argumentum ex cęteris animalibus trahunt, quę fere gignentibus ſimilia naſcuntur. Alii negant certam hanc eſſe naturæ legem, ſed ſpecies mortalium, prout fortuita ſors conceptionis obtulit, attribui: atque ideo plerunque ex ſpecioſis deformes, ex robuſtis invalidos partus edi. Verum quoniam eſta quęſtio in ambiguo verſatur, pauca inter alienos conſpectę ſimilitudinis exempla referemus.

DE VIBIO ET PUBLICIO LIBERTINO ſimilibus Pompejo Magno.

Magno Pompejo Vibius ingenuæ ſtirpis, & Publicius Libertinus ita ſimiles fuerunt, ut permutato ſtatu, & Pompejus in illis, & illi in Pompejo ſalutari poſſent. Certè quocunque aut Vibius, aut Publicius acceſſerant, ora hominum in ſe obvertebant, unoquoque ſpeciem ampliſſimi civis in perſonis mediocribus

an-

annotante. Quod quidem fortuitum ludibrium, quasi hæreditarium ad eum penetravit.

DE MENOGENE COCO SIMILI patri Pompeji Magni.

Nam pater quoque ejus eo usque Menogenis coci sui similis esse visus est, ut vir & armis præpotens, & ferox animo sordidum ejus nomen repellere à se non valuerit.

DE CORNELIO SCIPIONE COGNOMENTO Serapione.

Eximiæ verò nobilitatis adolescens Cornelius Scipio, cum plurimis, & clarissimis familię suæ cognominibus abundaret, in servilem Serapionis appellationem vulgi sermone impactus est, quòd hujusce nominis victimario quàm similis erat. Nec illi aut morum probitas, aut respectus tot imaginum, quò minus hac contumelia aspergeretur, opitulata est.

DE LENTULO, ET METELLO similibus histrionibus.

Generosissimum Consulatus collegium Lentuli & Metelii fuit: qui ambo in scenam propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt. Sed alter ex quodam assectarum cognomen Spintheris traxit: alter nisi Nepotis à moribus accepisset, Pamphili retiarii, cui simillimus esse ferebatur, habuisset.

DE

DE M. MESSALA SIMILI MENOGENI, ET Curione ſimili Burbulejo.

At M. Meſſala Conſularis, & Cenſorius, Menogenis: Curioque omnibus honoribus abundans, Burbuleji: ille propter oris aſpectum, hic propter parem corporis motum, uterque ſcenici nomen coactus eſt recipere. Abunde ſint hęc de domeſticis, quoniam & perſonis ſunt excelentia, & non obſcura notitia celebrantur.

EXTERNA.

DE REGE ANTIOCHO SIMILI Artenioni.

Regi Antiocho unus ex æqualibus, & ipſe regiæ ſtirpis nomine Artenio, perquam ſimilis fuiſſe traditur: quem Laodice uxor Antiochi, interfecto viro, diſsimulandi ſceleris gratia, in lectulo perinde quaſi ipſum regem ægrum collocavit. Admiſſumque univerſum populum & ſermone ejus, & vultu conſimili fefellit: crediderunt que homines ab Antiocho moriente, Laodicem, & natos ejus ſibi commendari.

DE HIBREA MYLASIO SIMILI CUIDAM ſervo Gymnicorum.

Hibream autem Mylaſenum copioſæ, atque concitatæ facundię oratorem, Gymnicorum ſervo ſtrigmenta Gymnaſii colligenti, tam ſimilem ferunt, ut tanquam germanum fratrem totius Aſiæ

ocu-

oculi assignarent. Ita liniamentis oris, & omnium membrorum compares erant.

DE QUODAM PRÆTORE ROMANO simili cuidam Siculo.

Ille vero, quem in Sicilia Prætoris admodum similem fuisse constat, petulantis fuit animi. Proconsule enim dicente, mirari se quapropter sui tam similis esset, cum pater suus in eam provinciam nunquam accessisset: At meus (inquit) Romam frequenter accessit. Joco nanque lacessitam matris suę pudicitiam, invicem suspitione in matrem ejus rejecta, audacius, quàm virgis & securibus subjecto conveniebat, ultus est.

DE IIS, QUI INFIMO LOCO NATI MENDACIO se clarissimis familiis inserere conati sunt.

CAPUT XVI.

SED tolerabilis hæc, & uni tantummodo anceps temeritas. Quod sequitur impudentię genus, nec ferendum ullo modo, periculique tum privatim, tum etiam publicè late patentis. Nam ne Equitium Firmo Piceno monstrum veniens, relatum jam in hujusce libri superiore parte, præteream; ejus in amplectendo Tiberio Graccho patre, evidens mendacium, turbulento vulgi errore, amplissima tribunatus potestate vallatum est.

DE HEROPHILO EQUARIO.

Herophilus Equarius medicus C. Marium septies Consulem avum sibi vendicando ita se extulit, ut coloniæ se veteranorum complures, & municipia splendida, collegiaque ferè omnia patronum adoptarent. Quinetiam cum C. Cæsar Cn. Pompejo adolescente in Hispania oppresso, populum in hortos suos admisisset, proximo intercolumnio penè pari studio frequentiæ salutatus est. Quod nisi divinę Cæsaris vires huic erubescendæ procellę obstitissent, simile vulnus Respub. excepisset, atque in Equitio acceperat. Cęterum decreto ejus extra Italiam relegatus, postquàm ille cœlo receptus est, in urbem rediit, & consilium interficiendi Senatus capere sustinuit. Quo nomine jussu patrum necatus in carcere, feras prompti animi ad omne moliendum scelus pœnas pependit.

DE QUODAM, QUI SE FECIT FILIUM Octaviæ sororis Augusti.

Nec divi quidem Augusti etiamnum terras regentis excellentissimum numen intentatum ab hoc injurię genere extitit: cum quidam clarissimę ac sanctissimæ sororis ejus Octaviæ utero se genitum fingere auderet, propter summam autem imbecillitatem corporis, ab eo, cui datus erat, perinde atque ipsius filium retentum subjecto in locum suum proprio filio diceret. videlicet, ut eodem tempore sanctissimi penates, & veri sanguinis memoria spoliarentur, &

falsi sordida contagione inquinarentur. Sed dum plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est.

DE QUODAM, QUI SE DICEBAT FILIUM Quinti Sertorii.

Repertus est etiam qui se diceret esse Qu. Sertorii filium, quem ut agnosceret uxor ejus, nulla vi compelli potuit. Quid Trebellius Calca, quam asseveranter se Clodium tulit! & quidem dum de bonis ejus contendit, in centumvirale judicium adeo favorabilis descendit, ut vix justis, & æquis sententiis consternatio populi ullum relinqueret locum. In illa tamen quæstione neque calumniæ petitoris, neque violentiæ plebis judicantium religio cessit.

Multo fortius ille, qui Cornelio Sylla rerum potiente, in domum Cn. Asinii Dionis irrupit, filiumque ejus patriis penatibus expulit; vociferando non illum, sed se Dione esse procreatum. Verum postquam à Syllana violentia Cæsariana æquitas reluxit, gubernacula Romani Imperii, justiore principe obtinente Rempub. in publica custodia spiritum posuit.

Eodem præside Reipub. in consimili mendacio muliebris temeritas Mediolani repressa est. Siquidem cum se pro Rubria quædam, perinde ac falso credita esset incendio periisse, nihil ad se pertinentibus bonis insereret, nec ei aut tractus ejus splendidi testes, aut cohortis Augusti favor deesset: propter inexpugnabilem Cæsaris constantiam irrita nefarii propositi abiit.

Idem

Idem barbarum quendam, ob eximiam similitudinem Cappadociæ regnum affectantem, tanquam Ariarathes esset, quem à M. Antonio interemptum luce clarius erat: quanquam penè totius orientis civitatum, & gentium credula suffragatione suffultum caput, imperio dementer imminens, justo impendere supplicio coëgit.

LIBRI NONI VALERII Maximi

FINIS.

IN MULTIS CODICIBUS, TUM RECENTIbus, tum etiam Aldinis librum decimum, qui statim sequitur, non reperi. In antiquiss. tamen codicibus duobus sese obtulit: quem nobis in lucem C. Tit. Probum retulisse, & corruptum in epitomen redegisse puto: cujus etiam est præfatiuncula subsequens: an stylum Valerii redoleat nec ne, emunctarum narium judicio relinquo.

IN EPITOMEN SUAM CAJI TITI Probi præfatio.

DECIMUS hujus operis liber, qui & ultimus est, vel ex negligentia aut malevolentia librariorum deperiit: abbreviator vero titulos ejus habebat integre fortasis: tamen de uno tantum, hoc est de prænomine epitoma representabat.

DECIMI HUJUS OPERIS LIBRI,

PER CAJUM TITUM PRObum, Epitome.

DE PRÆNOMINE.

VARRO ſimplicia in Italia fuiſſe nomina ait: exiſtimationiſque ſuæ argumentum refert, quòd Romulus & Remus, & Fauſtulus, neque prænomen ullum, neque cognomen habuerunt. Qui ab eo diſſentiunt, ajunt matrem eorum Rhæam Sylviam vocatam: avum, Sylvium Numitorem: fratem ejus, Amulium Sylvium: & ſuperiores Albanorum reges, Capetum Sylvium, Agrippam Sylvium: poſterioreſque duces, Metium Suffetium, & tutorem Clodium vocatos: nec contenti iis, ad Sabinos tranſgrediuntur: & Titum Tacium, Numan Pompilium, & patrem ejus Pompium Pompilium: ejus deniquè regionis principes enumerant, Putilianum Lavianum, Voleſium Valenſium, Metium Curtium, Alium Sumuſilleaticum. Hetruſcis recitant Lartem Porſenam. Ab Equiculis, Septimium Medium, primum regem eorum, & Sertorem Reſium, qui primus Ius fe-

feciale instituit. In hunc modum Varronis sententia subcuitur.

Romanos autem arbitrandum est maximè ab Albanis, & Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse: quoniam ab illis orti sunt. Omnia autem quę ad unumquenque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi nominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo gens cognoscitur, ideoque dicitur gentilitium. Cætera ordine variantur. Nam quod præponitur, prænomen: quod post fertur, cognomen: quod ad ultimum dicitur, agnomen: quorum series non ita, ut exposui, semper servata est. Animadverto enim in consulum fastis, perplexum usum prænominum & cognominum fuisse: dictum, Posthumum Cominium Aruntum, & Posthumum Ebutium Helvam, & Vopiscum Julium, & Opitrem Virginium Tricoscum, & Paulum Fabium Maximum. Quinetiam quędam cognomina in nomen versa sunt: ut Cepio: nanque hoc in Bruto, nominis locum obtinuit.

Gentilitia nomina Varro putat fuisse innumera, & prænomina circa triginta. Pueris non priusquam togam virilem sumerent: puellis non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse, Quintus Scævola autor est. Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt: ut Posthumius, Agrippa, Proculus.

Opiter, qui patre mortuo, avo vivo giguebatur. Vopiscus, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editus erat.

Hostus prænomen fuit, in eo qui peregre apud hospitem natus erat. Idque hăbuit Lucretius Tricipitius, collega Lucii Sergii. Volero in prænomen abiit,

quia nolentibus nasci liberis parentibus videbatur, quo ulus est Pub. Philo.

Laertis prænomen, est sumptum à laribus. Tuscum autem creditum est prænomen esse: fuitque Consul Lar Herminius cum T. virginio Tricosto. Statius, à stabilitate: Faustus à favore prænomina sumta erant. Tullius prænominatus est ominis gratia, quasi tollendus, ò littera, in u, conversa.

Sertior, qui per sationem natus erat, appellatus est. Ancum prænomen, Varro à Sabinis translatum putat: Valerius Antias scribit, quòd cubitum vitiosum habuit, quod Græce vocatur *ankon* Lucii cœperunt appellari, qui ipso initio lucis orti erant: aut (ut quidam arbitrantur) à Lucumonibus Hetruscis. Mannii, qui mane editi erant: vel ominis causa, quasi boni: Manum enim antiqui bonum dicebant. Cnæus, ob insignem nævum appellatus est, quod unum prænomen varia scriptura notatur: alii enim Neum, alii Gneum, alii Cneum scribunt: Qui g. littera in hoc prænomine utuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea littera usa est: olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum profertur: & gnatura, modo natura. Igitur etiam qui in corporibus nævus gigni solet, gnævus appellabatur. Qui C. ponunt corruptione syllabæ delectari videntur. Qui Næus, lævitatem velle judicantur. Gaii dicti à gaudio parentum. Auli, qui diis alentibus nascuntur.

Marci, qui Martio mense geniti. Publii, qui priùs pupilli facti erant, quàm prænomina haberent: alii ominis causa, ex pube. Tiberii vocitari cœperunt, qui ad flumen Tiberim nascebantur. Titus, à Sabino nomine Titurio fluxit. Appius, ab Atto ejusdem regionis

prænomine. Cæſones appellati ſunt, qui mortuis matribus execti erant.

Servius, qui mortua matre in utero ſervatus eſt. Spurii, patre incerto geniti, quaſi Spori. Numerii ſola patritia familia uſa eſt Fabia prænomine: idcirco, quòd CCCVI. apud Trebiam flumen cæſis: qui unus ex ea ſtirpe extiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numerii Otacilii Maleventani, ſub eo pacto, ut quem primum filium ſuſtuliſſet, ei materni avi prænomen imponeret, obtemperavit. Antiquarum mulierum frequenti in uſu prænomina fuerunt, Rutilia, Ceſella, Rodocilla, Mutrulla, Burra, à colore dicta. Iſta prænomina, à viris tracta ſunt, Caia, Lucia, Publia, Numeria. Cæterum Caia, uſu ſuper omnes celebrata eſt: fertur enim Caiam Cæciliam, Tarquinii priſci regis uxorem, optimam lanificam fuiſſe; & ideo inſtitutum eſſe, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Cajam eſſe ſe dicerent.

FINIS.

INDEX

COPIOSISSIMUS, OMNIUM nomina, de quibus passim in hac historia agitur, complectens. Cujus prior numerus librum, posterior caput significat.

A

Accius poëta 3. 7.
Admetus Rex Thessaliæ 4. 6.
Ægles Samius 1. 8.
Ælia familia 4. 4.
Ælius Mantia Formianus 6. 2.
Ælius prætor 5. 6.
Æmilia vireo 1. 1.
Æmilianus Scipio 2. 5. & 3. 2.
Æmilius Lepidus 3. 1.
Æmilius Paulus 5. 10.
Ænei tauri inventor 9. 2.
Æschines 8. 10.
Æsculapii ædes 1. 2.
Æthiopes 8. 14.
Affrania uxor Licinii Bructionis 8. 3.
Africanus superior 2. 2. & 4. 1. & 3. 5. & 4. 1. & 5. 4. & 5. 6. & 6. 6. & 6. 9. & 8. 15. & 8. 16. & 9. 7. & 4. 2.
Africanus posterior 2. 2. & 4. 1. & 5. 1. & 5. 3.
Africanus & Tiberius 4. 2.
Agathocles rex Syracusarum 7. 4.
Agesilaus 7. 2.
Agrigentinus Gillias 4. 3.
Albanus lacus 1. 6.

Al-

ALPHABETICUS.

Alcibiades 1.7.& 3.1.& 6. 11.
Alexander Rex 1.4. & 4. 7.& 5.1.& 9.3. & 9. 5. & 9.14.& 6.4. & 8.11. & 8.15.
Alexander ſervus Fannii 8. 4.
Alexander Rex Macedoniç 1.7.& 5.1.& 7. 3. & 7. 3. & 3. 3. & 3. 8.
Amicitia 4.7.
Amilcar 1.7. & 9. 3.
Amor cujuſdam patris in filium 7.3.
Amor filiæ erga matrem 5. 4.
Amor & indulgentia parentum in liberos 5.7.
Amphiaraus 8.16.
Amphinomus frater Anapi 5. 4.
Anacharſis 7. 3.
Anacreontes 9. 12.
Anapus frater Amphinomi 5. 4.
Anaxagoras Philoſophus 5.10.& 7.2.& 8. 7.
Anaxarchus 3.3.
Anaximenes præceptor Alexandri 7. 3.
Antigonus 5.1.
Antiochus 4. 1.
Antiochus Rex 2.5.& 4. 1. & 9. 15.
Antiochus Rex Syriæ 9.1.
Antii Reſtionis ſervus 6.8.
Antipater poeta 1.8.
Antiquior ſibi capiendi mos 2.1.
Antonia 4.3.
Apolloniatæ 1.5.
Apollo vindicans ſe de ſacrilegio 1.2.
Appius 8. 14.
Appius Claudius 7.2.& 8.1.& 9. 3.
Arcades duo 1. 7.
Arcç duæ 2. 1.
Archilochus poeta 6.3.
Archimedes Philoſophus 8. 7.
Architas Tarentinus 4.1.
Areopagus 2. 1.
Arganthonus Gaditanus 8. 14.
Ariobarzanes Rex Cappadociæ 5.7.
Ariſtides Athenienſis 6.5.
Ariſtides Romanus 7.3.
Ariſtides 5. 3.
Ariſtophanes 7. 2.
Ariſtogitones 2. 5.
Ariſtoteles 5.6. & 7.2. & 8. 15.
Arthemiſia 4.6.

Ar-

INDEX

Artifex quidam 8.13.
Artorius medicus 1.7.
Aſdrubalis uxor 3.2.
Aſinarius quidam 7.3.
Athenarum vir quidam eruditiſsimus 1.8.
Athenienſes 2.1.& 5.3. & 6.3.& 8.13.& 9.2. & 9.8.
Athenienſium religio 1.2.
Athenienſis cujuſdam ſenis hiſtoria 4.5.
Athenienſis quidam 7.3.
Athletarum certamen 2.1.
Attalus rex 5.2.
Atterius Rufus 1.7.
Attilius 1.8.
Attilius Calat.4.4. & 8.1.
Attilius Philiſcus 6.1.
Attilius Regulus 4.4.
Auguſtus Cęſar 1.7.
Aulus Attilius calatinus 8.1.
Aulus Fulvius 5.8.
Aulus Gabinius 8.1.
Aulus Poſthumius 1.8.

B

BArbari 9.2.
Bebius Pamphilus conſul 1.1.
Berenice 8.16.
Bias Priennenſis 7.2.& 7.
Biton frater Cleobi 5.4.
Blaſius 3.8.
Brutia uxor L. Menenii Agrippæ 7.8.
Brutus primus conſul 5.6.
Brutus 9.13.
Bruſa fœmina 4.8.

C

CÆcilia uxor Metelli 1.5. & 2.1.
Cælius Rufus 4.2.
Cælii fratres, & filii Titi Cælii 8.1.
Cęſar 5.1.
C. Bloſius 4.7.
C. Calpurnius Piſo 7.7.
C. Carbonis mors 9.7.
C. Cæſar 6.11. & 9.8.
C. Claudius pulcher 2.1.
C. Caſſius 1.5.& 3.& 9.9.
C.Cornelius Hiſpalo 1.4.
C. Cotta 2.2.
C. Coſconius 8.1.
C. Duellius 3.6.
C. Cluvius 9.9.
C. Fabius 1.1.& 1.8.
C. Fabricius 1.8.& 4.4.
C. Flaminius 1.6.& 5.4.

C. Feſcenninus triumvir 6. 1.
C. Flavius vulgans jus civile 2. 1.
C. Graechus 1.7.& 6.3. & 4. 7. & 8. 10.
C. Hoſtilius 1.6.
C. Julius Cæſar 4 5.
C. Junius 2. 4.
C. Licinius 9. 12.
C. Mallius conſul 2.1.
C. Marius 1.5.& 2.1. & 2.5.& 3.6.& 4.5.& 5.2 & 6.1 & 8.2 & 8.6. & 8.16 & 9. 4.
C. Marius Candidatus 6.11
C. Marius ſenex 3.2.
C. Martius 4. 3.
C. Mevius 3. 8.
C. Numenius Fabius 4.3.
C. Plautius 4.6.
C. Plotinus 6. 8.
C. Plotini Plancii ſervi 6. 8.
C. Scipio 3.8.
C. Sempronius 3.2.
C. Sergius Orata 9.1.
C. Sulpitius Gallus 6. 3.
C. Valerius Flaccus 6.9.
C. Vatienus 6. 3.
C. Viſellius 8.2.
C. Volumnius 1.6.
C. Uticenſis 3.2.
C. Turanius 9. 11.
Calanus Indus 1.8.
Caliguritani 7. 6.
Callidius Bononienſis 8.1.
Calpurnius Piſo 4.3. & 7. 7.
Cambyſes Rex 6.3.
Camillus 1.5. & 2.4. & 5. 3.
Campani 5.2.& 9.5.
Caninius Gallus 4. 2.
Carneades philoſoph. & 7.
Carthaginienſes 5.3.& 9. 2. & 9. 5. & 9. 6.
Caſilinates 7.6.
Caſsius 5.8.
Catilina 9.1.
Cato 6. 2.
Cato inferior 8.7.
Cato poſterior 4.1.& 4.3.
Cato ſuperior 3. 7. & 4. 3. & 8. 7.
Cato Uticenſis 3 2.
Cecinna 2.3.
Celtiberi 2.1.
Ceres quomodo placatur 1. 1.
Cereris vindicta in Alexandri milites exercita 1. 2.
Certi creditores 9. 7.
Ceſsius 6.2.
Celetus Romanus 5.7.

Cha-

INDEX

Charondas Tyrius 6. 5.
Chlœlia virgo 3. 2.
Chryſippus 8. 7.
Cicero 4. 2.
Cimon Athenienſis 6. 11.
Cimonis pietas erga patrem 5. 4.
Cinna 2. 3.
Civitas Romana 7. 6.
Civitas Spartana 2. 1.
Claudia virgo Veſtalis 5. 4
Claudia filia Auli 8. 14.
Claudia 8. 1.
Claudius Marcellus 6. 1.
Claudius Nero 2. 4.
Claudius Pulcher 2. 1.
Cleanthes Philoſophus 8. 7
Clearchus Lacedęmoniorum dux 2. 2.
Cleopatra 9. 2.
Clodia Auli filia 8. 14.
Cn. Carbo 9. 12
Cn. Cornelius Scipio Aſina 6. 11.
Cn. Cornelius Scipio 6. 3.
Cn. Cornelius Scipio cognomento Serapio 9. 15.
Cn. Domitius 9. 1. & 9. 6.
Cn. Domitius Tribunus Plebis 6. 5.
Cn. Fulvius Flaccus 2. 3.
Cn. Lentulus Marcellinus conſul 6. 2.
C. Martius 4. 3.
Cn. Piſo 6. 2.
Cn. Pompejus 1. 6. & 2. 1. & 5. 1. & 8. 16. & 9. 5.
Cn. Pompeji miles 5. 5.
Cn Popilius Lenates 5. 3.
Cn. Scipio 3. 7. & 4. 4. & 4. 5.
Codrus Rex Athenienſium 5. 6.
Cœlii fratres 8. 1.
Collegium Tribunorum 6. 5.
Coma frater Diogenis 9. 12.
Coriolani pietas 5. 4.
Cornelia 4. 4. & 4. 6.
Cornelius Balbus 7. 9.
Cornelius Caſcus 3.
Cornelius Gallus 6. 12.
Cornelius Scipio 6. 5.
Gotta 8. 1.
Craſſus dictus dives 6. 11.
Cretenſes 7. 2. & 7. 6.
Cræſus 1. 7.
Cræſi filius 5. 4.
Curio 9. 15.
Curiones 9. 1.
Curtius Romanus 5. 6.
Cynegirus 3. 2.
Cyprii 9. 1.
Cyrus 8. 7.

Cyrus ſuperior 1.7.

D

DAmaſippus 9. 2.
Damom 4. 7.
Dandones quedam 8.14.
Daphida 1.8.
Darius 5.2.
Darius Rex 5.4.& 7.3.
Decius Brutus 8.15.
Decius Lęlius 4.7.
Demades 7. 2.
Democritus Philoſoph. 8. 7.
Demoſthenes 3.4.& 7. 3. & 8. 7. & 8. 10.
Dejotarus Rex 1. 4.
Deorum cultus 1.8.
Deorum Trojanorum mira hiſtoria 1. 8.
Diogenes 4. 3.
Diomedon 1. 2.
Dion Syracuſanus 3. 8. & 4. 1.
Dionyſius 1.2.& 1.7.
Dionyſius Rex Syracuſanorum 9.14.
Dionyſius tyrannus 6.11.
Diphilus Tragœdus 6. 2.
Divus Auguſtus 7. 6.
Divus Julius 1.8.& 3. 2. & 7. 6.
Domini ſervorum, Equites & Centuriones 5.6.
Druſus Germanicus 4.3.
Duæ mulieres 9. 12.
Duo fratres filii regii 9.11
Duorum fratrum pietas erga parentes 5.4.

E

EGnatius Metellus 9.3
Epaminundas 3. 2. & 3. 7.
Ephialtes 3. 8.
Epimenides Gnoſius 8.14.
Epiori quidam 8. 14.
Equa parit leporem 1.6.
Equeſtris ordo 2.1.
Equites & Centuriones, Domini ſervorum 5.6.
Erus Pamphilius 1.8.
Eſchylus poeta 9. 12.
Eubucia uxor L. Menenii Agrippæ 7.8.
Eumenes Rex Aſiæ 2.1.
Euporus ſervus Gracchi 6. 8.
Euripides. 3.4.
Euripide Philoſop. 3.7.
Euripides poeta 9.12.

F

FAbius Labeo 7. 3.
Fabius Max. 1. 1. & 4. 1. & 4 8. & 5. 2. & 7. 3.
Fabricius Lucinus 2. 4. & 4. 3.
Fides publica 6. 6.
Fides ſervorum erga dominos 6. 8.
Fides uxorum in viros 6. 7.
Figulus 9. 3.
Filia Mithridatis reg. 1. 8.
Filiæ pietas in patrem 5 4.
Filius Æſopi Tragœdi 9. 1
Filius Clodii pulchri 3. 5.
Filius Crœſi 5. 4.
Filius P. Decii 5. 6.
Filius Qu. Fabii degener 3. 5.
Fimbria 9. 11.
Flaminius 5. 2.
Fœminæ Indicæ 2. 1.
Fœminæ memorabile factum potionem mortiferam bibentis 2. 1.
Fœminę punicæ 2. 1.
Fortunæ ſimulachrum 1. 8.
Fulvius 5. 9.
Fulvius Flaccus 3. 8. & 8. 4.
Furius Camillus 1. 8. & 4. 1. & 5. 3.
Furti damnatus 8. 2.

G

GAlli 2. 1.
Gallorummos 2. 1.
Gemellus Trib. 9. 1.
Gemitius quidam 7. 7.
Genitius Cippus prętor. 5. 6.
Geta 2. 4.
Gobria 3. 2.
Gorgias Epirota 1. 8.
Gorgias Leontinus philoſophus 8. 16.
Gratidii mors 9. 7.
Graviter dicta aut facta 9. 4.
Gyges 7. 1.

H

HAla Ser. 5. 5.
Hannibal 1. 7. & 3. 7. & 5. 1. & 7. 3. & 7. 4. & 9. 1. & 9. 2. & 9. 3. & 9 5.
Hanno 7. 2.
Harmodius 2. 5.
Hegeſia philoſoph. 8. 9.
Herennius Pontius Samnites 7. 2.
Herennius Siculus 9. 12.
Hetruſci 9. 2.
Herophilus Equarius 9. 16

ALPHABETICUS.

Hibrea Milasius 9.15.
Hiero Syracusanus 4. 8.
Hippoclides 1.8.
Hippo fœmina 6. 1.
Hipsicratea uxor Mithridatis 4.6.
Homerus poëta 8 8.
Honoris templum 1.1.
Horatius 6.3.
Horatius Cocles 3.2.
Horatius Pulvillus 5.10.
Hortensia filia Qu. Hortensii 8.3.
Hortensius Corbio 3.5.

I

IAson quidam 1,8.
Iasonis mos 9.10.
Indi 8.14.
Indicæ fœminę 2.1.
Indorum patientia 3.3.
Infames rei 8.1.
Isocrates 8. 7.
Iuli C. Cæsaris uxor 4.6.
Iulius 1.8.
Iulius Cæsar 8.9.
Iunius Brutus 7.3.
Iustitia 6.5.
Iuvenes Romani 9.3.
Iuvenes dictus Pluto 5.4.

L

LAcedemon 4. 6.
Lacedemonii 6.4.
Lelius 8.8.
Lectorius 4.7.
Lentulus 5.3.& 7.9.
Lentulus & Metellus 9.15.
Leonidas Spartanus 3.2.
Libere dicta aut facta 6.2.
Licinia 6. 3.
Licinius Fimbria Consularis 7.2.
Linceus 1.8.
Livia Rutilii 8.14.
Livius Drusus 8.7.
Livius Salinator 3 7.& 9.3
L. Æmilius Paulus 1.4 & 7. 5.
L. Brutus 5.8.
L. Calphurnius 2. 2.
L. Catilina 9.11.
L. Cinna 4.3.
L. Cornelius 5.1.
L. Cornelius Merula 9.12.
L. Crassus 2. 7. & 4.5. & 6. 2. & 6. 5. & 8. 5. & 9. 1. & 9. 7.
L. Domitius prætor 6.3.
L. Flaccus 2. 4.
L. Furius 2. 4.
L. Furius Bibaculus 1.1.
L. Gellius 5.9.

INDEX

L. Hortensius 5.9.
L. Junius 1.4.
L. Lentulus 1.8. & 6.11.
L. Lucullus 7.9.
L. Manlius Torquatus 5.4.
L. Martius 1.8. & 8.16.
L. Marcus 8.5.
L. Martius tribunus militum 2.2.
L. Paulus 5.1.
L. Paulus & filia 1.5.
L. Petronius 4. 7.
L. Piso 8.1.
L. Pontius eques Rom. 8.7
L. Quintius Cincinnatus 2.2. & 4. 1.
L. Rheginus 4. 7.
L. Salinator 2.4. & 3.7.
L. Scipio 3.6. & 3.7. & 8.1
L. Sextilius 8.1.
L. Septimulejus 9.4.
L. Sicinius Dentatus 3 2.
L. Sylla 1.2. & 1.6. & 3.6. & 5.2. & 6.5. & 6.9. & 7 5. & 8.15. & 9.2. & 9.3.
L. Sylla consul 1.6.
L. Tarquinius 1.4.
L. Valerius 7.9.
Luctatius 1.4.
Luctatius consul 2. 3.
Lucretia 6. 1.
Ludorum mos 2.1.
Lyciorum ritus & mos 2.1
Lycurgus 1. 3.
Lycurgus Lacedemoniorum legislator 1.3.

M

MAgius Chilo 9.11.
Majores qué moré in urbe observabant 2.1
Majores quomodo dabant exemplum virtutis juvenibus 2.1.
Manlius 6.4.
Manlius Torquatus 2.2. & 5.8. & 6.4. & 9.3.
Manlius Torquatus, filius L. Manlii Torquati 6.9.
Marcellus 1.1. & 1.6.
M. Æmilius Lepidus 4.2.
M. Æmilius Porcina 8.1.
M. Æmilius Scaurus 8.1. & 8. 5.
M. Agrippa 4.7.
M. Anci Carseol. filius 7.7.
M. Antonius 2.4. & 3.7. & 7.3 & 5.1. & 8.9. & 9.5.
M. Aquilius 9 13.
M Atilius Regulus 1.2. & 4. & 3. 2.
M. Bibulus 4.1.
M. Brutus 1.4. & 1.5. & 5. 1. & 6. 4.
M. Cato 3.1. & 3.6. & 4.3. & 8. 16.
M. Castritius 6.2.

M.Cicero 8.5.&8.10.&1.7
M. Claudius Marcellus Ædilis,& filius ſuus 6.1.
M. Clodius 6.3.
M.Cornelius 1.1.
M. Cotta 5.4.
M. Craſſus 1.6.& 9.4.
M. Curius 4.3.
M. Curius Conſul 6.3.
M.Druſus Tribunus 9.5.
M.Fabius 5.5.
M.Flaccus 6.3.
M.Fulvius Flaccus 9.5.
M. Horatius 8.1.
M.Juventius conſul 9.12.
M. Lepidus 8.5.
M.Licinius Stolo 8.6.
M.Marcellus 1.6. & 2.3. & 3.2.& 4.1.& 5.1.
M.Manlius 6.3.
M.Marius 2.1.
M.Meſſala 9.15.
M.Menenius Agrippa 4.4.
M.Palicanus 3.8.
M.Perpenna 3.4.& 8.14.
M.Plancius 4.6.
M.Popilius 7.9.
M. Portius Cato 7.5.
M.RutiliusCenſorinus 4.1.
M.Sçeva 3.2.
M.Sçevola 3.1.
M.Scaurus 4.4.&5.8.&3.8
M. Torquatus 1.7.
M. Tul.Cicero 1.4.& 1.7.
M. Valerius 8.16.
M.Valerius Maximus 2.4.
M. Valerius Meſſala 2.4.
M.ValeriusCoruinus 8.14.
M. Voluſius ædilis 7.3.
Martius 1.6.
Martius Coriolanus 5.2.
Maſiniſſa rex 1.2. & 5.2. & 8.14.& 9.14.
Maſsilienſes 2.1.
Maſsilienſium ritus 2.1.
Menogenes Cocus 9.15.
Metellus 1.1. & 1.4. & 2.2. & 2.8. & 5.2. & 8.1.4.& 9.3.
Metellus Celer 6.1.
Metellus Macedonicus 4.1.
Metellus Numidicus 4.1.
Metellus Pius 9.1.
Metellus pontifex 1.1.
Midas 1.6.
Miles quidam 7.7.
Miles Cn. Pompeii 5.5.
Milites Albani ducis 9.8.
Milites Cn. Pompeii 9.7.
Milites L.Syllæ 9.7.
Militius Cn.Lolius 8.1.
Milo Crotoniates 9.12.
Miltiades 5.3.
MinosCretę inſulę rex 1.3.
Minutius conſul 5.2.
Minutius magiſter equitum 5.2.

Minyæ 4.6.
Mithridates 5.2.& 8.7.& 9.2.& 9.11.
Mithridatis regis filia 1.8.
Moderatio parentum in susceptos liberos 5.9.
Mulier matre interficiens 8.1.
Mulier quædam 6.2.
Mulier virum & filium interficiens 8.1.
Mulieres Romanæ 9.1.
Munatius Flaccus 9.2.
Mutius Scævola 3.3.

N

NAusimenis uxor 1.8.
Numa Pompilius 1.3.
Numantini 7.6.
Numidæ 2.1.
Nuptiæ quomodo celebrantur 2.1.

O

OCtaviæ sororis Augusti, falsò dictus filius, quique se ejus filium mentiebatur 6.16.
Octavius Balbus 5.7.
Octavius Consul 1.6.
Ochus dictus Darius 9.2.
Ochus Artaxerxes 9.2.
Omen 1.5.
Ordo equestris 2.1.
Orgiagõtis Reguli uxor 6.2.
Othrydes 3.2.

P

PAnopionis servus 6.7.
Papyrius 2.2.
Papyrius Cursor Consul 7.2.
Papyrius Masso 3.6.
Parentum amor & indulgentia in liberos 5.7.
Parentum severitas erga liberos 5.8.
Pater ignotus 5.9.
Patricii Romani 9.3.
Patris amor in filium 7.1.
Paulus Æmilius 2.5.& 4.1.
Pausania civitas 2.1.
Pausanias 2.1.& 8.1.
Pedanius Centurio 3.
Peletini 6.
Pericles 4.3.& 8.9.& 8.1.
Pericles princeps Athenensis 5.1.
Persarum in Apollinem religio 1.
Persarum institutam probabile 2.
Pestilentia 3.
Petilius 1.
Pherenice 8.1.
Phidias 3.
Philæni fratres Carthaginenses 1.
Philemon 9.12. Ph

Philippus Macedo rex 1.8.
Philippus rex 5. 2. & 1.8.
Philippus rex pater Alexandri 7.2.
Philocrates ſervus Gracchi 6.8.
Philon 8.13.
Phocion 3.8.& 5.3.
Pictor quidam 8 2.
Pietas erga frates 5.5.
Pietas erga patriam 5.6.
Pindarus 9.1.
Pindarus ſervus Caſsii 6.8.
Pirithous 4.7.
Piſiſtratus 1.3.& 8.9.& 5.1
Piſiſtratus Athenienſis tyrannus 1.3.& 5.1.
Pittacus 4.
Pittacus Mitylenęus 6.5.
Plato 1.6. & 4.1.
Plato philoſophus 4.1.& 7.2.& 8.7.& 8.13.
Pleminius legatus Scipionis 1.2.
Pluto juvenis 5.4.
Polemon Athenienſis philoſophus 6.11.
Poliſtratus 1.8.
Polycrates tyrannus Samiorum 6.11.
Polydamas 9.12.
Pompejus 1.5.& 5.3. & 4. 5.& 4.7.& 8.15.
Pompeji patientia 3.3.
Pompejus Rheginus 7.8.
Pompilius legatus 6.4.
Pontius 3.8.
Pontius Aufidianus 6.1.
Populus Ægypti 9.1.
Populus Romanus 4.8. & 9. 7.
Popul.Rom.error in C.Elvium 9.9.
Populus Romanus in Camillum 5.3.
Populi verecundia 4.5.
Populus Cinienſis 6.4.
Portia Catonis filia 3.2.& 4.6.
Portius Cato 2.4.& 3.2.
Poſthumius 2.4.
Poſthumius Tiburtus 2.2.
Potitius ſacra non obſervans 1.2.
Pręneſtini 7.6.
Prętor quidam Rom. 9.15.
Prienenſes 1.5.
Princeps Privernatum 6.2.
Pruſa filia regis Bithyniæ 1. 2.
PtolemæusRex Ægypti 9.1 & 9. 2.
Ptolemęus Rex Gyprorum 9. 4.
Publicani 6.5.
Publicia 6.3.
Publicius Libertinus 9.15.

Phi. Attilius Philiſcus 6.
P. Bilius triumuir 8.
P. Cælius 1.1.
P. Claudius 1.4.
P. Cl. Pulcher. 4.2.
P Clodius 9.1.
P. Cornelius conſul 1.1.
P. Cornelius Scipio 2.2.
P. Craſſus 3.2.& 8.7.
P. Decius 1.7.& 5.6.
P. Decii filius 5.6.
P. Furius 8.1.
P. Furius Philo 3.7.
P. Lentulus 5.3.
P. Licinius 1.1.
P. Mevius 6.1.
P. Mutius 6.3.
P. Pulcher 4.2.
P. Rutil. 2.1.& 2.5.& 6.4.
P. Scipio 3.6.& 8.8.
P. Scipio Africanus 6.2.
P. Scipio Naſica 3.2.& 3.5. & 3. 7. & 7. 5.
P. Sempronius Sophus 6.3.
P. Senator 8.7.
P. Servilius Conſularis 8.5.
P. Sextilius 5.3.
P. Valerius Publicola 2.1. & 4.1.
P. Vatinius 1.8.
P Ventidius 6.10.
Pudicitia 6.1.
Pyrus 4.5.& 5.1.
Pythagoras 8.7.& 8.16.
Pythias 4.7.

Q

Quędam fœmina Syracuſana 6.2.
Quædã mulier 6.2.
Quatuor tribuni Pleb. 6.5.
Quidã antiſtes Roma. 7.3.
Quidam Epiorum 8.14.
Quidã glorię cupidus 8.15.
Quidam puerum inordinatè amans 8.1.
Quidam ſervus Caii Marii 6.8.
Quidã ſervus Panopiõis 6.8
Quidam volens incendere templum Dianæ 8.15.
Quidam volens interficere Octaviũ Auguſtum 9.11.
Quintus Ælius Tubero 7.5.
Qu. Æmilius 4.4.
Qu. Antiſtius vetus 6.3.
Qu. Cęcilius 7.9.
Qu. Cæcilius Metellus 7.5.
Qu. Caſsius 9.4.
Q. Catulus 2.1.& 2.3.& 6.9.& 8.16.& 9.12.
Qu. Cepio 6.11.
Qu. Cincinatus. 4.4.
Q. Conſidius 4.8.
Qu. Conſul 5.2.

Qu.Cotius 3.2.
Qu.Criſpinus 5.1.
Qu.Fabius 8.15.
Q Fabii filius degener 3.5.
Qu. Fabius Gurges 4.3.
Qu.Fabius Labeo 7.3.
Q Fabius Maximus 1.1.& 2.2.& 3.2.& 3.8.& 4.1. & 4.8.& 5.2.& 6.9.& 8. 15.
Qu.Fabius Maximus Servilianus 6.1.
Qu.Flavius 8.1.
Q.Fulvius 1.2.&2.2.&2.3.
Qu. Hortenſius 8.10.& 8.5 & 9.4.
Qu.Marcus Lepidus 8.4.
Qu.Marius rex 5.10.
Qu.Martius Philippus 6.3.
Qu.Metellus 2.2.& 2.5 & 5.1.& 7.1.& 7.2.& 7.8.
Qu. Metellus conſul 7.4.
Qu. Metellus pius 8.5.
Qu. Pompeii mors 9.7.
Qu.Scęvola 3.9.& 4.1.& 8.13.& 8. 16.
Qu.Servilius 8.5.
Qu.Servilius Cepio 9.6.
Qu.Sertorius 1.3.
Qu. Sertorius mentitus ſe eſſe filium Octaviæ ſororis Auguſti 9.16.
Qu.Tubero Catelo 4.1.
Qu.Varius Tribunus 8.
Qu.Ugolinus 4.

R

REgina gentis Thraciæ 9.2.
Regina Tomiri 9.10.
Remigis cujuſdam miraculum 1.8.
Repudium primum 2.1.
Rex quidam 7.2.
Romę peſtilentia maxima 1.8.
Romani 7.4.
Romanæ gentis humanitas 5.1.
Romani populi verecundia 4.5.
Romanorũ ultio in Adrianum 9.10.
Romanorum legatorum mira conſtantia 2.1.
Romanus populus 4.8.
Romulus 3.2.
Roſcius 3.7.

S

SAcellum deę Viriplacę 2.3.
Sanguntini 6.6.
Samii 1.5.
Sariaſtes filius Tigranis regis 9.11.

Fidites regis Veientũ 9.9.
Fannius Vetulio 7.3.
Fabula 8.8.
Scipio 2.2.& 3.2.& 4.3.
Scipio Æmilianus 2.5.& 3.7.& 5.3.&6.4.& 8.16.
Scipio Africanus 1.3.& 2.5.
Scipio Asiaticus 5.3.
Scipio ignobilis filius Africani 3.5.
Scipio major 5.3.& 5.5.
Scipio Nasica 3.7.& 5.3. & 8.16.
Scipio quidam eques 8.15.
Scipio superior 7.3.
Scriba Ciceresjus 4.5.
Seleucus 1.3.
Seleucus rex 5.6.
Semiramis regina Babylonis 9.3.
Sempronia 3.8.
Senatus 6.5.& 7.2.
Senatus & Fabricius 6.5.
Senatus & Po. Ro. 6.6.
Senatus Romani clementia in diversos 5.1.
Senatus Rom. 3.7.& 5.1.
Senex quidam 8.9.
Senex quodam Atheniensis 4.5.
Senibus quantũ honoris impẽdebatur à juvenibus 2.1
Seniores quem morem observabant in urbe 2.1.
Seniores quomodo dabant exemplum virtutis juvenibus 2.1.
Septem sapientes 4.1.
Septicia 7.7.
Sergius Galba 8.1.
Serpentis mirabilis magnitudo & longitudo 1.8.
Sertorius 7.3.
Sevius Galba 6.2.& 9.6.
Sevius Terentius 4.7.
Servius Tullus 1.6.
Servius Sulpitius 1.6.
Servus Antii Restionis 6.8.
Servus M. Antonii 6.8.
Sextus Livius Salinator 4.2.
Sextus Tarquinius 7.4.
Sidonius 1.8.
Simonides 1.8.
Simonides poeta 1.7.&8.7
Simulachrum Fortunæ 1.8.
Siphax rex 6.11.
Socrates 3.4.& 3.8.& 6.4.& 7.2.& 8.8.
Solon 5.3.& 7.2.& 8.7.
Sophocl. 4.3.& 8.7 &9.11.
Spartana civita 2.1.
Spartani 5.3.
Spartanus quidam 6.4.
Spartanus uterque 3.7.
Spurina 4.5.& 8.11.
Spurius Cassius 6.3.
Spurius Melius 6.3.

Spurius Posthumius Albinus 6.3.
Stasippus Tegeates 4.1.
Statua prima in Italia 2.1.
Sulpitia 8.16.
Sulpitia uxor Lentuli 6.7.
Sulpitius 1.1.
Sulpitius Gallus 8.11.
Syracusana fœmina 6.2.
Syracusanorum puelle duæ 3.2.
Syracusanus Dion 4.1.

T

TArquinius rex 1.1.
Tarquinius Priscus 3.4.
Tatius Sabinus 9.6.
Tectius filius Tectii 7.7.
Terentia Ciceronis 8.14.
Terentius Culeo 5.2.
Terent. Varro 4.5.& 8.7.
Thales philosophos 7.2.
Themistocles 5.3.& 5.6.& 6.11.& 7.2 & 8.7.& 8.15.
Theodorus 3.3.
Theodorus Cyrenæus 6.2.
Theopompus 4.1.
Theramenes 3.2.
Theseus 4.7.
Thracia 2.1.
Thrasybulus 4.1.& 5.6.
Thymasitheus princeps Lipparitanorum 4.
Tiberius Cęsar 5.
Tiberius Gracchus 1.1.& 1.4.& 4.1.& 4.2.& 4.6 & 4.7 & 6.3.& 6.5.
Timantes pictor 8.1.
Tjtinius Centurio 9.9.
Titius Sextus 8.1.
Titus Ætherius 9.12.
Titus Ausidius 6.10.
T. Barrulus 7.9.
T. Cælii filii 8.6.
T. Gracchus 1.6. & 4.1.
T. Jubileius Campanus 3.2.
T. Manlius Torquatus 3.2.
T. Marius Urinas 9.7.
T. Publius Rutilius 6.10.
T. Quintius Flaminius 4.8.
T. Veturius filius Veturii 6.1.
Tribunus plebis sive Populus Romanus 1.6.
Tribuni plebis 2.1.
Tribus Pollia 9.10.
Triumphandi jus 2.3.
Tucia virgo dęę Vestæ 8.1.
Tullii Annalis filius 9.11.
Tullius Servius rex 3.4.
Tullus dux Volscorum 7.3.
Tullus Hostilius 7.4.& 9.12
Turia uxor Quinti Lucrętii 6.7.
Turulius 1.2.

Ar... 7.3.

V

Valerius 8.9.
Valerius Corvinus 8.14.
Valerius flaccus 3.2.
Valerius publicola 1.8.& 44.
Valesius quidam 2.1.
Varro 3.4.
Varro dimicans cum Carthaginiensibus 1.2.
Velitum usus primo repertus 2.1.
Veneficia primum orta in urbe 2.1.
Veneris fanum 2.1.
Venus Praxitelis 8.11.
Vetilius leno 7.7.
Vibius 3.2.& 9.15.
Vini usus mulieribus interdictus 2.1.
Virginius vir plebejus 6.2.
Virgo Æmilia 1.1.
Viriplacæ deę sacellū 2.1.
Vitii salasi uxor 9.11.
Volsinienses 9.1.
Uxor Africani prioris 6.7.
Uxores Theutonicorū 6.2.
Vulcanus Alcamenis 8.11.

X

Xenocrates 2.5.& 4.5.& 7.2.
Xenophilus Chalcidensis Pythagoricus 8.14.
Xenophon 5.10.
Xerses 5.1.& 5.5.& 9.13.

Z

Zaleucus Locrēsis 6.5.
Zenon Eleates 3.3.
Zenonalius ibidem
Zeusis pictor 3.7.

FINIS.